

# FVNDAMINA ET REGVLÆ OMNIVM ORDINVM MONASTICORVM ET MILITARIVM:


Quibus,

*ASCETICÆ RELIGIONIS STATVS A Christo institutus, ad quartum vsque Seculum producitur; & Omnes Ordinum Regulæ postmodum conscriptæ, promulgantur.*

AVCTORE

*R. P. F. PROSPERO STELLARTIO,*
Ord. Erem. S. P. Augustini, per Inferiorem Germaniam, Visitatore Primario.








DVACI,
Ex Officina BALTAZARIS BELLERI, sub Circino aureo, 1626.
*Cum gratia & Priuilegio.*



*AMPLISSIMO*

VIRO, ADMODVMQVE

REVERENDO DOMINO, D.

# LEODEGARIO TISON,

*INCLYTI MONASTERII HASNONIENSIS*

ORD. S. BENEDICTI

*ARCHIMANDRITÆ SELECTISSIMO.*

ET IN CONSESSV PROCERVM

HANNONIÆ PRIMATI,

*F. PROSPER STELLARTIVS D.C.Q.*



VCVBRATIONES meas ſuper FVNDAMINIBVS ac REGVLIS OMNIVM ORDINVM, nec ſi mittere aliò vellem, vllâ ratione valerem, nec ſi valerẽ, aliquatenùs vellem. Certè non debeo, neque fas hęc Opera, quæ pronuper è prælo quaſi fœcundo ſolo naſcentia, liberali manu rigaſti, in aliud no-

ã 2 men

men aut titulum transire. Quis enim casus immemorem adeò me mei constituat, vt obliuioso ingratitudinis sarcophago, sepeliam beniuolum in me tanti Præsulis animum, quo librum hunc, quasi liberum puellumúe infantem tunc adhuc in cunis vagientem, fouere & solidioris ætatis incrementa subministrare dignatus est? Atque vtinam prolem hanc Hygeiâ matre suscepissem, qui nouus aliquis Esculapius foret ægrotanti TIBI, PRÆSVL AMPLISSIME, iamque cum morbo grauiter colluctanti, medicam opem manumq; præstare! Magno siquidem animi mei, bonorumq; omnium cordolio, inaudiui, è viuis penè TE sublatum, cum vixdum Patronum, ac Mœcenatem habere cœpissem. Deus bone! quàm diutina morbi lucta, qui lustris pluribus grassatus, furorem nondum posuit? Hoc est aurum esse, quod clibano probatum, diuino gazophilacio reseruatur. Sic multa sanctorum agmina, varijs toto vitæ decursu, vexaminibus, torminibus, corporeisque lancinationibus diuexati leguntur. Sic Angelus ille sathanæ,

næ, Paulum Apostolum verè Trismegistum in carne stimulans & torquens, si Genebrardo credimus, non sordidaster & venereus aliquis carnis pruritus fuit, sed grauis aliqua corporis infirmitas cum durè direq; c laphizans: quàm cùm à se tolli ter, id est, sæpissimè petijsset, renuit Dominus, caussamque addidit, quia VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR. Seneca Stoicę Sectę Philosophus, dicere solebat, Deos delectari, si quando virum fortem cum aduersis generosè dimicantem cernerét. Præliantem TE fortiter, circumspiciunt Deus Cœlitesque: è quibus MARCELLINVS & PETRVS Hasnoniensis Asceterij Lares tutelares, pręsentibus auxilijs nuper adfuère, quando eorum delata in triclinium tuum sacra corpora, saluti Tuæ à medicis desperabũdę sic consuluerunt, vt vitę Tuæ prorogatores appellandi meritò censeantur: Ita Domestici illi Gemini, cùm sibi dudum in cœlis corregnantem TE ardenter aueant, pientissimo tamen Hasnoniensium Religiosorum cœtui, totiq; Reipublicę Christianæ adhuc vtilem, in terris conseruatum maluêre. Et reuera, quàm

flebilis omnibus amantissimis Ascetis Tuis eripiendus esses, docuit ille tuus, ante dies aliquot, exstaticus lãguor, animiq; defectio, cùm insperatò, membrorum omnium vsu sensuq; destitutus, Tibique planè pleneq; ademptus, animam acturus esse certo videreris: Tunc enim obortis gemitibus (æreis è sacra turri sonantibus, ac veluti collacrimantibus) singulos ad obsequium, consilia, auxilia, preces, vota, sacrificiaq;, quasi filiolos carissimo Patre iamiam orbandos, confluere vidisses; nihilq; non agere, vt egressuram extemplò, sicut apparebat, animam, labijs saltem extremis sisterent. Meritò quidem. Quis enim talem ac tantum Patrem superstitem non ardenter deamet? quis vitâ defungentem haud grauiter ploret? Dicam enim ex vero: Hasnoniẽsis Archimandria, Prælatos plures habuit, LEODEGARIOS paucos. Nihil hîc dicam de Religionis Benedictinę, quo flagras, amore, prętereo pietatis, quo in Deum exæstuas, ardorem: sileo prę clarum tuorum regimen, quibus non verbis magis quàm exemplo præis: de constantia tua in ad-

in aduersis nihil eloquar. Nullas igitur encomiorum Tibi, solenni pręfatorum more, laureas adtexam, quòd eiusmodi laudum flabellis, quasi flagellis pungâre. Itaque, me tacente, sedulitatem, industriam, solertiamque Tuam loquatur inuidenda illa moles ędificiorum, à fundamentis erectorum, quibus Monasterium mirabiliter auxisti, nobilitasti. Pietatem Tuam, loquatur decor domus Dei quam dilexisti, varia suppellectili donasti, locupletasti: sed & sacros Tutelaribus Diuis PETRO & MARCELLINO Locellos, argento auroque preciosos pientissimè adparasti, decorasti. Tot ac tantis hinc inde sumptibus impensis, nihil adtamen debitæ Fratribus, hospitibus, alijsûe personis quoquo modo merentibus, subtrahitur caritati: Ego me quidem ei plurimum adstringi volens lubensque per hoc Opellum fatebor; quod vt gratante dexterâ animoque beniuolo suscipias, etiam atque etiam rogito. Ita PRÆSVL OPTIME, Deus, qui carissimos in terris filios suos, per ignem & aquam probatos, educit in refrigerium,

rium, Te ad labores, cordolia & dolores maximos, ſed & ad maiora ſplendidiorum præmiorum Brauia vocatum, cœleſtibus denique corollis ditet, dotetque; vbi ſtadium huius mortalis vitæ exegeris, quam Tibi diutiſſimam, ſanam, & incolumem animitùs adprecor: Vt eam ſemel haud humanis auxilijs conſecutus, æternùm, æternùm, pro Tvi nominis anagrammatico Scito, rependas

VNI SOLI DEO GRATES.

Duaci, Anno cIɔ. Iɔc. xxvi. vi. Maij, die S. Marcellino ſacrâ.



# LECTORI MEO.



NSTITVTI *mei rationem paucis habeto. Librum hunc, quem manumitto, placuit inſcribere*, FVNDAMINA OMNIVM ORDINVM, *non quia de ſingulis eorum ſim dicturus, ſed quia religioſum quod omnes Monachorum Ordines ſequuntur, Inſtitutum, à Chriſto, Apoſtolis, eorumq; Diſcipulis verè fundatum fuiſſe, manifeſtis demonſtrationibus, palam facere profitear. Apoſtolis ſuis, tria* VOTA *commendauit & mandauit Dominus*, PAVPERTATIS, OBEDIENTIÆ, CASTITATIS. *Cœnonicam vitam, ſub Apoſtolis, duxit Eccleſia Hieroſolymitana. Eremitas habemus Ioannem Baptiſtam, eiuſque diſcipulos. Alexandriæ* Monaſteria *conſtituuntur Auctore Marco. Hæc & alia, quæ fuſius ediſſeruimus*, FVNDAMINA *ſunt* OMNIVM ORDINVM, *qui primitiuæ illius Eccleſiæ inſtitutum ſubſequentibus Seculis reſumpſere. Neque verò me non operepretium facturum æſtimaui, laboris hoc ſuſcipiens. Iugulabit enim id ſcripti genus, locutuleios hæreticulos, qui Monachiſmum conſpuentes*, SACROS ORDINES *à malo Genio excogitatos, Eccleſiæ primitiuæ incognitos, ſeculo demum quarto myſterium iniquitatis operari cœpiſſe garriunt. Vah enim, quæ non blaterat inter recentiores ſuperioris æui Nouatores, VViclefus, aduerſum*

*ẽ* *Monachos?*

*Monachos? Nempe* Omnes ad vnum à diabolo in Ecclesiam introductos, & Augustinum, Benedictum, Bernardum, ad inferos esse damnatos nisi pœnitentiam egerint, quòd Monachi & Patres Monachorum fuerint. *Sic enim habent, adtestante Bellarmino, articuli eius postremi in Concilio apud Constantiam reprobati. Quid non effutit* Lutherus? *Omnes qui cœlibem vitam in Monasterijs ducunt, Idolo Moloch sua corpora cremare; Religionis Statum, Ethnicum, terrenum, secularem, lutosum esse. Tacebit hîc Caluinus, homo natura dicax & colubro mordacior? Minimè gentium. Nam & Institutionum suarum libro* IV. cap. XIII. *rem totam ita definit, vt Monasteria* Lupanaria, *vota sacra,* Sathanę retia *Monachos omnes*, Sophistas Cucullatos, Ecclesię desertores, diabolo consecratos, *esse velit. Accedit nihilo moderatior Melanchthon, in Apologia pro Confessione Augustana, Articulo* De votis, *vbi vocitat opera Monachorum*, Obseruationes fatuas, hypocriticas simulationes, pharisaicas *atque* Mahumeticas obseruationes. *Denique Magdeburgenses Centuriatores*, c. x. Cent. IV. *ventilatis & eleuatis multorum veterum Eremitarum Historijs*, Sed quis, *exclamant*, non hæc hominum monstra execretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam Tabulam delinquentes? *Sed quis, succlamo, non hæc hæreticorum portenta execretur, vt inimicos Institutionis Christi & Apostolorum eius, contraq; totam Ecclesiam primitiuam insanè debacchantes? Verùm, quid miramur, si tenebriones, Monachismi splendorem æquis oculis intueri nequeant: si desertores stationis & militiæ, castra Sanctorum oderint: si transfugæ*

*fugæ perfidi, ſtantes in acie commilitones ſuos exhorreant: ſi denique principis tenebrarum filij patriſſent? Nam, vt apud Athanaſium Magnus aiebat Antonius,* Omnes quidẽ Chriſtianos diabolus odit, ſed probos MONACHOS, Chriſtique VIRGINES tolerare, nullo modo poteſt.

*Atque vt hic è Sanctis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus duos dumtaxat aduerſum tot inſenſatos in aciem producamus, prodibit ecce prior nobis vir omni exceptione maior:* AVGVSTINVS; *qui cùm capite xxxj. libri* De moribus Eccleſiæ, *Monachorum Inſtituta dilaudaſſet, demùm addit:* Hos mores, hanc vitam, hunc Ordinem, hoc Inſtitutum, ſi laudare velim, neque dignè valeo; & vereor, ne iudicare videar, per ſeipſum tantummodò expoſitum placere non poſſe, ſi ſuper narratoris ſimplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. *Prodeat & Orientis Eccleſiæ lumen* CHRYSOSTOMVS, *qui Homeliâ ſuper Matthæum octauâ, Deus bone! quo fulmine vibrat & torquet haſtam?* Si quis, *ait*, nunc ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo prorſus omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Eſt enim cernere tota illa regione, diffuſum exercitũ Chriſti, & admirabilem illum regium gregem Virtutumq; cœleſtium conuerſationem, in terris micantem. Atque hęc non in viris ſolùm, verùm etiam in fœminis ſplendere conſpicias. Non ita varijs aſtrorum choris cœlum refulget, vt Ægyptus innumeris Monachorum & Virginum diſtinguitur & illuſtratur habitaculis.

# AD LECTOREM.

*Quanta & à quantis viris Monastici Status encomia! Quam dissimilia tantorum Ecclesiæ Catholicæ Patrum verba, ijs, quæ Caluinus & eiusdem vappæ scriptores deblatrauere!*

*Ad* REGVLAS*, quod adtinet, eas in vnum hoc volumen redigere placuit, vt asceticæ vitæ cultor, recentiores antiquis conferens, aduertat, quantum à scruposo tramite primitiui instituti, seculis hisce postremis, pleriq; deuiemus. Operepretium enim est, nos in his* REGVLARVM *libellis, tamquam in speculis, mores nostros inspicere, eosdemq;* REGVLIS *conformare: Neque enim alio fine conditæ sunt, quàm vt per eas, distorta quæque dirigantur. Quod enim de* REGVLA *S.P.* AVGVSTINI *dictum voluit B. Vmbertus, id ego ad hanc Regularum Omnium congeriem, imò ad singulas earum tractum cupio.* Dicitur,*inquit*,hoc Opus,REGVLA,dupliciter: REGVLA enim vno modo dicitur à rectitudine,quasi RECTVLA sicut est illa,quâ vtuntur scriptores & lignarij & cæmentarij. Alio modo dicitur à regendo, vt in Grammatica & in alijs scientijs. Iuxta primum modum dicitur hoc Opus REGVLA, quia sicut per Regulam distorta diriguntur, sic per hoc Opus distortæ viæ diriguntur: Item, sicut per illam gibbi remouentur, vt patet in cæmentario; sic per istam superbiæ & superfluitates complanantur. Item, per REGVLAM, res quadrantur, vt lapides redduntur quaterni opere quadro; sic per istud Opus, fiunt homines quadrati in virtutibus Cardinalibus, vt sint aptiores ędificio cœlesti. Item habilitantur res diuersæ, vt fiant aptæ coniunctioni in vnum, vt patet in cæmentarijs; sic per istud Opus, fiunt diuersi

diuerſi, vnum in Domino. Item per REGVLÆ applicationem relinquuntur in pargameno diuerſæ lineæ rectæ & multæ; ſic per iſtud diuerſæ virtutes in homine, quæ nihil aliud ſunt, quàm lineę rectæ, quia Virtus eſt qualitas mentis, quâ rectè viuitur, vnde omnis virtus eſt quædam rectitudo. Item ſicut ſcriptor, qui de REGVLA non curat, frequenter diſtortè ſcribi; ſic Religioſi REGVLAM negligentes, diſtortè viuunt. Item, ſicut ex applicatione REGVLÆ, quandoque res quæ videbatur recta, apparet plana: ſic procul dubio, ſi diligenter vita multorum ſub hac REGVLA degentium ipſi REGVLÆ conferatur, apparebit diſtorta, pluſquam antea crederetur. Secundo etiam modo poteſt dici REGVLA, quia ſicut Regula in ſcientijs docet artem ſciendi; ſic iſtud Opus artem viuendi. Et ſicut per Regulam regit ſe quis in ſcientia, ita per hoc Opus in vita. Et ſicut habet Regula exceptionem, ita REGVLA recipit diſpéſationem. *Sed hæc in præſentiarum ſatis ſunto. Tu bone Lector, conatibus meis faueto & ſi quid humanitùs à me peccatum aduertis, candidè moneto. Ita valeas.*

# SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum &c. Rex Catholicus diplomate ſuo ſanxit, ne quis P. F. PROSPERI STELLARTII librum inſcriptum: *Fundamina & Regulæ Omnium Ordinum*, præter ipſius voluntatem intra ſexennium imprimat aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaleſúe habeat. Qui ſecus faxit, præter librorum confiſcationem, aliâ pœnâ in Priuilegio taxatâ mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XIIX. Iunij ∞. IↃC. XXV.

Signat

LE COMTE.

Tibi BALTAZARO BELLERO permitto vti librum hunc meum inſcriptum, *Fundamina & Regulæ Omnium Ordinum*, typis tuis excudas ac diuulges. Et ne quis alibi alius, præter te, ididſum faciat, cupio, ſiue iubeo ex lege quam dixit meus Rex

*F. PROSPER STELLARTIVS.*

# APPROBATIONES.

HIc liber à Reuerendo P. Prospero Stellartio ex varijs Auctoribus studiosè collectus, cui titulus est: *Fundamina & Regulæ Omnium Ordinum Monasteriorum*, propter varietatem rerum quas continet, lectu periucundus est, vt pote ob oculos ponens antiquissimorum sacrorum ac Religiosorum Ordinum ortum, mores, & instituta, vsque ad præsentis temporis ordines, quos in Ecclesia Dei cernimus; nec dubium quin Lectoribus multam adferet vtilitatem: Proinde emitti in lucem poterit. Duaci die 19. Aprilis 1626.

*IACOBVS POLLET S.THEOL. DOCTOR, & Regius ordinariusque Professor.*

---

R. P. Prosperi Stellartii Ord. Erem. S. Augustini, per Inferiorem Germaniam Visitatoris Primarij volumen inscriptum: *Fundamina & Regulæ Omnium Ordinum*, legi, probaui, & prælo dignum censui, cùm ad illustrationem antiquitatum asceticarum plurimum conferat, nihilque contineat, quod fidei Catholicæ aduersetur. Duaci die 12. Iulij 1625.


*IOANNES GALLEMART S. Theol. Doctor & Professor.*

---

## LICENTIA SVPERIORIS.

PErmitto vti R. P. F. Prosper Stellartivs prouinciæ nostræ Coloniensis Visitator Primarius, prælo committat volumen suum inscriptum: *Fundamina & Regulæ Omnium Ordinum*, quod Regio diplomate & Doctoris Theologi censurâ munitum ac probatum satis nobis constat. Datum Bruxellæ 29. Octob. 1625.

*IOANNES NÆVIVS Prouincialis.*




# REGVLÆ

*QVAS HOC OPERE COMPLECTOR.*



F. Prosperi



# F. Prosperi Stellartij

# FVNDAMINA *ET* REGVLÆ

## *OMNIVM ORDINVM* MONASTICORVM ET MILITARIVM.

## CAPVT PRIMVM.

*Aliquot vmbellæ religiosi status in lege naturæ & Moysis. Instituta Enos perpenduntur. Vestalium Virginum fundamina velut ex conducto disquiruntur, & ad vxorem Patriarchæ Noë reuocantur. Nazaræorum, Pharisæorum, Rechabitarum, Elianorum, Oßenorum, aliarumq; Iudaicæ gentis Sectarum Origines exponuntur.*

MAGNVS Hebræorum Legislator Moysēs protoplasti parentis nostri Genesim describens, *Cognouit Adam*, inquit, *vxorem suam & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth, dicēs: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn. Sed & Seth natus est filius quem vocauit* ENOS: ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI: Itane cœpit ENOS inuocare nomen Domini, cuius aris ante annos plus * centum

*Locus Gen. 4 discussus & explanatus.*

ENOS VMBELLÆ MONASTICÆ INSTITVTOR.

* *Iuxta cõ-*

putum Tor- obtulerat Caïn *de fructibus terræ munera*, Abel verò *de primoge-*
niel. in Ann. *nitis gregis sui & de adipibus eorum*? Quin etiam, si Cabalistis fi-
pag. mihi
65. & 68. dimus, Adam ipse sacrificauit Domino,* *Vitulum nouellum cor-*
Cap. 4. Gen. *nua producentem & vngulas:* eum ipsum, scilicet, qui non na-
vers. 3. & 4.
* Rabbinorū tus, ast creatus caput & *cornua*, priùs quā pedes & *vngulas* exe-
sensus in ruerat limo. Quis igitur prælibatæ Geneseos scripturæ sensus?
vers 32. Ps.
68. Auctores * equidem grauissimi censent ENOS instituisse *prælu-*
* Vide Tho. *dium* quoddā vitę perfectioris & MONASTICÆ. Quam in senten-
Wald. lib. 3.
Doct. fidei tiam totus acclinis Bellarminus agens de Monachis: *Dicimus*
ar. 1. c. 1. & *primùm* VITAM RELIGIOSAM *adeo esse antiquam vt quædam eius*
Corn. à Lap. ADVMBRATIO *fuerit* IN LEGE NATVRÆ, *ante Diluuium: maior quæ-*
in Gen. pag.
mihi 91. *dam expressio in lege Mosis: perfectio autem Apostolorum tempore.*
Bellar. lib 1. *Habemus imprimis Gen. 4. de* ENOS: ISTE COEPIT INVOCARE NO-
de Mon. cap.
1. pag. mihi MEN DOMINI. *Ex quo loco colligunt auctores hunc* ENOS *instituisse*
1512. PECVLIAREM ALIQVEM CVLTVM ET SVBLIMIOREM QVAM ESSET RELIGIO VVLGI, *nam ante* ENOS *certè etiam Adam & Abel & Seth Deum inuocauerunt; & tamen iste dicitur primus cæpisse inuocare nomen Domini*. Subfragatur præfato Cardinali Torniellus super institutis ENOS pluribus edisserens: *Possu-*

Torniel. in *mus satis verisimiliter contestari tunc primùm (sicuti postea circa*
Annal. sac. *initia reparati Orbis, in primitiua scilicet Ecclesia multo perfe-*
& prof. ad
an. 236. nu. *ctius factum est)* INSTITVTOS *fuisse* SPIRITVALES *quos-*
4. pag. mihi
69. *dam* CONVENTVS, *& quasdam deuotas precationes, puta psalmos, aut hymnos in summi Dei laudem certis temporibus & locis piè cultis communiter recitandos, &c.* Atque huiusmodi cultus sectatores, illius tempestatis fuisse Religiosos quodammodo possumus adseuerare.

PATRIARCHA NOE CASTIMONIAM COLIT ET COMMENDAT.

Quid quod prouidus futuri Dominus Deus, quàm gratam ratamque foret habiturus aliquando CASTIMONIAM, præsagâ præuiaque demonstratione ipso Diluuij tempore voluisse videtur ostensum mortalibus? Eius namque iussu factum esse autumant quòd secretis inuicem sexibus, *ingressus est Noë*
Gen. cap. 7. *& Sem & Chā & Iapheth filius eius: vxor illius & tres vxores*
vers. 13. *filiorum eius cum eis, in arcam*. Siquidē D. Hieronymus antiquitatis

tis indagator acuratiſſimus, inuehens aduerſus Iouinianum hominem monaſticæ caſtitati infenſiſſimum, Arcam illam, iuxta Apoſtolum Petrum, typum Eccleſiæ fuiſſe contendit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt: quam ingrediens Noë & filij eius, ab vxoribus ſeparantur: quando verò egreditur in terram, iunguntur paria: vt quod in Arca, id eſt, Eccleſia, fuerat ſeparatum, in mundi conuerſatione societur. Facit huc ad ſenſum noſtrum Iacobus Middendorpius Academiæ Colonienſis Procancellarius & Rector: *Noachus*, inquit, *quia noui orbis inſtaurator & parens eſſe debebat, qui verã Religionẽ & priſcã* RELIGIOSORVM *Sethinorum pietatem*, CONTINENTIAMQVE, *filios et poſteros ſuos doceret, idcirco admirabili Deus cõſilio vſus eſt, quãdo in ſalutarẽ illam nauim, ingredi iuſſit viros à mulieribus ſeparatos.* Cui quidem veritati videntur aſſentiri Doctores paſſim omnes, tam Chriſtiani quàm Hebræi. Et hi quidem ex hoc Noacenæ familię in arcam acceſſu, legem ſuis indixerunt, ne in alio quouis nauigio ad hanc vſque diem, coniuges vllo modo maritali licentiâ coïrantur. Quin etiam canibus aut felibus id in naui factitare, aut ab eis fieri permittere, grande piaculum autumant. Cautionis huiuſce fundamen habent fabellam riſu explodendam: adfirmant enim Cham, canem & coruum, cum comparibus ſuis in arca coiuiſſe, præter & contra præfatum Dei præſcriptum. Nec impunè, cùm exinde eorum primus ex alba pelle, nigranti ac Æthiopicâ donatus ſit: canis verò quoties ſit incubus toties fœdo quodam glutino ſuccubæ colligetur: coruus porrò, ſemen ore reddat & accipiat. O delirantium fidem!

*——— credat Iudæus apella,*
*Non ego.* . ———

Sed obmiſſis fœtutinarum huiuſmodi cauillis, audiamus Chryſoſtomum CASTITATEM quaſi VOTIVAM Patriarchæ Noë deprædicantem: Cùm enim retuliſſet hiſtoriam Moſis, præfatumq; ſecundi mundi propagatorem, trecentos, quinquaginta annos generali cataclyſmo ſuperuixiſſe, ſubiungit: *Neque hoc putes*

*Hieron. contra Iouinianum.*
*Vide etiam Petrum Comest. cap. 33. in Genes.*
*Middend. li. 1. Hist. Monast. cap. 1. pag. mihi 4.*
*Hoc institutum habeo ex ore proprio Rabbi Ioseph. Mourdakai.*
*Chrysost. homil. 29. in*

Genes. Vide etiam Pererium li. 14. in Gen.

*putes absque causa assignasse scripturam, sed vide & hoc loco Iusti* CONTINENTIAM: *quia tantâ cum frueretur vbertate & prosperitate, superuiueretq; tanto annorum numero, post egressum ab arca, noluit vltra indulgere puerorum procreationi. Nec enim commemorat scriptura illum alios præter tres istos pueros habuisse, &c.* Nec etiã hoc loco sunt audiendæ næniæ Rabbinorum quorundam adserentium, quòd Cham præfatus paternæ nudinati haud solùm insultarit, sed & eum temulentum ac nudum magicis artibus sterilem & ad prolificandum inhabilem reddiderit.

Operepretium mage fuerit, audire præfatum Middendorpium, in rem nostram ex antiquitatum penu, fide non indigna depromentem: *Tandem,* ait, *Noachus Semi filij sui primogeniti posteros aliquot,* RELIGIOSOS *fecisse creditur, Vnde versus:*

Semi, Iapeti, Chami posteritas.
*Tu supplex ora, Tu prodige, Tuque labora:*

*Certisq; temporibus reliquos omnes, vt rectius Deo seruirent, ab vxoribus promiscuè iussit abstinere. Id quod non tãtùm Semi posteritas in Asia obseruauit, sed prisci etiã Ianigenæ qui ex Iapeto originẽ duxerunt in Europa (etsi veram rationẽ, cùm varijs superstitionibus & idololatriâ essent deprauati, nõ intelligebãt) longo tempore retinuerũt.*

Fenestella de Sacerdotijs Rom. 3. c. 1.

Probat autem hoc ipsum ex Fenestella scriptore Romano nõ indiligenti, qui de Hercule ac eius vxore loquens: *Erant,* ait, *duo parati coniugibus lecti, eo quòd postridie Libero patri rem diuinam facturi, erant seorsum concubituri.* Neque verò fallitur Middendorpius quando progeniem Iapeti *Ianigenas* appellat. Aduertit enim scriptor haud inaccuratus, patriarcham ipsum NOE, (vt alia eiusdem varia nomina taceam) IANVM etiam ab inuentione vini vocatum esse, vinum enim Hæbraicè *Iain* dicimus, & ab hoc nomine Latini olim antiquissimi, IAINVM nominauerant inuentorem vini, quem recentiores contractis per crasim literis *Ianum* dicere maluerunt. Et hic ipsus ille *Ianus* est quem Bifrontem pagana finxit antiquitas, non aliâ ratione, nisi quòd vnâ facie secula diluuium antecedentia, alterâ vero subsequentia videre meruerit. Iuuabit hoc expressum audire versibus Mantuani Poëtæ:

*Ianus*

*Janus hic vt perhibent clara de stirpe gigantum*
*Maximus ille fuit* NOE, *qui sæcula Pyrrhæ,*
*Deucalionæos fluctus præcessit & vndas*
*Ogygias: tantum nobis antiquior ille est.*
*Iste igitur, quando terras absorbuit ingens*
*Alluuies, monitu Diuum reclusus in alto*
*Nauigio, cum prole sua se credidit austro.*
*Ast vbi iam posito tumidum mare concidit æstu,*
*Suppleuit genus humanum, missisque colonis*
*Ad triplicis mundi fines extremáque regna,*
*Per mare Tyrrhenum vectus, Tyberina petiuit*
*Ostia, & ascendens vbi nunc est Roma, locauit*
*Tybridis ad ripas Etrusco in colle Penates;*
*Et post fata, sui collem mensemque reliquit*
*Nominis hæredes, quod non abolebitur vnquam.*
IANVS *ei cognomen erat de nomine tractum*
*Assyrio* IAIN, *vinum dixere Latini:*
*Ipse etenim primus vitis viníque repertor*
*Fertur, & id talis nomenclatura docebat.*
*Sed* IAINVM *primi qui rectius illa sonabant*
*Nomina, dixerunt: mox litera tertia prisco*
*Pulsa loco, fecit fraudato nomine* IANVM.
*Fingitur esse biceps, quoniam duo secula vidit:*
*Vnum quod plunijs auctum mare sustulit: vnum*
*Quod successit aquis:*

IANVS FVIT NOE.

*Baptista Mant. in Ianuar.*

*Noe vocatur Ianus ab inuentione vini quod Assyrij appellant Iain.*

Marlianus tamen ab inuentione domorum sic appellatum censuit: quarum ingressus *Januas* vocitant: quod vel *Claues* eidem adfictæ declarabant. Nec eo dumtaxat nomine nuncupatum reperimus, sed alijs insuper mille, ob caussas totidem, indigetarunt. *Chaos* enim dictus est, quia semen hominum fuerat ab aquarum clade, sicut chaos primum rerum semen orbe nascente. Vnde Ouidius loquentem *Janum* inducit his verbis:

*Me chaos antiqui (nam res sum prisca) vocabant;*
*Aspice quàm longi temporis acta canam.*



Ab vsu

Ab vsu nauigandi *Gallum* dici etiam placuit: voce quidem ab Hebræis deductâ, qui vndam ac inundationem, *gallim* עלים vocent. Vnde fortassis triremes appellamus idiomate vernaculo *galleres*; Itali *galere*: Hispani *galleras*. Bacchum item nominabant, sicut Eustathio placet, ἀπὸ τ̃ βακχεῖν, à vociferatione Mœnadum eius. Addam etiam à Luciano censeri fuisse primum artis bellicæ ducem: vnde Martis ei nomen à quibusdam inditum: Ideoque non malè, castra eius reperiemus apud antiquos casta. Certè enim si de sacrificijs huiusce Martis sermocinemur, plusculis antea diebus ad ea castè homines præparatos, docet hæc Prisci proconsulis oratio: *Notum sit omnibus vobis, ciues Chalcedonenses, vt bis octo diebus purificatio fiat & nono die immolemus magno Deo Marti.* Ad quem morem fortassis adlusit Satyricus:

*ac. Midd. Monast. Hist. cap.*

*Iuuenal. Sat. 6.*

*Ille petit veniam, quoties non abstinet vxor*
*Concubitu, sacris obseruandisque diebus;*
*Magnáque debetur violato pœna Cadurco.*

*Plutarch. in vita Numæ.*

Sed in nominibus huius magni Patriarchæ plus satis inhæsum est, quibus quasi delineationibus penicillo quauis pagano, obscuroque colore ductis, aduertimus communi sensu creditum, sanctissimum Patriarcham Noë, pietatis cultorem maximum, insolitæque religionis amatorem fuisse, qui sibi commēdatam à Deo CASTITATEM pro mandato coluerit, sed & posteritati suæ miris modis verbo mandarit & exemplo proprio commendarit. Nunc ad vxoris eius instituta, sancta, religiosa, monastica, tantùm non christiana, mentem & calamum conuertamus.

VXOR NOE VESTA dicta, VIRGINES VESTALES INSTITVIT.

Quemadmodum veteres varijs nominibus præfatum Patriarcham indigerauere: sic eius vxori varia indidere nomina, cùm tamen sacrarum literarum testimonio, nullius certi nominis eius nobis constet appellatio. Primùm itaque *Aretiam* siue Terram nominauere, eo quòd mater omnium hominum, noui post cataclysmum Orbis extiterit. Sicut enim Cœlum & Terra omnia producunt, ita primos instaurati mundi parentes

tes NOE videlicet & vxorẽ Cœlum & Terram haud immeritò dixere. Vnde sempiternam & immortalem tantæ viraginis memoriam dignè celebraturi, vnam de XII. ciuitatibus quas primi Italiæ coloni *Janigenæ* dicti, fundauerũt, ab ipsius nomine *Aretium* vocasse referuntur. Cur verò VESTAM siue ESTAM alij nuncupauerint, seriò nobis disquirendum, tanquam subiectæ materiæ nucleus. Scripturâ quidem sacrâ expressum est, quòd Noë post Diluuium Deo seruatori gratias acturus, cum vxore & liberis obtulit sacrificium succenso ad aras igne, quem Ouidio teste *vestam* dicebant antiqui: *Volunt alij terram dici vestam quasi suâ vi stantem. Vnde Gorropius putat Vesta nomen esse cymbricum,* **Da est/** *quod significat stabile omnium rerum fundamentum. Magist. hist. cap. 35. in Genes.*

*Nec tu aliud* VESTAM *quam viuam intellige flammam.*

Et quia sacrifcium eiusmodi cum holocaustis apprimè grata Domino extiterant, verisimile viris eruditis factum est, quòd optimi parentes posteros suos vt crebro sacrificarent admonituri ignem à se repertum, & ad hanc rem necessarium diligenter tradiderint. Nam egregium Palladium Vetuloniæ in Italia Noë & Vesta sempiterno igni conseruando extruxisse leguntur: cuius certissima hactenus argumenta extare probat Annius, sacros nimirum cineres & Ethruscis literis descripta monimenta. Altare autem illud in quo sacrificauit ex octo lapidibus eum construxisse quidam adfirmant, propterea quòd octo homines Deus in arca seruasset. *Ad eius vero sacri ignis custodiã* (vt alienis verbis vtar) VESTA *suadente vel permittẽte* NOACHO, VIRGINES *legisse creditur, vt* VIRGINITATEM *&* SANCTIMONIAM *diuino cultui imprimis conuenire declararet, quia ignis pura sterelis & incorrupta natura est. Vnde Ouidius:* *Iac. Midd. lib. 3. acad. pag. mihi 463.*

*Nataque de flamma corpora nulla vides:*
*Iure igitur* VIRGO *quæ semina nulla remittit.*

Quòd verò igni sacrificijs deputato virgines custodiæ peruigiles præfecerit, haud adeò mirum videbitur ei qui Mosem cogitauerit datâ lege sacerdotibus præcepisse, quatenus ignem in altari perpetuum & alerent & conseruarent. Quid, quod Deus ipse *ignis consumens* appellatus, quique in ardente rubo apparuerat, postmodum homo factus, ignem venit mittere in terram *Deut. 4. 24.*

ram

ram quam effectu quodam planè demirando collustrauit, quando congregatis Apostolis & Discipulis in cænaculo grandi strato,

> IGNIS *vibrante lumine*
> *Linguæ figuram detulit,*
> *Verbis vt essent profluі*
> *Et caritate feruidi.*

*Lactant. lib. 7 cap. 9. Rhodig. l. 15. lect. antiq. cap. 15.*

Disertissimus ille Christianorum Cicero Firmianus, quem ab eloquentia plane lactea Lactantium appellauere, cum Cœlio Rhodigino perillustri antiquitatũ indagatore, idcirco Vestam *Virginibus* posterisque suis ignem conseruandum tradidisse putat, quòd cœlestis æthereaque natura eius sursum semper vergens, certissimum immortalitatis argumentum esset: proptereaque perpetim cogitarent nihil minùs hominem, qui solus ex omnibus animantibus eo vtitur, decere, quàm se deorsum, contra naturam suam, abijcere vt bestiam, ac terrenas corporeasque voluptates Deo Creatori suo propriæque saluti anteponere & sempiternas tenebras luci perfectissimę præferre. Quamquam ergo NOE Vestæque institutio fidelis admodum ac pia fuerit, totâ tamen in delirium paganorum conuersâ posteritate, ille Deus, & ipsa Dea postmodum haberi cœpere: adeo verum illud Prudentij:

*Prudent. lib. 1. contra Symmachũ.*

> *Vt semel obsedit gentilia pectora Patrum*
> *Vana superstitio, non interrupta cucurrit*
> *Ætatum per mille gradus: tener horruit hæres*
> *Et coluit quidquid sibimet venerabile cani*
> *Monstrarant atauí* ———
> ——— *Longum processit in æuum*
> *Mos patrius: cœpit falsæ pietatis imago*
> *Ire per ignaros nebuloso errare nepotes.*

Vt cætera numina silentio prætercam quæ nebulosis erroribus obducta dęmon ille nebulo populis incautis adoranda proposuit, ecce inquam nobis ante oculos ignem Vestalem VESTAMQVE ipsam, cui celebres & antiquissimos CONVENTVS sacer-

ſacerdotes & SANCTIMONIALES cum ſacrificijs deuouentur in Italia. *Conuentus* antiquiſsimos dixi, quales vel ipſe Numa iam inſtitutos reperit. Imo verò fuiſſe illas Lauinij & Albæ ante Romam conditam dubium eſſe non poteſt, cùm Æneas VESTÆ ſacra vna cum Penatibus & Palladio ex Troya in Latium tulerit, & condito Lauinio Ædem VESTÆ inibi ſacrauerit, cui deinde Aſcanius etiam conditâ Albâ longâ Templum in monte Albano extruxit. Præterea hiſtoricis omnibus planum eſt, Rheam Siluiam Romuli matrem à Numitore patruo virginem VESTALEM creatam, & in ſacerdotio perſtitiſſe donec à Marte vitiaretur; vnde Romulus, teſtante Dionyſio lib. 2. nullas VIRGINES VESTÆ ſacerdotes inſtituit memor materni dedecoris, quæ inter illius miniſteria caſtimoniam virginalem amiſerat. Fecit id igitur Numa Pompilius qui ei Templum extruxit, VIRGINESQVE caſtas & VOTIVAS adlegit, quæ ſacrum ignem priſco ritu cautè conſeruarent: quarum inſtituta, Regulas & vota planè monaſtica (tantum non Chriſtiana) alibi ſtilo proſecuti ſumus. Quid adtamen vetat & hîc quædam repetere? non ſanè fauor & gratia lectoris eruditi, non ipſe libri mei contextus; quæ quidem ne quid operi deſideretur calamum ſcribentis eò vocitant.

*Aulus Gell. li. 1 ca. 12. Pompon. cap. 6. L. Feneſtella cap. 6. de ſacerd. Romanis.*

*Vide Opuſc. noſtrum de Coron. & Tonſ. lib. 1.*

Virgines igitur quæ Veſtæ ſacris operarentur in Italia quatuor initio fuere: & ius optandi eas penes Reges eſſe Numa voluerat, poſtea tamen propter ſacrificiorum multitudinem, ad ſenarium numerum auctæ à L. Tarquinio Priſco. Demum lege Papiâ cautum fuit, vt arbitratu Pontificis Maximi, viginti è populo Virgines legerentur, ſortitioq́; fieret ex hoc numero in concione: ſed ea lex paulatim exoleuit, ſatiſq́ue ei electioni fieri ceptum eſt, ſi quis honeſto loco natus Pontifici Maximo ad iſtud ſacerdotium filiã ſuam offerret, cuius dumtaxat, ſaluis obſeruationibus, ratio religionis haberi poſſet. Has igitur Virgines Pontifex Maximus inſtituebat, apprehenſaque manu, velut bello captas, abducebat à parentibus, ſub quorum poteſtate erant: vnde apud antiquos ſcriptores, non

VESTALIVM NVMERVS.

*Ex li. 2. cap. 12 Rom. antiq.*

EARVM ELECTIO ET DELECTVS.

B tam

tam eligi quàm capi solere leguntur. Negabant verò capi fas esse minores annis sex, neque maiores decem: item quæ non esset patrima & matrima: item quæ linguâ debili sensuúe aurium diminuta, aliaúe quauis corporis aut animi labe insignita: item quæ ipsa aut quæ eius pater emancipatus sit, etiamsi viuo patre in aui potestate sit: Item cuius parentes, alter amboue, seruierint. Sed eam cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt: Item cuius pater flamen aut Augur aut Quindecimuir sacris faciundis, aut qui Septemuir Epulonum aut Saluis sit: Sponsæ quoque Pontificis & Tibicinis sacrorum filiæ, vacatio à sacerdotio isto tribui solebat. Præterea Capito Atteius scriptum reliquit, neque eius legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet, & excusandam eius qui liberos treis non haberet. In libro primo Fabij Pictoris, quæ verba Pontificem Maximum dicere oporteret cum virginem capiebat, hanc habemus: SACERDOTEM *Vestalem, quæ sacra faciat, quæ Ious ciet, Sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibusq; vti quæ optima lege fiat, ita te* AMATA CAPIO. Amatæ quidem inter capiendum vocabantur omnes, quoniam quæ prima à Romulo siue Numa capta fuit, Amata vocabatur. Captæ vero & in Atrium Vestæ productæ statim sine vlla emancipatione & capitis diminutione, & patris potestate abibāt & ius faciundi testamenti adipiscebantur. Harum primaria ac quasi Abbatissa Mater, *Maxima* vocabatur. Earum præcipua cura, legi satisfacere, quam profert Cicero: *Virgines Vestales in vrbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.*

VOCABANTVR AMATAE.

*Alexand. li. 5 Genial. dierum ca. 12.*

Cæterum quanta authoritate pollerent apud omnes, præfatus eloquentiæ Romanæ Pater indicat Oratione illa quam pro M. Fontæo disertè, sicut cæteras, ad S. P. Q. R. habuit: hunc enim reum à iudicibus absoluendum esse, probare contendebat, *præsertim*, inquiens, *cùm virgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramq; iudicis & populi Romani fidem imploret, quæ pro vobis liberisq; vestris tot annos Dijs immortalibus*

MAGNI PLEBANT.

*Cicero pro Marco Fonteo.*

*bus placandis occupata est, vt ea nunc pro salute sua fratrisq; sui animos vestros placare possit: Cui miseræ quod solatium superest hoc amisso? Nam cæteræ fæminæ gignere ipsæ sibi præsidia, & habere domi fortunarum omnium socium participemq; possunt: huic verò virgini, quid est præter fratrem, quod aut iucundum aut charum esse possit? Nolite pati, Iudices, aras Deorum immortalium Vestæq; matris quotidianis Virginis lamentationibus de vestro iudicio commoueri: prospicite ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteæ laboribus vigilijsq; seruatus, sacerdotis Vestæ lachrymis extinctus esse dicatur. Tendit ad vos Virgo Vestalis manus supplices, easdem quas pro vobis Dijs immortalibus tendere consueuit. Cauete, ne periculosum superbumq; sit, eius vos obsecrationem repudiare, cuius preces si Dij aspernarentur, hæc salua esse non possent.* Sed neque silentio prætereundum est hoc illis priuilegij fuisse elargitum, vt si casu in quemquam incidissent qui ad lethum ageretur, necari eum non licuisse: verùm deierare Virginem oportebat, se non vltrò sed fortè, factam fuisse obuiam. Quoties autem è sacrario Vestæ exire eis contingebat, præibat lictor qui impuros de via semoueret, ferreaque sceptra, tanquam vrbis moderatoribus, præferebantur: Imperatores & Consules ipsi, si fierent obuiam, loco cedere solitum fuit.

Contra verò delinquentium Vestalium grauamina, paria decernebantur illatis honoribus. Nam si ignis earum negligentiâ tantùm extinctus semel esset, in obscuro loco nudæ cædebantur à Pontifice: & nequaquam eum accendere ab alio igni licebat, sed renouabant extinctum, flammam elicientes à Solis radijs puram & sinceram. Eam ad rem instrumenta quædam adinuenta, quæ Græcis σκαφῖα dicebantur: erantque excauata in modum turbinis rectanguli. Hæc si aduerso soli opponebantur fiebat vt radij solares in circumferentiam vndiq; incidentes, ad centrum omnes concurrerent: itaque & aërem tenuem redderent materiamque quæ leuissima siccissimaque instrumentis erat imposita, statim inflammarent: quia videlicet radij solares à corpore renitente ita cogebantur & constipabantur, vt naturam ignis acciperent. DELINQVENTIVM POENAE.

Huiusmodi Virgines sacerdotio fungi cogebantur annos triginta; quorum primis decem, *nouitiatum* agentes discebant ceremonias, subsequentibus decem ministrabant, reliquis totidem docebant. Quibus exactis nubendi potestas erat si voluntas adesset; sed quia parùm feliciter cesserat aliquibus, ideo destitêre, nuptiasque horruêre pleræque omnes. Quid si temporis interea quædam earum deuotæ castitatis impatientes, virginitatem suam pollueret? viuæ fossionis supplicij, rea damnabatur. Plutarchum audiamus ea de re differentem: *Iuxta portam Collinam intra vrbem est tumulus quidam terreus, in longum porrectus, aggerem Latini vocant: in eo domus subterranea non magna, in quam ex superiori parte descensus paratur, in eaq; lectus constratus, lucerna ardens paucæque eorum quæ ad vitam fouendam necessaria sunt, primitiæ reponuntur, vt panis, aqua, lac in vasculo, & oleum; tanquam nefas putent fore, si corpus summis consecratum sacrimonijs, fame pereat. Tum illam quæ supplicio est afficienda, lectica, impositam extra opertæ lorisq; reuinctam, ita vt ne vox quidem exaudiri possit, per forum vehunt: ei omnes viâ decedunt taciti, & ingenti cum mæstitia silentes transmittunt: neque est horribilius vllum spectaculum, aut dies, quam vrbs agat tristiorem. Vbi ad locum, quem dixi, lectica peruenit, lictores soluunt: At Principes sacrorum secreto quædam comprecatus, manibus ad Deos sublatis, antequam necessitati supplicij satisfaciat, obuelatam educit: & in scalis deorsum in domum deferentibus constituit: ita ipse cum reliquis Sacerdotibus reuertitur. Postquam damnata descendit, sursum gradus attrahunt, multaque supernè terrâ ingestâ, domus occulitur & complanatur.*

*Plutarchus in Numa.*

NOSTRAE SANCTIMONIALES VOCATAE VESTALES.

Denique primo huic capiti coronidem impositurus, quid caussæ fuisse commemorem vt auctores passim inter Christianos grauissimi, Sanctimoniales nostras etiam VESTALES appellare non grauentur? Cedo Romanis illis pietatem & veri numinis cultum: cætera planè cum nostris virginibus conuenient; CASTIMONIA, CAPILLORVM CONSECRATIO, VESTIS CANDIDA, VELVM IPSVM. Siquidem Alexander ab Alexandro notat, eas si quando sacra librarent vel rem diuinam facerent

rent eo cultu ornatuque vt erant VITTATAS peregisse. ALBVM tamen præterea VESTIMENTVM quod suffibulum vocabatur, OBLONGVM, & prætextum & QVADRANGVLVM IN CAPITE sumebant fibulaque subnectebant: tum castâ molâ & sale tuso in ollam fictilem misso, mox in aquam iniecto sacra faciebant, calcibusque fictilibus quas CVLVLLOS dicebant, Vestæ & Dijs libabant. In veteribus etiam nummis sic vestitæ, & sic libantes exprimuntur.



*Ex libr. 4. Antiq. Rom. cap. 7. pag. mihi 195.*

Nunc ad Hebræos Legisque Mosaycæ sectatores, descendamus. Fuerunt enim & Iudæis sui Religiosi: quos inter primi nobis occurrunt NAZARÆI, quorum vota, ritus, rasurã, Regulas & statuta per Moysen instituta fusiùs alibi demõstrauimus, quàm vt hîc crambe brassicaque recoctâ nobis sit opus. Ad RECHABITAS igitur venio, Religiosos vtique, qui meritis Nazaræos æquare valeant aut superare: si enim Nazarçorum quidam ad tempus abstemietati sese deuouerant, certè RECHABITIS ab instituto paterno resilire nefas semper fuit. Adde singulos & omnes non domos, sed tabernacula inhabitasse, nec agros aut vineas arasse, coluisse, plantasse. Iugum equidem duro durius, sed quia iuxta tritum vulgo prouerbium,

RELIGIONES IVDAICAE.

NAZARAEORVM.

RECHABITARVM.

——— *Leue fit quod bene fertur onus,* *Ouidius.*

oneri paterno, filij lubentes humeros supposuere. Onus pater-

num dixi, quia IONADAB filius RECHAB, posteris suis præfata tria perstrictè mandarat: *Vinum non bibere; sementem non serere vel vineas plantare; domos non ædificare vel inhabitare.* Hier. 35.

PHARISÆORVM. Præter Nazaręos ac Rechabitas fuerunt & alij Religiosioris vitæ sectatores: PHARISÆOS intelligo, qui licet agente inter mortales Christo, primæuis instituti sui virtutibus longum vale fecerant, reuera tamen eorum origo, Regulæ, professioque sancta fuere. Dicebantur autem PHARISÆI quasi *separati* quia à cętero populo veste, sensu, dogmatibusque deuiabant. Horum sequaces multi & inter eos Paulus Gentium Apostolus.

VIRGINVM TEMPLI. Ne verò sexus sequior religiosioris instituti laude careat, MVLIERES quasdam puellasque VIRGINES Templum Salomonis, quasi Monasterium aliquod incoluisse, docet in primis ANNA *Prophetissa filia Pahnuel de Tribu Aser, quæ vidua vsque ad annos* LXXXIIII. *non discedebat de Templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Luc. 2. In earum conuentu fuit & annos XI. Maria virgo. Inter eas etiam occultatus quondam legitur Ioas Ochosię Regis filius adhuc mammans, dum cruentatum Athaliæ gladium, alienis pedibus fugitaret.

ELIANORVM. De ELIA eiusque institutis, quid dicemus? Illum profectò moribundus Ochosias Rex Israël anno mundi 3138. iuxta calculum Tornielli, talem agnouit, *zona, veste, crine* à cæteris distinctissimum: audiens enim nuncios suos mortem sibi prædicentes secundum vaticinia viri qui eis factus obuiam fuerat, rogauit: Cuius figuræ & HABITVS est vir ille, qui occurrit vobis & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: VIR PILOSVS ET ZONA PELLICEA ACCINCTVS RENIBVS: Qui ait: ELIAS THESBITES EST. 4. Reg. 1. 8. Quis hinc non colligat Religiosum? COMA, CAPILLO, VESTEQVE singularem fuisse Rex agnouit eum, qui singulari quodam asceticæ Religionis adfectu, solitariæ vitæ cultor iuga Carmeli montis incolebat, præeratque gregibus Monachorum indidem Deo famulantium. Archimandritæ tam præclaro per aëra sublato succenturiatus

est

est ELISEVS, qui præmente locorum angustiâ, à montibus ad Iordanem descendit sibi suisque monasteriola quædam fabricaturus.

De OSSENIS quid dicam? nihil in præsentiarum. Ioannem Baptistam silentio nunc inuoluo. Reliquas etiam Iudaicæ Legis Sectas prætereo haud perfunctoriè discussas eo opere quod tribus libris distinctum inscribimus: *De Sectis & Ordinibus Religiosorum Paganorum, Iudæorum Christianorum, &c.* OSSENORVM.

---

## CAPVT II.

### *Religionis Votiuæ Status, in Apostolis à Christo primùm institutus.*



ANNO creati mundi 5229. vrbis conditæ 783. Eræ Cæsaris 59. Imperij Tiberij 15. Olympiadis CCII. I. Herodis 16. Coss. agentibus Robellio & Fusio Geminis, Christus Dominus Ω figurarum antiquę legis, & A nouæ, annum ætatis agens vnum & triginta, cùm ad perfectum nihil adduxisset lex, vera VOTIVÆ RELIGIONIS FVNDAMINA solidè iacit in conlectis à se Discipulis. Vnde si monastici Status primordia inspiciamus, velut à natalibus nobilitatem eius æstimaturi, procul dubio nec clariorem nec generosiorem vllius rei ortum esse posse dijudicabimus. Non enim ab homine, neque per hominem Monachismus mundo caput erexit, sed auctore Dei filio, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: qui inter reliqua salutis documenta, hanc quoque viuendi formulam, quo perfectiorem, eo certè diligentiùs & adcuratiùs suo primùm exemplo reliquit expressâ. Cùm enim Religio tribus VOTIS quasi totidem nexibus contineatur, apertissimis oculis videre est, singula ab ipso Domino in lucem probata, ad nos vsque & à nobis obseruanda dimanasse. TRIA RELIGIONIS VOTA ADSERVNTVR.

Et

Et de CASTITATE quidem, quis præter sordidastros aliquot hæreticos ambigat? Apostolis namque dicentibus: *Non expedire nubere;* subiunxit ipse Dominus: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim* EVNVCHI *qui de matris utero sic nati sunt: Et sunt* EVNVCHI *qui facti sunt ab hominibus: & sunt* EVNVCHI QVI SEIPSOS CASTRAVERVNT PROPTER REGNVM COELORVM. *Qui potest capere, capiat.* Ad cuius loci genuinam interpretationem antequam procedamus, dicendum nobis est, quòd ex eo perperam intellecto, vir alioquin eruditissimus Origenes, partes illas, quibus natura sexum à sexu secreuit, sibi penitùs amputarit: sic pueros & pueras tutò libereque in scholam admissurus, quòd ab euiratis eiusmodi ne suspitio quidem mali periculiúe possit oboriri. Hinc & Valesiorum sectariorum hęresis, mordicùs contestantium, necessariò castrandum esse hominem omnem qui Deo placere vellet & obsequi. Nec solùm verbis, sed exemplo quoque suis sectatoribus pręibant. Pręibant? imò verò quoscunque aduenas hospitio recipiebant, volentes, nolentes crudeli pietate mutilabant. Hoc erat Priapo litare, non Deo Opt. Max. dicenti: *Non occides*. Mortis enim periculum incurrere eos, qui sic eunuchantur, manifestant historiæ, præsertim illæ quæ crudelia Turcorum in Christianos seruos stratagemata complectuntur. Rursus nec hic scripturæ locus eos designat, qui simplici quodam voluntatis proposito à nuptijs abstinent, cùm illi verè EVNVCHI appellari nequeant, qui quoties libido suggessit nubere possint ac valeant. Eos igitur solum indicat, qui voto perpetuo maximè sollẽni, eam sibi libidinis ac nuptiarũ facultatem pro regno cælorum radicitus auulsere. In hunc sensum conspirauere sanctissimi, eruditissimique patres olim & hodie: quorum antesignanus hîc Epiphanius: *Quinam*, inquit, *hi fuerunt, qui se castrauerunt propter regnum! Quàm gloriosi* APOSTOLI *ac* MONASTICAM VITAM DEGENTES, *& deinceps* VIRGINES! Sed & paucis interiectis: *Post ipsos* APOSTOLOS, *quot millia in mundo* SOLITARIAM VITAM AGENTES, *& à* MONASTE-

LOCVS MATTHAEI XIX. DE CASTITATE, *malè* INTELLECTVS *ab* ORIGINE *& alijs.*

IMPIA CASTITAS VALESIANORVM HAERETICORVM.

Exod. 20. 13.

Epiph. hæres. 58.

NASTERIIS & VIRGINEIS CONVENTIBVS *huius certaminis gloriam abstulerunt* ? Qui quidem auctor, dum adfirmat *castrare seipsum propter regnum cælorum*, id esse, quòd MONACHI & SACRÆ VIRGINES FACIVNT, apertè docet Eunuchismum eiusmodi, non simplicem continentiam, sed castitatem voluntariam & votiuã significare. Adpositè etiã Hieronymus eo ipso huiusdem loci commentario: *Vnusque consideret vires suas, vtrum possit* VIRGINALIA *implere* PRÆCEPTA. Quænam verò præcepta virginalia, nisi obligatio non nubendi, quę, sine VOTO, nulla penitus æstimanda? Sed & itidem Doctor in Iouinianum insurgens, eos castrare semetipsos ait, qui Templum se Deo purissimum & holocaustum acceptissimum offerunt; vbi non solùm cœlibatum, sed cœlibatum Deo deuotum castrationem appellat.

*Hier. in cap. 19. Matth. 5.*

Adludit etiam in prefatum sacri codicis textum Augustinus, quando populum suum adloquens citatis Domini verbis [*qui potest capere capiat*] subiungit illicò: *Vos etiam qui hoc nondum* VOVISTIS, *si potestis capere, capite*. Sed & eodem libro ad marginem mihi citato, Sectarios æui sui nostrique seculi Nouatores votiuæ castimoniæ aduersarios perstringens: *Quid*, inquit, *veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit: Eos qui pioproposito ab vxore non ducenda se* CONTINVERINT, CASTRARE SE *propter regnum cælorum. Et contra, humana vanitas, impia temeritate, contendit, eos qui hoc faciunt præsentem tantummodò necessitatem molestiarum coniugalium deuitare, & in regno cælorum amplius quidquam cæteris nihil habere?*

*Aug. li. de S. Virginitate cap. 30.*

*Idem ibid. cap 23.*

ALIVS LOCVS MATTH. XIII. EXPLICATVS.

At ne solus hic nobis suppetat scripturę locus, faciet insignis illa similitudo regni cœlorum cum terra frugifera, cuius vna pars centesimum, alia sexagesimum, alia trigesimum fructum satori suo refundebat. Quâ quidem parabolâ, Cyprianus, Hieronymus & Augustinus, distingui docent meritum continentię Vidualis, & castimonię Virginalis. Vnde luce clarius adparet alteram alteri longè pręferendam ac proinde

*Cypr. de habitu Virgin. Hiero. lib. 1. cont. Iouin. Augu. de S. Virgin. cap. 44 & 45.*

VIRGINITATEM Dominico consilio, ambabus vlnis amplectendam. Quod enim Deus non præcipit, attamen commendat, reuera, commendando suscipiendum consulit. Ast vtrum fortassè continentiam eandem commendet tantùm, an non potiùs omninò colendam obseruandamque iubeat idem ipse Dominus, quando Discipulorum suorum *lumbos præcingi* mandat; dicant qui Scripturarum arcana altiùs penetrarint; sanè etenim, adtestante Gregorio: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per* CONTINENTIAM *coarctamus.* Et hæc quidem de CASTITATE Christi Discipulis Monachorum vtrique principibus commendatâ, iussâ, ac imperatâ dixisse sufficiat. Concludam hoc elogio Nanzianzeni:

Matth. 13.

Greg. Hom. 13. in Euāg.

Nazian in carmine de virgin.

*Salue* VIRGINITAS DIVINO TRADITA DONO,
*Mater inofensa vitæ, bona maxima fundens;*
CHRISTI PARS, *& Spiritibus sociata supernis.*

VOTIVA PAVPERTAS APOSTOLORVM.

Luca 10. Matth. 10. Luca 14.

VOTIVAM porro PAVPERTATEM Apostolos suos obseruare iussit Dominus his verbis: NOLITE POSSIDERE AVRVM, NEQVE ARGENTVM, NEQVE PECVNIAM IN ZONIS VESTRIS, & rursum: *Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta.* Denique: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* Itane, dicet aliquis, eò paupertatis redacti fuerunt Apostoli, vt *neque peram* neque *calceamenta* in pedibus, neque *pecuniam* in zonis, neque etiam crastini curam animo circumferrent? Senserunt id hęretici quidam *Apostolini* nomine, qui sub Bonifacio VIII. Pont. Max. suprafatam opinionem mordicùs defensantes damnati fuere. Eorum antesignanus & auctor Gerardus Parmensis, quem veluti Mystagogum sectatus est Dulcinus quidam Nouariensis, cum vxore sua criminis eiusdem conscia, aliique plures, qui malè tandem periere.

APOSTOLINI HAERETICI,

DE LOCVLIS IESV CHRISTI.

Augu. serm. 1. de Apost.

Præfatos igitur scripturæ locos interpretatus Augustinus scribit in hunc modum: *Ipse Dominus Iesus Christus loculos habuit in via, & ipsos Iudæ commendauerat (patiebatur quidem furem) Sed ego à Domino meo discere cupiens, dico: Domine patiebaris furem: vnde, habebas loculos, & erat vbi furem patereris: si non portares, nec ille inueniret*

*niret quod auferret.* Adpositè quidem notatum: nam & Apostolicum Collegium commune quoddam ærarium possedisse adparet, cùm veniente Domino ad ciuitatem Sichar, & apud fontem foris remanente, Discipuli eius oppidum ingressi, *abierunt vt cibos* EMERENT. Nec aliud indicant hæc verba Domini, quando pasturus sequacem populum in deserto, rogabat Discipulos: *Vnde* EMEMVS *panes vt manducent hi?* Vnde cùm Christus dixisset proditori œconomo: *Quod facis fac citiùs;* Nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. *Quidam enim putabant quia* LOCVLOS HABEBAT *Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis vt aliquid daret.* Quam in rem clarè admodum Venerabilis Beda: *Non hoc præceptum esse putandum, vt nihil pecuniæ reseruetur à sanctis, vel suis scilicet vel pauperum vsibus suggerendæ (cùm & ipse Dominus cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus alijsque indigentibus tribuens) sed ne Deo propter ista seruiatur, & ob inopiæ timorem iustitia deseratur.* Dicamus itaque legem illam, de non portando *sacculo, pera, pecunijs & calceamentis,* ad tempus tantum præscriptam Discipulis, quasi nouitijs in probationem exercendis: quę nec decore seruari, nec sine valetudinis discrimine ac Euangelicæ prędicationis iacturâ obseruari perpetuò poterat. Contentus itaque Dominus, tentasse Discipulorum suorum vires & animos famis, æstus, frigorisque patientes, factum mutat, & sancitam legem soluens, dixit eis: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Respondentibus autem: NIHIL. Subiunxit: *Nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram.* Quasi diceret: Imposterum ipsa possidete. quæ reuerâ sibi pauperibusque in communi postea possederunt.

Ioan 4. 8.

Ioan. 6. 6.

Beda lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Luca 10.

Luca 22.

Ad OBEDIENTIAM Apostolicam quod adtinet, eam illis indixit Dominus quando dixit: *Qui vult venire post me,* ABNEGET SEMETIPSVM, *& tollam crucem suam, & sequatur me.* Qua in abnegatione Doctores passim omnes, sed & ipsa Synodus Seno-

VOTIVA APOSTOLORVM OBEDIENTIA.

 nensis

Synod. Seno. decreto 9. nensis VOTVM OBEDIENTIÆ voluerunt intelligi. Nam, etsi in pręparatione animi *abnegare seipsum* pręceptum sit, quandoquidem pręfato Matthæi loco, addatur: Animam suam perditurum illum, qui eam voluerit saluam facere; tamen extra articulum necessitatis, abnegare seipsum perfectè, omnibus in rebus iudicium suum alterius iudicio, & voluntatem voluntati subijciendo, non est pręceptum. Ideo cuidam adolescenti dicitur in Euangelio: SI VIS PERFECTVS ESSE, *vade, vende omnia, &c. veni & sequere me*. At quia nobis hîc occurrit adolescentis illius mentio, nequeo quin eiusdem historiam pluribus ex Euangelista Marco retexam, cùm pręsertim illi vnico TRIA CONSILIA coniunctim proposuerit Christus, quę diuisim, vti ferebat occasio, Discipulis suis commendauerat: *Cùm egressus esset in viam Dominus, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciendo vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus. Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem. At ille respondens ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei:* VNVM TIBI DEEST: *Vade,* QVAECVNQVE HABES VENDE, ET DA PAVPERIBVS *& habebis thesaurum in cælo.* VENI ET SEQVERE ME. *Qui contristatus in verbo, abijt mærens, erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Iesus, ait Discipulis suis: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli, quàm difficile est confidentes in pecunijs regnum Dei introire! Faciliùs est camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis mirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? & intuens illos Iesus ait; Apud homines impossibile est, sed non apud Deum; Omnia enim possibilia sunt apud Deum. Et cœpit ei Petrus dicere:* ECCE NOS DIMISIMVS OMNIA, ET SECVTI SVMVS TE.

Matth. 16. Bellarm. li. 2. de Monach. cap. 11. Matth. 19. Marci 10.

In hoc sanè Adolescente, sicut aduertit Augustinus, illustre ad-

ſtre admodum religioſæ vocationis exemplar poſteris relictum eſt, eiuſque, quod euenire quotidie adſolet animabus ad hoc inſtitutum laciniendis. Primùm enim, quid illud eſt, quòd *Ieſus intuitus eum dilexit eum*, niſi quia eiuſmodi tam ſingulare beneficium deferatur eis dumtaxat, quos peculiari quodam dilectionis ocello, reſpicit Dominus? Quod autem ſubiunxit: *Vnum tibi deeſt*; idq; ei dicat, qui à teneris vnguiculis, cuniſque infantilibus præceptorum omnium adcuratus cuſtoditor extiterat, planè illicere eum voluit, cupiditate perfectionis, cuius pulchritudo per ſe mirum in modum amabilis claret.

Sequitur porrò perfectionis normula cum ſuo præmio: *Vade*, QVÆCVMQ; HABES, VENDE *&* DA PAVPERIBVS, *& habebis theſaurum in cælo*. Quid illi reſtet, qui quæcunque poſſedit in pauperum ſinus erogata diſtraxit? Vbi notandum quòd illud VENDERE eam abdicationem ſignificet quæ perpetua & irreuocabilis eſt futura. Denique duobus hiſce verbis [SEQVERE ME] tum OBEDIENTIÆ tum CASTITATIS includuntur CONSILIA, eius ore ſuggeſta, qui de VIRGINE natus nihil primum habuit, quàm vt patri fieret OBEDIENS VSQVE AD MORTEM.

Hanc igitur eandem perfectionis ſemitam, quam in futurum ſeculum malè ſibi conſultus adoleſcens, auerſis ſcapulis, contempſit, ſapientiſſimus quiſque Chriſti Diſcipulus ambabus vlnis arripuit. Anne etiam cum VOTO? iam adſeremus. Hoc enim Theologi verſatiſſimi, ac imprimis Aluarus Pelagius probatum iuere. Et hic quidem eo libro quem *De planctu Eccleſiæ* inſcripſit, multis rationibus in rem noſtrâm coniectis: VOTVM, inquit, *eſt Conſilium Conſiliorum, & forma & perfectio eorum; quia quodcumque ſit conſilium ſuper quod cadat, id eſſentialiter perfectius reddit & Deo acceptius*. Ex quo effici cenſet, vt ſi VOTO caruiſſent Apoſtoli, non futuros fuiſſe in apice perfectionis: ac potiùs eam abdicationem quam quotidie ineunt quilibet Religioſi, perfectiorem futuram fuiſſe, quàm illam Apoſtolorum. Quod quidem dictu temerarium eſt & impium. Addit

UTRUM APOSTOLI VOTA EMISERINT.

insuper dubitandum nequaquam esse, quin Apostoli, non solam rerum possessionem, sed etiam habendi voluntatem reliquerint, vt verè possent effari: ECCE NOS RELIQVIMVS OMNIA, quia hæc voluntas relinqui non potest, nisi per VOTVM; non enim renunciatur voluntati si pro libito eandem resumere liceat. Accedit quòd ipsi non imperfectiùs suis facultatibus renunciauerint, quàm iuuenis ille facturus erat, si Domini consilijs obaudiens omnia vendidisset: idem enim illi proponebatur institutum, quod iam antea Apostoli fuerant amplexi. At qui vendit, nihil sibi iuris aut dominij retinet in rem diuenditam; ergo nec Apostoli quidem in facultates olim suas. Vnde non sine caussa Scholasticorum Doctor, *Christo*, infit, *secundum se non cõpetebat vouere, tum quia Deus erat, tum etiam quia in quantum homo habebat firmatam voluntatem in bono, quasi comprahensor existens: quamuis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Psalmo* LXV. *secundum Glossam:* VOTA *mea reddam in conspectu timentium eum. Loquitur autem de corpore suo, quod est Ecclesia.* APOSTOLI *autem* INTELLIGVNTVR VOVISSE *pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti.*


D. Thom. 2. 2 q 88. art. 4 ad 3.

His & similibus Doctorum auctoritatibus maturè perpensis, pro me concludet Hieronymus Platus paucis hisce verbis: *Cùm constet* APOSTOLOS *&* PAVPERTATEM *&* CASTITATEM *&* OBEDIENTIAM *coluisse: insuper etiam has ipsas virtutes non liberâ tantum voluntate amplexos esse, sed ea per* VOTI *vinculum adstricta: quid est caussæ cur non ipsis posita* RELIGIONIS FVNDAMENTA, *&* AB IPSIS, CHRISTO AVCTORE, *hanc perfectionis præstantiam natam agnoscamus?* Et reuera ita factum decuit, vt tanti momenti Status, illorum dignitate & sanctitate decoraretur: vt & ipsi qui omnium magistri ac Doctores erant futuri, hâc quoque laude, in quâ tantum inest ornamenti, in omni Euangelica pulchritudine non carerent.

CAPVT

## CAPVT III.

*Apostolica communitas Hierosolymæ coalescit. Perpenditur Votifragium Ananiæ & Saphiræ, qui Sarabaitarum Monachorum parentes fuere.*



VEMNAM alium huiusce comunitatis testem producam, quàm ipsummet Historiæ sacræ scriptorem adsidum, cuius relatu, OMNES *qui credebant*, ERANT PARITER & HABEBANT OMNIA COMMVNIA: *possessiones & substantias vendebant & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat?* Nunquid adstante Chrysostomo, *Hæc erat Angelica respublica*, NIHIL DICERE PROPRIVM? *Hoc protulit primum germen nescens Ecclesia*. Vnde Sole clarius adparet, quòd quam communitatis ac fraternitatis formulam, tradēre Saluatore hauserant Apostoli, eandem impresserunt Ecclesiæ adhuc vtpote tenellulæ & ad omne sancti pneumatis spiramen flexili. Iuuat hîc audire beatum Iordanum de Saxonia, non illum quidem Ordinis S. Dominici Generalem qui anno 1236. in Palestinam profectus naufragio perijt, ast Instituti Eremitarum S. Augustini scriptorem pientissimum, *primam communionem*, vt vocat, *localis habitationis* Ecclesiæ primitiuæ prædicantem: *Ipse Christus* CONVENTVM *Apostolorum instituit*, REGVLAM *Euangelicam illis tradens: quam sanctissimam communionem Apostoli post Domini resurrectionem semper retinuerunt, & tunc etiam* COHABITARE IN VNVM CORPORALITER *incæperunt. Legitur enim in Actibus Apostolorum, quòd post resurrectionem*, VNDECIM APOSTOLI SIMVL HABITAVERVNT *in Hierusalem in * cœnaculo grandi strato, & erant ibidem omnes perseuerantes in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu. Omnes quidem tam Apostoli quàm alij Discipuli habitabant in illa parte Hierusalem quæ dicitur Mello, scilicet in monte Sion, vbi constituerat sibi Dauid palatium, & ibi* COENACVLVM *erat istud in quo habitabant* XI. *Discipuli. Cæteri verò Discipuli*

Lucas Act. 2.

Chrysost. in Act Apost. Homel. 7.

B. Iordan de Saxon. lib. 1. vit. fratr. cap. 2.

* Hoc non legitur in Act. Apost. habet vero id Magister historiarum, quod ipsemet insinuat paullò inferius.

*Discipuli & mulieres habitabant circumquaque per diuersa hospitia, vt dicit Magister in historijs. Et ibi in cœnaculo apparuit Dominus in die Ascensionis, præcipiens vt egrederentur in montem Oliueti: quod & fecerunt. Visa autem Ascensione Domini regressi sunt in Hierusalem, ad idem cænaculum, cohabitantes ibi vsque ad diem Pentecostes: & erant ibidem* CXX. *congregati, quando superuenit Spiritus sanctus. Ab hac igitur sancta cohabitatione Apostolorum in nouo Testamento, primò sumpsit exordium* COMMVNIO COENOBITICÆ DISCIPLINÆ; *quæ scilicet Apostolica communia successu temporis pullulauit.*

Exiguo sanè temporis spatio sic pullulauit, vt efficeretur qualem eam deprædicat Lucas his verbis: *Multitudinis credentium erat* COR VNVM *&* ANIMA VNA; *nec quisquam eorum quæ possidebant aliquid* SVVM *esse dicebant, sed* ERANT ILLIS OMNIA COMMVNIA.

Act. 4.

Constitutâ communitate tam amicâ, tam fraternâ, quid ad Monachismum hodierni temporis præter VOTVM requiratur, non video. Quòd autem ex VOTO communem hanc vitæ formulam constituerint, docet sanctus Augustinus, vbi dicit sese cum suis facere voluisse quod primos Christianos fecisse testantur Apostolorum Acta iam citata: & tamen ibidem sæpiùs repetit NEMINI licere in tali vita habere PROPRIVM, idque ex professione facta Deo. Sic enim loquitur de quodam presbytero suo, qui contra professionem, aliquid retinuerat, & inde moriens testamentum votifragus condiderat: *O dolor illius societatis! O fructus natus non de arbore quam plantauit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit hæredem. Nolo numerare ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam,* DEO SOCIETATEM PROFESSVS ERAT. *Hanc teneret, hanc exhiberet,* NIHIL HABERET, *Testamentum non faceret.* His ita pensatis, rectè admodum Hieronymus: TALIS PRIMÒ CREDENTIVM FVIT ECCLESIA, QVALES NVNC MONACHI *esse nituntur & cupiunt: vt* NIHIL *vsquam* PROPRIVM *sit, nullus inter eos diues, nullus pauper.* Adstruit idipsum Basilius de cœnobitis agens: *Hi liberatoris nostri eiusque vitæ dum inter nos versaretur, institutorum veri perfectiq; imitatores existunt. Quemadmodum*

Aug. serm. 1. de communi vita cleric.

Hieron. de script. Eccles. in Philone.

Basil. Const. Monast. cap. 19. pag. mihi 117.

*modum enim ille coacto Discipulorum choro*, COMMVNIA CVNCTA *seque ipsum communem Apostolis præbuit: item hi quoque antistiti suo obtemperantes (qui modò vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur.*

Quæri nunc velim an quisquis factus Christianus, collatis in communem vsum substantijs, ita viuere compelleretur? Minimè. Nam de Paulo Apostolo constat Corinthios per epistolam monuisse, sic eos indigentibus eleemosynas impertiri debere, ne esset nimis profusa largitio: *Non enim*, ait, *vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Quid ergo? Hæc sanè facta sunt ipso nascentis Ecclesiæ exordio, priuato quodam sancti Spiritus impulsu, multis quidem de caussis; atque imprimis vt excultioris vitæ quoddam posteris formaretur exemplum. Inde enim quotquot religiosiorem viuendi normam sunt amplexati & ad eandem viuendi rationem cæteros perfectioris vitæ cupidos instituendos susceperunt, formam sumpsisse noscuntur. Quid ad hæc impij Nouantes, qui in Christianismo sectantes Epicurismum, his licet Apostolorum doctrinâ & exemplo formatis atque firmatis, adhuc tamen perfrictâ fronte procaciq; animo non verentur in sanctas regulariter viuentium institutiones deblaterare atque furere? 2. Cor. 8.

Nunc propius aduertamus virium quidem PROPRIETATIS, in Apostolicam communitatem irrepsisse: sed & eandem egregiè per Apostolorum Principem explosam. ANANIAS ecce ZAPHIRAQVE coniuges, SOLVTO VOTO exanimes iacent. Sic enim vlciscente diuino numine sacrilegij reos esse mulctatos tum huius facinoris circumstantiæ, tum grauiorum Patrum testimonia nos edocent. Primùm enim quid sibi volunt hæc verba: *Fraudauit de pretio agri conscia vxore sua?* Quare, sodes, fraudasse dicatur, nisi rem iam obligatam promissione, furtim surripuisset? Quod autem rem non præceptam vouerint, patet hâc Apostoli iurgatione: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Denique VOTVM ipsum Deo, VOTIFRAGIVM ANANIAE ET SAPHIRAE.

non homini factum fuisse, testantur hæc verba: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum*, MENTIRI *te* SPIRITVI SANCTO, *& fraudare de pretio agri?* Quid enim est *mentiri Spiritui sancto*, nisi fidem illi datam sacrilegâ temeritate violare?

Chrysost. homel. 12 in Act Apost.

Accedat in hanc historiam Patrum consensus: *Quare*, inquit Chrysostomus, *hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere. Nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti. Qui enim aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit: tibi autem licebat tua retinere. Cur igitur sacra fecisti ea, & postea accepisti?* Suffragatur eidem sententiæ Hieronymus: *Ananias & Saphira dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo condemnati, quia post* VOTVM *obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea* VOVERANT, *partemq́; sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt*. Sed & Augustinus adpositè, sicut solet, horrendam huius tragi-comediæ catastrophen ob oculos suorum ponit: *Si Deo displicuit detrahere de pecunia quam* VOVERANT *Deo; quomodo irascitur quando* VOVETVR CASTITAS, *& non exhibetur?* Ac rursum: *Potest igitur, virgini Sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia:* VIRGINITAS *tua numquid non manens tibi manebat & antequam eam* VOVERES *in tua erat potestate?* Succenturiatur sanctus Fulgentius: *Quàm sit malum, quamque solicitè fugiendum, si quis de hoc, quod Deo* VOVERIT, *aut retinere, aut rapere aliquid mortiferâ præuaricatione pertentet, exemplo sunt* ANANIAS *&* SAPHIRA. Facit huc etiam Gregorius: ANANIAS *Deo pecunias* VOVERAT *quas postea, victus persuasione diaboli, subtraxit: sed quâ morte mulctatus est, scis.* Arator postremò succinit:

Hier. epist. ad Demetr. quæ est octaua primi Tomi.

Aug. ser. 10. aliàs 12 de diuersis in editione Louaniensi.

S. Fulg. epist. de debito coniugali cap. 8.

Greg li. 1. ep. 33. ad Venantium.

Arator lib. 1. in Act. Apost

————— *Mutata voluntas*
*Falsi crimen habet: cumque est iam cautio* VOTI
*Stare decet, nec velle prius violare sequenti.*

ORIGO MONACHORVM SARABAITARVM

Ioan. Cassia. collat. 18. ca. 7.

Denique, quod & historiæ nostræ monasticæ nucleum tangit, Ananiam & Saphiram SARABAITARVM Monachorum parentes facit Cassianus eorum mores exponens verbis sequentibus:

Emersit deterrimum & infidele MONACHORVM genus vel potius

potius noxia illa plantatio rediuiua concreuit, quæ per ANANIAM & SAPHIRAM in exordio Ecclesiæ pullulans, Apostoli Petri seueritate succisa est; quæ inter MONACHOS tamdiu detestabilis execrandaque iudicata est, nec à quoquam vlteriùs vsurpata, quamdiu illiùs tam districtæ formido sententiæ memoriæ fidelium inserta durauit, quâ beatus Apostolus prædictos noui facinoris principes, non pœnitentiâ, non vllâ passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit. Illo igitur exemplo quod in Ananiam & Saphiram Apostolica districtione punitum est, à nonnullorum contemplatione paulatim longa incuria & temporis oblitteratione subtracto, emersit istud SARABAITARVM genus, qui ab eo quòd semetipsos à cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate, SARABAITÆ nuncupati sunt, de illorum quos prædiximus, numero procedentes, qui EVANGELICAM *perfectionem simulare* potius, quàm in veritate arripere maluerunt: æmulatione scilicet eorum vel laudibus prouocati, qui vniuersis diuitijs mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem summæ virtutis affectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque vlla studiorum æmulatione festinant, cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subijciuntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti, suas discunt vincere voluntates, nec vllam sanæ discretionis Regulam legitima eruditione suscipiũt, sed ad publicam tantummodo, id est, ad hominum faciem renunciantes, aut in suis domicilijs sub priuilegio huius nominis ijsdem obstricti occupationibus perseuerant, aut construentes sibi cellulas, easque monasteria nuncupantes, suo in eis iure ac libertate consistunt, nequaquam Euangelicis præceptionibus succumbentes, vt nulla scilicet quotidiani victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli absque infideli dubitatione consummant, qui

cunctis mundi huius facultatibus absoluti, ita se cœnobiorum Præpositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius fateantur esse se dominos. Illi autem qui districtionem, vt diximus, cœnobij declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura atque Imperio gubernari, sed hoc præcipuè procurantes, vt absoluti à seniorum iugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quo placuerit euagandi, agendiue quod libitum fuerit, habeant libertatem, etiam amplius in operibus diurnis, quàm hi qui in cœnobijs degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide eodemque proposito. Hoc enim isti faciunt, non vt fructum sui operis subijciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias quas recondant. Inter quos quantum intersit aduertite. Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus. Isti verò non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatia infidelem sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus atque indumentorum sufficientiam præbere eis aut non possit, aut nolit. Illi hoc omnibus expetunt votis, vt ἀκτημοσύνην, id est, nuditatem omnium rerum paupertatemque possideãt, isti vt omnium copiarum affluentiam consequantur. Illi ob hoc certatim statutum transcendere canonem diurnis operibus elaborant, vt quicquid monasterij sanctis vsibus redundarit, vel carceribus, vel xenodochio, vel * nosocomio, vel indigentibus pro Abbatis dispensetur arbitrio. Isti vt quicquid quotidianæ superfuerit gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certè philargyriæ vitio recondatur. Postremò vt concedamus ab istis hæc quoque quæ non optimo proposito congeruntur, melius quàm diximus posse distribui, nec sic quidem ad meritum virtutis illorum ac perfectionis aspirant. Illi enim tantos monasterio redditus conferentes, eisque quotidie renunciantes, in tanta subiectionis humilitate perdurant, vt quemadmodum sui, ita etiam eorum quæ proprio sudore conquirunt, potestate priuentur, abrenunciationis primæ feruorem

* œconomo.

uorem; dum quotidie semetipsos laboris sui fructibus nudant, iugiter innouantes. Isti autem in eo ipso quòd aliquid pauperibus largiuntur elati, in præceps quotidie collabuntur. Illos patientia atque districtio, qua tam deuotè in hac quam semel arripuerunt professione perdurant, vt nunquam suas expleant voluntates, crucifixos huic mundo quotidie viuosque martyres facit; hos arbitrij sui tepor viuos ad inferna demergit. Hæc igitur duo genera monachorum in hac quidem prouincia æquali propemodum numerositate inter se contendunt. Cæterum per alias regiones quas me necessitas Catholicæ fidei compulit peragrare, istud tertium SARABAITARVM genus abundare ac propè solùm esse cognouimus. Temporibus siquidem Lucij qui Arrianæ perfidię Episcopus fuit, sub Valentis Imperio cùm diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaida fuerant ob catholicæ fidei perseuerantiam metallis Ponti atque Armeniæ * relegati, licèt cœnobiorum disciplinam in quibusdam ciuitatibus rarissimam viderimus. Anachoretarum tamen apud illos, ne ipsum quidem nomen auditum fuisse comperimus. Hactenus quidem Cassianus.

* delegati.

## CAPVT IV.

***Ordinis Canonicorum Regularium Fundamina ab Apostolis aut in illis primùm iacta: eiusdem insuper aliquot Progressus & encomia.***



VANDOQVIDEM ex præfatis manifestò constet Apostolos tribus votis adstrictos vitam communem collegialiter vixisse: quid caussæ est cur non & Religiosos ipsos fuisse & ab ipsis religiosum instituti clericalis canonem ac Regulam ortum suum duxisse fateamur & prædicemus? Idem æquè certo adfirmare licet de

CANONICI REGVLARES AB APOSTOLIS FVNDATI.

clero illius ætatis penè vniuerso, qui cùm ad Apostolorum exemplar effictus esset, ad eandem perfectionis formulam totus instituebatur. Hinc est quod optimo sanè iure Historiarum & antiquitatum optimi quique peruestigatores, Ordinem Canonicorum Regularium ab Apostolis velut à sua scaturigine deductum velint.

*Ludouicus Miranda in Manuali Prælatorum qu. 4. art. 13. pag. mihi 28*

Ludouicus Miranda: CANONICI REGVLARES *qui communiter D.* AVGVSTINI *nuncupantur, sicut vera & authentica narrant historiæ, ab Apostolis primùm suum trahunt ortum & originem. Sed postmodùm à D. Augustino eorum fuit institutum reformatum, & postquam ab antiqua, & Apostolica perfectione defecerat, pristinæ suæ integritati restitutum: quapropter ijdem D.* AVGVSTINI CANONICI REGVLARES *nuncupantur.*

*Ioan. Bapt. Confettius in summario priuil. li. 2.*

Ioannes Baptista Confettius: CANONICI REGVLARES ORDINIS S. AVGVSTINI, *dicti Lateranenses, ab* APOSTOLIS *primùm originem traxerunt, vt historiæ testantur: sed postmodum à B. Augustino huiusmodi Congregatio, Spiritu sancto dictante, diuinis Regulis decorata & illustrata fuit.*

*Pius IV. in Bulla data Romæ ann. 1564. 18. Iun.*

Pius Papa IV. *Canonici Regulares fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Augustino, quinimò à sanctis Apostolis institutis.*

*Polyd. Virg. de inuent. rer. li. 7 cap. 3. pag. mihi 514.*

Polydorus Virgilius, non tam opinionem suam quàm aliorum exponens, super hoc Ordine: *Iactitant illud* APOSTOLORVM *fuisse institutum; id quod Thomas Aquinas in suo opere secunda secundæ comprobat: quia illi, vt ait, post ascensum Christi in cœlum, in monte Sion, de genere vitæ deliberantes,* COMMVNIA *inter se* OMNIA *ac* TRIA VOTA *coram Deo statuêre. Ita, si Thomæ testimonium amplectimur; non tam* AB AVGVSTINO *est* ORDO *institutus, quàm* RENOVATVS, *cui tamen ob illud ipsum, non immeritò debet principium rei acceptum referri.*

*Auber. Mir. in Orig. can. Reg. præf. ad lectorem.*

Aubertus Miræus: *Canonicorum Regularium atque in communi viuentium Institutum,* AB IPSIS HAVD DVBIE APOSTOLIS *sumsit exordium: cuius quidem primus reformator S. Augustinus Hipponensis ex Africa Episcopus extitit, scriptâ Regulâ, quam successu temporis plurimæ familiæ seu Congregationes sunt amplexæ.*

Possidius

Possidius Augustini discipulus de eo ipso loquens: *Factus presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit: & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum & Regulam* SUB SANCTIS APOSTOLIS *constitutam: maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia & distribueretur vnicuique prout cuique opus erat.* *Possid. in vita S. Aug. c. 5*

Augustinus ipse audiatur clericorum suorum Institutum ad Apostolos clarè referens: *Quomodo viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de scriptura sancta multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Apostolorum lectio recitabitur; vt videatur vbi descripta sit forma quam desideramus implere.* *Augu. serm. 50. de diuers.* Legit Lazarus Diaconus quæ in Actis APOSTOLORUM scripta sunt; & inter alia: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quod paullò inferiùs habetur: Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Quibus lectis Augustinus eadem, & ipse repetijt, deque his ad suos præclaram orationem habuit.* *Act. 4.*

Totus in hunc neruum fuit Hieronymus Platus, à cuius lucernatione facilè nobis erit probare clerum Ecclesiæ primitiuæ planè ad id exemplar fuisse compositum, quod hodie RR. D. D. Canonici Regulares obseruare profitentur, maximè si *vota* quibus obligantur, dispiciamus. Ac de CASTITATE quidem non est dubitandum, quin in sacris ipsis ordinibus suscipiendis promitteretur: nam etsi aliqui initiabantur, qui vxores haberent; tamen, vt Medina, alijque multi confirmant, in eo quoque Apostolos imitari solebant, quos antea diximus & dicemus omnem coniugij vsum sibi sponte præcidisse. OBEDIENTIAM verò suo quisque spondebat Episcopo: cuius obligationis, tum alia inueniuntur vestigia, tum illud euidens, quod de B. Martino scripsit Sulpitius, Hilarium, cùm eius virtutem adamasset, quo sibi eum arctius implicaret, ac deuinciret, *Hier. Platus li. 2. de bono stat. Relig. cap. 23. pag. mihi 364.* *Medina lib. 2. de contin. c. 36.*

*Greg. regis epist. 74.* ret, hanc vnam rationem tenuisse, vt eum Ecclesiasticis ordinibus initiaret. Ac Gregorius etiam testatur, hunc morem Romæ fuisse suo adhuc tempore, vt quisquis semel in ea Ecclesia sacrum ordinem accepisset, egrediendi ex ea vlterius licentiam non haberet.

Et quidem hoc adhuc vtrumque in Ecclesiæ moribus remansit, vt qui ad ordines istos admittuntur, & solemni CASTITATIS VOTO obligentur, & eandem ipsi quoque OBEDIENTIAM diserte, atque expresse spondeant. Sed hanc vsus ipse iam multo laxius interpretatus est. Quoniam pauca sunt hodie, in quibus clerici prælato suo obedire coguntur; tum autem in omnibus, & perfectè. CASTITATIS vero idem est planè votum quod religiosorum, vt matrimonium non illicitum modo, sed irritum etiam, & nullum efficiat.

*Refertur 12. q.1.ca.Duo.* Superest PAVPERTAS, de qua, si præsentes inspiciamus mores, maior videatur difficultas; sin autem antiquos mores, nihil clarius. Vetus enim institutum fuit, vt clerici omnibus bonis, si quæ haberent, paternis cederent, nihilque suum possidere possent. Testatur hoc Hieronymus, qui hanc esse, ait, causam, cur ab ipso Ecclesiæ initio clericorum capita radi cœperint, vt significaretur depositio, vt ille ait, omnium temporalium: quia victu, & vestitu contenti, nihil proprium habere debent, sed omnia communia. qua de re pauca etiam tetigimus, eo opere, quod De Coronis & Tonsuris inscripsimus.

*Prosper li. 2. de vita contemp. cap. 9.* Testatur hoc etiam Prosper, antiquus auctor: ***Expedit***, inquit, ***facultates Ecclesiæ possidere, & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propria sunt, sed communes Ecclesiæ facultates. Et ideo quisquis omnibus, quæ habuit dimissis, aut venditis, fit rei suæ contemptor, cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator.*** Affert deinde exemplum S. Paulini, & Hilarij, quorum vterque paterna prædia diuendita pauperibus erogarant; ijdem autem Episcopi facti, facultates Ecclesiæ diligenter administrarunt. Quod autem communem vitam tenere

solerent,

solerent, tum hæc eadem ostendunt, tum Clementis Pontificis epistola, quam scribit Hierosolymitano clero, in qua ait: communem vitam omnibus necessariam esse, & ijs maximè, qui Deo militare cupiunt, & vitam APOSTOLORVM, eorumque discipulorum imitari.

*Refertur 12. q. 1. cap. Dilectissimis.*

Gregorius quoque ad Augustinum Anglorum Episcopum scribens, ita ei mandat, vt in Anglicana illa, quæ tum surgebat, Ecclesia, eam conuersationem inter clericos instituat, quæ *initio nascentis Ecclesiæ fuit* patribus nostris; in quibus nullus eorum de ijs, quæ possidebant, quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

*Greg. in resp. ad Aug. cap. 1. & 2.*

Denique extat etiam inter sacros canones Eugenij II. decretum, quo iubetur, vt *vnum* sit clericis *refectorium, vnum dormitorium*, ac cæteræ officinæ. Postremo quod his etiam omnibus *voti sponsio* adderetur, apparet ex epistola Vrbani Pontificis ad omnes Episcopos, vbi post alia clericos alloquens: *Quicunque vestrum*, inquit, *communem vitam susceptam habet, &* VOVIT *se* NIHIL PROPRIVM *habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino pollicitus est, diligenter custodiat, ne damnationem sibi, sed meritum acquirat: quia melius est non vouere, quam votum, quod melius est, non perficere*. Ex quibus omnibus hoc constare potest, aut omnes clericos, aut fere omnes æuo illo, eosque præsertim qui maioris perfectionis desiderio ducerentur, hæc tria vota suscipere solitos, ac quod ex eo sequitur, verè etiam religiosos fuisse.

*Refertur 12. q. 1. cap. Scimus.*

Quod ipsum quoque Theologi recipiunt, & in primis Medina, vir doctus, qui hoc argumentum ex professo tractat, & multis confirmat, atque inter alia, ex ipso nomine CANONICORVM, cuius adhuc vbique vsus est, quod nomen nihil aliud significat, quam REGVLARES. Neque verò distinctam fuisse parochorum causam, quasi his aliquid liceret possidere; sed quia necessarium eis erat separatim in sua parochia viuere, nec communitatem illam vitæ cum alijs retinere poterant, exemptos fuisse, eodem modo, quo nunc monachi, cum superio-

*Medina lib. 5. de contin. c. 10.*

E rum

rum suorum iussu, parochiam administrant. Hæc ille sanè, quin etiam addit, ita propriam fuisse etiam cleri paupertatem hanc, in qua religio consistit, vt quod aliquid proprium habere cœperint, id potius ex indulgentia natum sit. Quam rem confirmat Augustini auctoritate in sermone quodam de communi vita clericorum, vbi ait, aliàs sibi constitutum fuisse, ***nullum ordinare clericum, nisi qui communem vitam ducere vellet:*** sed postea consilium mutasse, ne, quod peius esset, quispiam per simulationem, & hypocrisim, regulam violaret, & promissum falleret: Itaque etiam si quis communiter viuere nollet, se ei deinceps clericatum permissurum.

*Aug. serm. 2. qui refertur 12. q. 1. cap. certe.*

Quare ex hoc etiam argumentatur Medina, rei quidem naturam paupertatem postulasse, quod verò non omnes id facerent dispensationem quandam fuisse. Cuius laxitatis duas opinor fuisse causas. Primùm multiplicationem ipsam clericorum; quoniam cum ita creuisset populus Christianus, vt à paucis administrari non posset, & ad ipsius etiam Ecclesiæ splendorem facere videretur, vt plures iam ministros haberet, non ita potuit in tanto numero ille perfectionis ardor conseruari. Altera fuit causa, quoniam quò longius tempora à primo illo Ecclesiæ statu procedebant, eo magis & Dei charitas in hominibus refrigescebat, & abundabat amor sui, suorumq; commodorum. Quare cum difficile iam esset, clericorum vulgus in tanta omnium rerum abdicatione retinere; mansit tamen hoc studium in quibusdam, quibus maior animus, maiorque inerat feruor, qui ita clericalia munera obirent, vt simul religiosa etiam munera, illamque exactam disciplinam non omitterent.

Hanc laudem Ambrosius Eusebio Vercellensi Episcopo tribuit, qui suos clericos ita instituisset, vt ab ijs, quemadmodum ipse ait, duo pariter exigeret, & monasterij continentiam, & disciplinam Ecclesiæ. ***Hæc,*** inquit, ***primus in Occidentalibus partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.***

*Ambros. epi. 82. ad Vercel.*

*brietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam, integritatis iuuentutem astringat, & conuersantes intra vrbem abdicet vsu vrbis, & conuersatione.* Quæ si rectè attendimus, non absolute primum eius instituti auctorem facit, sed in Occidentalibus dumtaxat partibus; nam in alijs partibus iam pridem eadem forma viguerat.

Quod ita esse etiam ex Possidonio cognosci potest, qui in vita sancti Augustini, cum hoc idem ab illo factum narret, vt *monasterio intra ecclesiam constituto*, vna omnes mensa, communibusque sumptibus alerentur, nihilque cuiquam suum esset, hoc etiam addit, hanc rationem sub sanctis Apostolis primum introductam. Confirmat hoc quoque Pontificis auctoritas Pij IIII. qui bulla quadam, in qua de Canonicorum regularium ordine quædam honorifice decernit, hanc addit causam quod *is ordo ab Apostolis institutus* fuerit; quam bullam recitat etiam Nauarrus, & alia addit in eandem sententiam.

Itaque Augustinus quoque non tam inuentor, quàm restitutor fuit, atque instaurator huius Religionis clericalis, de qua quidem neminem dubitare video, quin eadem sit, quam modò nominaui, Canonicorum regularium. Sic enim ferunt, Augustino defuncto, & Hyppone à Vandalis vastata, Gelasium, quem Africanum fuisse constat, cum aliquot socijs Augustiniani siue primarij siue posterioris instituti & disciplinæ, Romam venisse, eoque ad Pontificatum euecto, illos deinceps perseuerasse in canonicali vitæ genere, ijsque domicilium attributum in Lateranensi Ecclesia; cuius adhuc extant monumenta tum in ipsis ædium illarum ruinis, tum in Pōtificijs quibusdam diplomatis, & præsertim Eugenij IIII. Ac illorum occupatio his muneribus, vt scriptum legimus, continebatur sacrificandi, conciones ad populum habendi, eidemque sacra ministrandi, denique omnia Apostolica, ac sacerdotalia officia obeundi, idque in communi vita, nulla re propria, & vnius præpositi ductu, & obedientia.

*In c. statuimus 19. q. 3. num. 7. & 8.*

Confirmat hoc, quod constat à Bonifacio primùm VIII. hos Regulares Canonicos è Lateranensi sede, quam octingentis ferme annis tenuerant, amotos, substitutis Canonicis secularibus, diuisaque singulis certa redditutm portione, qui antea communes erant. Neque verò Romæ tantum, sed in omnibus pene prouincijs horum viguisse institutum, multis indicijs probari potest, eoque potissimum, quod & Dominicus in Hispania hanc primùm vitæ rationem aliquamdiu professus est, & in Gallia ipsius Bernardi ætate multos ex ijs extitisse ipsius vita, & epistolæ ostendunt, in quibus nonnulla de ipsis commemorantur.

Igitur Clericorum quidem Regularium, vnum, quod sciamus, erat olim genus: verum seculis postmodum succedentibus, aliquot etiam alij eiusdem fermè generis Ordines Dei voluntate, certaque prouidentia emerserunt, magno vtique, vt videmus, Ecclesiæ bono, in quam quasi Domini vineam excolendam eo feruentiùs, atque alacriùs, & fructuosiùs incumbunt, quo adhuc, vt recentes solent operarij, integris sunt viribus, & minus fatigatis.

CANONICI REGVLARES CVR ET VNDE SIC APPELLATI.

Quantùm ad nomen ***Canonicorum Regularium***, hodie votiuis illis clericis inditum, displicuit vtique Ludouico Viui & quibusdam literionibus, cùm id aliud nihil sonare videatur quàm ***Regularem, Regularem***, vel ***Canonicum, Canonicum***: ita vt Latino sit regularis & regularis, quod Græco *κανὼν* & *κανονικός*. Mirum nî criticis eiusmodi displiceat istud Apostoli: ***Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus:*** ABBA PATER. quin & illud Christi: ***Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt.*** אבא siquidem siue Syra siue Hebrça vox sit, Patrem significat, vt quisquis dicat אבא, אבא, Patrem, Patrem repetat. In ea porro dictione singulare quiddam inesse censent, quod & Patres libenter audiunt & pueri primùm sonare discunt. Pulchrè S. Benedictus: ***Abbas qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen maioris factis implere: Christi enim vices***

*Rom. 8.* *Marc. 14.* *S. Bened. in Regula.*

*vices agere in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine dicente Apostolo: Accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater*. Quanquam sciamus hæc sacra loca ita tractari posse, vt in verbis Christi sit geminatio: Apostolus verò significet ab Hebræis clamari אבא, à Græcis verò πατήρ. Cùm autem in cœnobijs olim, sicut & hodie multi Patres sibi inuicem subalterni constituebantur, quorum alij Decani, alij Centuriones; ita qui patribus omnibus præesset, Pater-Abbas appellabatur ad aliorum distinctionem.

Quid autem mirum si inter Canonicos pari de caussâ quidam *Canonici Regulares* vocitẽtur, maximè cùm in antiquis Concilijs aliud sit *regulariter*, & aliud *canonicè* viuere? In Moguntino siquidem legitur: *Si monachi fieri voluerint*, REGVLARITER *viuant: sin autem*, CANONICE *viuant omninò:* non quasi Canonici, regulâ careant, sed quia monasticam non habeant, quæ Ecclesiasticâ phrasi, per antonomasiam solet appellari *Regula*.

PROGRESSVS ORDINIS CANONICORVM REGVLAR. ET PERSONAE ILLVSTRES EIVSDEM

Porrò progressum sacri celeberrimíque huius Ordinis, si quis audire gestiat, dabit Volaterranus adferens ex eo selectos Pontifices Maximos XXXVI. quos inter enumerat Gelasium I. Leonem VIII. Alexandrum II. Paschalem II. Lucium II. Alexandrum III. Innocentium III. Honorium III. quibus adiungere potuisset & Anastasium IV. & Adrianum IV. Quid quod Augustinus Ticinensis grandiorem induens cothurnum progreditur & Ordini præfato adscribit Sanctos 16000. Pontifices Max. 54. S. R. E. Cardinales 1567. *Et Ecclesiam Romanam*, inquit, *gubernauit hic Ordo per annos quingentos & sex*. Quibus in præsentiarum, auctoribus discutiendis, nolo criticus audiri. Peruelim tamen Augustinum Ticinensem rogari, quî fieri possit, vt vnicus Ordo Cardinales mille quingentos sexaginta septem Ecclesiæ dederit? Hoc est profectò sibi nimium arrogare, alijs derogare, & omnium pene Ordinum purpuratos patres, suos facere. Si enim Onuphrij Panuini quam de S. R. E. Cardinalibus historiam scripsit diligenter examinemus, singulorumq; Pontificum ordinationes

*Volater. lib. 21. Antrop.*

*Augu.* Tici*nens. in propugn. Ord. Canon. part. 1 cap. 1. 2. 3. & alibi.*

& nomina Cardinalium ab ipsis creatorum in vnum conferamus, Monachisque ac Religiosis non modò CANONICOS REGVLARES, sed & seculares, aliasque cuiuscumque conditionis ac professionis fuerint personas, ad eum dignitatis apicem à S. Petro ad vsque Clementem VIII. euectos connumeremus, dubio procul, inuenientur omnes sic collati numerum millesimum sexcentesimum aut saltem septingentesimum non attingere. Audeat autem Ticinensis negligentiæ Onuphrium insimulare, quem Scaliger *Historiæ Romanæ Patrem* haud dubitauit appellare? At verò cùm innumerorum pene virorum illustrium atque doctissimorum scriptorum progenitor fuerit sacer hîc Ordo, perperam, meâ sententiâ faciunt, qui eidem alienos partus subponunt: hoc enim non fœcundis, sed sterilibus factitari consueuit. Indolui, fateor, aduertens ab Augustino Ticinense nullum delectum suorum habente, candorem veritatis non sic illustrari, sed obfuscari.

*Onuph. Pan. lib. de Sept. Eccles. Vrbis.*

Cæterùm vt præfatus Historiæ Romanæ Pater de Progressu Ordinis satis iam ferè discussi veriùs à nobis audiatur: *Gelasius Primus*, infit, *circa an. Domini CCCC. constituit in Ecclesia Lateranensi clericos Canonicos, qui seruabant regulam Apostolorum, nihil proprium habentes, sed in communi, iuxta regulam S. Augustini viuentes. Posteà Gregorius III. posuit monachos in Ecclesia Lateranensi, vt in ea preces quotidie cantarent. Deinde monachis deficientibus, iterum sunt in eadem Ecclesia Clerici Canonici constituti, qui more monachorum religiosum vitæ institutum seruabant: & Priori, loco Abbatis, parebant, & in communi domo habitabant. Et ex hoc Lateranensi Canonicorum Regularium monasterio fuerunt Romani Pontifices Alexander II. Vrbanus II. Paschalis II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Et durauit Lateranense Canonicorum Regularium monasterium octingentos annos vsque ad Bonifacium VIII. qui an. Domini* 1300. *exclusis è monasterio Canonicis Regularibus, posuit in eo Canonicos sæculares.*

Præ-

Præfatæ porrò Congregationis Lateranensis INSIGNIA sic expressa comperimus, in quibus, vt opinor, illa FACIES HOMINIS RESPICIENTIS AD LATVS, sigillum est sancti Augustini cuius aliàs meminerimus:




Sunt & aliæ Canonicorum ac clericorum Congregationes aut Ordines: S. Sepulchri, S. Saluatoris, S. Marci, S. Gregorij de Allega, S. Iuonis, Aroasiensis, Bursfeldendis & reliquæ, quas omnes sub Augustini vexillo merentes, suis temporibus silentio præterire non decreuimus.

---

## CAPVT V.

### *De S. Barnaba Apostolo Barnabitarum Monachorum seu Clericorum in Italia fundatore.*




SANCTISSIMVS Christi Discipulus Barnabas agri sui diuenditi pretium pedibus Apostolorum sistens, nonne reuera fuit *verum exemplum ac* SEMEN PAVPERTATIS RELIGIOSÆ? Quod autem præ cæteris id præstitisse notatur, colligere est, nõ agellum quempiam, sed latifundium Christi nomine vendidisse. Testatur id Alexander eius historiæ scriptor apud Metaphrastem, addens eundem origine Cyprium Hierosolymis habitâsse, itaque à Ga-


*Gaulter. in Tab.*

*Alexand. apud Metap. die 11. Maij*

mitanæ traderet imitanda vestigia quibusque forent OMNIA COMMVNIA. Eo vero vita mortali defuncto, vocati fuerunt APOSTOLICI vel APOSTOLINI, qui longa postmodum currente temporum intercapedine, varijs ingruentium tyrannorum assultibus quassati, dicatas deuotasque semel omnipotenti domino animas inconcussas in obsequijs diuinis percolendis seruauere. Sacris quidem altarium mysteriis aut ministerijs non vacauere, contenti ad Apostolicæ vitæ normulam suam vitam conformantes ANIMAM VNAM, COR VNVM & OMNIA COMMVNIA custodire. Anno demum partæ salutis ∞ CDLXXXIV. Innocentius eius nominis VIII. oblato ad eam rem supplici libello, sacris initiari & mysticis sacrificijs eis operari indulsit. Fuit ipsusmet Pontifex qui eosdem AVGVSTINIANÆ REGVLÆ submisit certam in vestem adsignato *scapulari*, *Zona pellicea*, & *flocca*, quam vocant *pannea*. Temporibus verò hiemalibus in publicum prodeuntes chlamidem superinduunt qualem Ordinis S. Francisci Fratres *Sabotini* vulgo dicti circumamictam gestant. Comitia Generalia statutis temporibus celebrant, quibus Vicarij Generales præsident. In territorijs Anconæ necnon Prussiæ Monasteria habent, at rara de quibus apud Morisiam videre licet, dum ad alia progredior eosdem aliquando suis locis ac temporibus resumpturus, quorum insignia si quis interim nouerit huic albo exaret, & me beniuolus certiorem faciat, occasione natâ, quandoque repositurum.

*Prater Morisium li. 5. Vide etiam Aubertum Miræum in origi. mona. lib. 4. cap. 1. Et Cor. Lancill. in appēd. vita S. Aug. pag. mihi 425.*





## CAPVT VI.

*De institutis cœnobiticis S. Marci Euangelistæ iuxta Alexandriam: Item an Philo Iudæus Essænos aut Iessænos describens, verè Christianos Monachos intellexerit.*

Bellarm. lib. de Monac. cap. 5.

NON dissimilia superioribus à B. Marco prope Alexandriam instituta nunc aduertamus. Nam & *Philo Iudæus*, adtestante Bellarmino, *prolixè admodum describit vitam & mores* MONACHORVM *&* SACRARVM VIRGINVM, *quos instituit in Ægypto S. Marcus Euangelista: vbi apertè ponit* PROFESSIONEM CONTINENTIÆ *&* PAVPERTATIS.

Hieron. de script. Eccles. in Philone.

Neque sine vade locutus est Bellarminus, si S. Hieronymum audiamus: *Philo Iudæus natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima* MARCI EVANGELISTÆ *apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est; non solum eos ibi sed multis quoque prouinciis esse commemorans, & habitacula eorum dicens* MONASTERIA. *Ex quo apparet primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam quales nunc* MONACHI *esse nituntur & cupiunt, vt* NIHIL CVIVSQVAM PROPRIVM *sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque &* CONTINENTIÆ; *quales & Lucas refert primùm Hierosolymis fuisse credentes.*

Euseb. Eccl. hist. lib. 2. cap. 16.

Præfatis porrò verbis, Hieronymus haud dubiè sectatus est Eusebium sic disserentem: *Iam verò cùm eorum viuendi rationem, qui apud nos ἀσκηταὶ, id est* MONACHI RELIGIOSIQVE *virtutis studio & exercitationi maximè dediti appellati sunt, quàm accuratissimè percenseat* [*Philo.*] *Cumque eos viros, qui eius ætate tam piam tamque* APOSTOLICAM VITAM *agerent, quique ab Hebræis, vt videtur, ducerent originem, & propterea permulta vetera instituta propiùs ad Iudæorum consuetudinem accedentia obseruarent, diuinâ laude & prædi-*

*prædicatione efferat; satis constare poterit illum eadem non oculis vidisse solùm, sed sententia & opinione vehementer probasse.*

Epiphanius quoque in eandem planè conspirat sententiam: *Reperies autem studiosè etiam hoc argumentum in Commentarijs Philonis in libro De Essæis ab ipso inscripto: qui horum conuersationem, & laudes eorum exequens, &* MONASTERIA *ipsorum in vicinia circa Mariam paludem recensens non de alijs quibusdam narrauit quàm de Christianis.* Hæc & alia pluria Epiphanius insinuans Philonem de Essæis esse locutum, non de Essenis: Iessæos enim à Iesu siue à Iesse, ex quo Christus secũdum carnem, adfirmat nominatos esse Christianos, ipso exordio nascentis Ecclesiæ, quorum in commune viuentium habitacula vocitat MONASTERIA. *Epiphanius hæres. 20.*

Cassianus insuper: *Cùm in primordijs fidei, pauci quidem sed probatissimi* MONACHORVM *nomine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ* EVANGELISTA MARCO *(qui primus Alexandrinæ vrbi Pontifex præfuit) normam suscepere viuendi, non solùm illa magnifica retinebant, quæ primitùs Ecclesiam vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse [Multitudinis, scilicet, credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis* OMNIA COMMVNIA*: quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes adferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat] verùm etiam his multo sublimiora cumulauerant. Etenim sedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his qui erant religionis * externi stupori esset tam ardua conuersationis eorum professio.* *Cassian. lib. 1. de instit. cœnobiorum cap. 5.* *Act. 4.* * externæ

Nicephorus Callistus suam aliorumque sententiam producens: *Dicunt diuinum hunc Marcum primùm in Ægyptum & Alexandriam Euangelium, quod conscripsit, prædicasse, Ecclesias ordinasse atque ei quæ ibi est Christianorum Monachorum solitariæ vitæ leges dedisse. Tanta autem virorum & mulierum à primo statim initio confluxit multitudo, vt exercitij studijq́; eorum philosophiam, institutum, mores, vitam, rationemq́; conuersationis omnem, in scriptum retulerit,* *Nicephor. Call. Eccles. hist. li. 1. c. 15*

*in vtroque philosophiæ genere celeberrimus* PHILO: *quem ad colloquium Petri Romæ diuinum Verbum concionantis fama est peruenisse.*

ESSENOS VERE FVISSE CHRISTIANOS.

Bar. an. 64. & Bellarm. l. 2. de Mon. cap. 5.

Verùm, quandoquidem Magdeburgenses aliique eiusdem farinæ Nouatores, negant Essenos à Philone conscriptos fuisse Christianos: nos ne maiorum dumtaxat auctoritate atque numero testium agere videamur, potius quam rationibus ac historicâ veritate rem ipsam acuratiùs cum Baronio & Bellarmino prosequemur. Volunt itaque Centuriatores, Essenos à Philone dilaudatos eam esse non Christianorum, sed Iudæorum sectam, quam Iosephus ante Christi tempus extitisse demonstrat, cuique Herodem nonnihil fauisse scribit. Sanè si Plinium auscultemus dicere necessum est, Essenos antiquissimos fuisse: *Gens sola in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur; largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Eadem planè de iisdem scribit Solinus: quorum etiam non sine laude meminit apud Cyrillum Alexandrinum Porphyrius.

Plin. Nat. Histor. lib. 5. cap. 17.

ERROR PLINII.

Quid autem adstruunt Essenos pluria seculorum millia extitisse? Hoc profectò non eâ quâ dixerunt facilitate probabunt. Existimandus est autem Plinius eiusque sectator Solinus, quia nouissent genus Iudæorum vetustissimum, Essenorum quoque Iudæorum sectam illis putâsse congenitam. Sed quantum delirent Ethnici scriptores, quoties in historiæ siue Christianæ, siue Iudaicæ agrum, stiuam calamorum suorum mittere præsumunt, docuerùnt Annales sacri loco non vno. Si namque tam nobile ac prope diuinum viuendi genus, ante tot secula vigebat apud Essenos Iudæos, quæ ratio est quòd nec in veteri Instrumento, nec nouo, vlla penitus de eo reperiatur habita mentio? Quid, inquam, est, quòd Iosephus Iudæus, duobus illis disertissimis libris, quibus calumnias in Iudæos ab Appione

Vide Baron. vbi agit de cœna pura, tomo I.

DE ESSENIS ANTE CHRISTVM

ne congestas totis viribus nisus impugnat atque refellit, simulque quidquid nobile, de gente sua ex quibuscumque antiquissimis scriptoribus venari potuisset, ex abditissimis etiam locis, gloriosè admodum profert in medium, de Essenorum instituto, omnium celeberrimo tacuit, cùm præsertim eorum gymnasium tam celebre apertum esset Alexandriæ, vbi Appio degere consueuerat? Reuera, vnico illo Essenorum Iudæorum vitæ institutionis exemplo, satis poterat procacis hominis in Hebræos oblatrantis congesta mendacia refellere. Rursum, auctores Ethnicos qui ante Christi tempora gentium externarum mores diligenter scripserunt, seriò consule. quas enim sectas stilo sunt prosecuti? Gymnosophistas scilicet, Bracmanes, & si quos alios remotissimus Orbis laude dignos produxit: de Essenis verò, ne verbum quidem. Quî fieri potuit, vt Trogum Pompeium, & eius abbreuiatorem Iustinum Iudæorum originem & mores curiosè disquirentem, hæc vna tam celebris secta prætererit? Quis sopor aut torpor Strabonem Cosmographorum clarissimum inuasit? Is enim non tantum Orbis situm, prouincias, ciuitates, opida, maria, fluuiosque ex instituto delineauit, sed & exactissimo calamo gentium omnium mores ac ritus descripsit. In ijs verò, vbi Esseni qui virtutum suarum splendore minimè latuisse potuerunt? Aristeam prætereo, qui Iudæorum instituta summo cum encomio recensens, Essenos silenter etiam præterijt: hâc vnâ profectò causâ, quòd nondum nati, sicq; omnibus ignoti forent.

EXISTENTIBVS, SILENTIVM.

*Iustin li. 37.*

*Arist. in comment. de Septuag. duob. Interp.*

Verùm, nec in his contentiosum funem trahimus, vt negemus ante Christum fuisse Essenos. Demus nihilominus Iosepho siue alijs, vt Essenos dicamus fuisse Iudæos ex Iudæis, eosdemque etiam ante Christum Herodis Maioris tempore claruisse (nulla enim antiquior apud Iosephum de eis habetur memoria) ac ijsdem, quos ait, vitæ institutionibus claruisse: quis prohibet dicere, eosdem, Apostolorum prædicatione conuersos, inter Christianos professos esse? Nam si, (quod na-

ESSENI REDDITI CHRISTIANI.

turâ insitum est) habentium symbolum sit facilis communicatio: quomodo non magis ex his quàm ex aliarum sectarum Iudæis Christiana religio potuit propagari? Equidem, omnes sectas quæ erant in Palestina Christum Dominum aliquando auersatas esse, Euangelicis adtestationibus exploratum habemus. Cogita Pharisæos, Sadducæos, Herodianos, & Samaritas, quoties insultauerunt aut insidiati sunt? De Essenis verò, quòd aliquando vel Domino vel eius Apostolis aut discipulis negotium fecerint, nusquam legitur. Immò quò magis hi Pharisæis ac Saducæis dissentirent, eò faciliùs Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facilè credi potest. Non ita tamen hæc scribimus vt adseramus Essenos omnes Christi fidem esse sectatos (nam ex his complures in sua perfidiâ remansisse Philastrius testatur) sed quòd ex Iudæis credentibus, Esseni potiùs quàm Pharisæi vel Sadducæi, Christianam religionem fuerint amplexati; cùm præsertim in perscrutandis Prophetis, illos intentos fuisse, ac ob eam caussam veritatem rerum futurarum adtigisse Porphyrius doceat.

DIFFERENTIA INTER ESSENOS.

Est insuper haud leue de his argumentum; nam antiquiores Esseni, qui à Iosepho describuntur, nonnihil differunt ab eis, quos descripsit nobis Philo: vt adpareat hos ex illis prouenientes, non tamen eosdem esse. quippe qui Christianam religionem consectati, pristinum vitæ genus, vbi Christiana religio non contradiceret, haud reliquerunt, sed perfectiorem nacti legem, excultiorem quoque vitæ institutionem sint professi. Hinc videas Essenos, quorum meminit Iosephus, in Iudæa agentes eorumque rigidiores (nam idem de alijs Essenis item agit, qui molliores essent & vxores ducerent) in multis remissiores fuisse illis, qui agerent in Ægypto Philonis historiâ celebres. Suos enim Essenos testatur Iosephus agere solitos in ciuitatibus: qui verò describuntur à Philone, foris in villis hortisúe viuere consuêrant. Insuper eos illos prandere quotidie atque cœnare scribit Iosephus; istos verò non nisi semel in die, post occasum Solis, cibum sumere consueuisse tradit

tradit Philo: quin & his aliquos ad tertium vſque diem ieiunos duraſſe, & alios ſex diebus ſic itidem permanſiſſe teſtatur. Rurſum illis per ſingulos pulmentum apponebatur à coquo: iſtis vero pro obſonio, licet conuiuarentur, ſal tantum cum pane & hyſſopo ſatis erat. Sunt & aliæ complures inter eos in ritibus differentiæ: vt planè perſpicuum ſit eos etſi nomine conuenirent, compluribus inſtitutis fuiſſe diſtinctiſſimos, ac proinde Eſſenos Alexandrinos, alios diuerſoſque fuiſſe ab his, quos in Iudæa ſolitos agere adfirmat Ioſephus.

Sed & illud magnopere conſiderandum, Eſſenos non alibi quàm in Iudæa numeroque fuiſſe ſupra quattuor millia, vt Ioſephus teſtatur: quod quidem & Philo confirmat eo libro cuius inſcriptio: *Quod liber ſit omnis ſapiens*: At cùm idem Philo in libro *de vita contemplatiua*, dicat eiuſmodi genus hominum apud Alexandriam magno eſſe numero, imò & in alijs Ægypti regionibus agere, quin inſuper & in multis Orbis partibus; ac etiam addat idem vitæ genus à Græcis & Barbaris eſſe receptum; ſatis manifeſtè declarat, nonniſi de Chriſtianis eſſe locutum qui vbique terrarum, & ex omnibus Gentibus, eiuſdem vitæ primis Eccleſiæ temporibus in eundem fermè modum, inſtitutum excolerent. Quis enim vnquam legit Græcos vel Barbaros factos Eſſenos, in alijs Orbis tractibus reperiri? Sic igitur cùm poſt Chriſti aduentum Eſſenos quos Philo deſcribit, ab antiquis Iudæis Eſſenis differre certum ſit, alios hos diuerſoſque ab illis iure cenſendos, nempe Chriſtianos, qui auguſtiorem ſublimioremque vitam à ſuis maioribus fuerint amplexati, meritò dici poſſe videtur. Et vnde, rogo, tantopere poſt Euangelij prædicationem, teſtante Philone, longè lateque per Orbem auctus eſt Eſſenorum numerus, niſi quòd ijdem erant Chriſtiani, Apoſtolica prædicatione, vbique Gentium propagati?

*Ioſeph. ant. lib. 18. ca. 2.*

QVOD ESSENI VERE FVERINT CHRISTIANI.

Quod ſi & obſeruationem diei ſabbathi Philo in Eſſenis commendat; haud mirum eſt, cùm & Apoſtolos etiam Iudaizaſſe eorum Acta teſtentur, & nos in Paulo ſuo loco demonſtrabimus.

Hie. de script. Eccles. in Marco. mus. Hinc prouidè S. Hieronymus: *Videns Philo Iudæorum disertissimus primam* ECCLESIAM *adhuc* IVDAIZANTEM, *quasi in laudem suæ gentis, librum super eorum conuersatione conscripsit*. Siue ergo velimus dictos Christianos apud Alexandriam agentes, quod ex Essenis ad fidem Christi venissent esse nominatos Essenos, vel à Philone sic appellatos, quòd magna ex parte vitam Essenorum viderentur imitati, vel quòd non Essenos, sed Iessæos aut Essæos à contemplatione vel sanctitate eo nomine (sicut ex Epiphanio, Philone, & Suida diximus) Christianos appellare libuerit: satis ex his omnibus constare arbitror, ipsum Philonem secundum Eusebii, Epiphanij Hieronymi, Cassiani & aliorum sententiam, nonnisi de Christianis esse locutum; ita tamen vt licuit externo homini, rerum nostrarum secreta inexplorata habenti & quæ essent Iudæorum-Christianorum, Iudæis prorsus adscribere cupienti.

Haud enim est dubitandum, magna ex parte Ecclesiam Alexādrinam à Marco ex Iudæis potiùs quàm Ægyptiis esse collectam: tum quòd, adtestante Philone ad Flaccum scribente, constet Ægyptios antiquo odio fuisse Iudæis infensissimos, iis præsertim temporibus quibus immaniter adeo sub Imperatore Caio fuerant in eos debacchati; ac proinde S. Marcum hominem vtique Iudæum, ab eis spretum, illusum, & occisum fuisse: tum etiam quòd præ cæteris orbis nationibus, Ægyptii forent superstitionum suarum tenacissimi. Hinc Cicero: *Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erro-*
Cicero Tusc. lib. 3. *ribus, quamuis carnificinam priùs subierint, quàm ibim, aut aspidem, aut felem, aut crocodilum violent*. Verùm etsi concessum pateremur, quod absit, neminem Gentilium Ægyptiorum ad religionem Christianam amplexandam esse conuersum; nullo tamen foret id obstaculo, quin abundans florensque ECCLESIA in Ægypto ex Iudæis indigenis atque aliarum nationum hominibus illic agere solitis, colligi potuisset. Adfirmat enim idem Philo, citato iam ad Flaccum libro, non minùs quàm

decies

decies centena millia Iudæorum his ipsis temporibus Ægyptum incoluisse.

De externis autem, inibi degentibus iuuat audire Dionem Chrysostomum auctorem contemporaneum de Alexandrina ciuitate verba facientem: *Et nunc hæc dixi de ciuitate, ostendere cupiens quod si inhonestè geratis, hoc clam fieri non possit, neque inter paucos, sed inter omnes homines. Video enim ego non solùm Græcos, apud vos, neque Italos, neque à propinquis regionibus Syria, Lybia, Cilicia, neque qui supra illos Æthiopes habitant, neque Arabes; sed etiam Bactrianos, Scytas & Persas & Indorum quosdam, qui concurrunt & semper apud vos versantur.* Meritò igitur Ammianus verticem omnium ciuitatum appellat Alexandriam. Herodianus autem æquè primum locum eidem post Romam tribuit, nisi quòd de secunda palma cum ea tradit certasse Carthaginem. Quod autem ab Ausonio quarto loco post Romam constituatur nempe post Constantinopolim, Carthaginem, & Antiochiam, id inde accidit, quòd Ammiano testante, sub Aureliano Imperatore bellis ciuilibus quassata, disruptis muris maximam regionum partem perdiderit. His porro temporibus florentissimam fuisse principemq; locum sibi vendicasse non est dubium.

*Dio. Chrys. Orat. 32. ad Alexand.*

Meritò igitur id agente diuino numine subijt in mentem S. Petri pastoris omnium, vt dilectissimum discipulum MARCVM quem amoris immensi caussâ filium suum nominauit, * mitteret Alexandriam Euangelium prædicaturum, vbi velut in quodam Orbis theatro ex Asia, Africa, & Europa, tot gentes essent simul collectæ. Idem enim ipse iure effecit vt ex tot nationibus Ecclesia nobilissima suo ipsius nomine congregata miro modo coalesceret, & ascetico Monachorum instituto tot cœnobitis Essenis in vnum adunatis, hisce temporibus omnium facilè princeps haberetur.

* 1. Petri 5.

Vnde nec immerito titulum S. Marci præfert eique suum institutum acceptum refert sacra CONGREGATIO CANONICORVM REGVLARIVM DE MANTVA, licet anno Domini ∞ CVII. demum

CONGREGATIO CANONICORVM S. MARCI DE MANTVA

demum instituta: cuius insignia sic, & sic mihi visa propono quanquam ea quæ hominis effigiem repræsentant, symbolo suo Venetum quiddam præ se ferre videantur: cuius reipublicæ Scitum, est; SANCTE MARCE EVANGELISTA MEVS. Vnde subdubitare velim, alterius esse congregationis insignia, & quidni Venetanæ?






## CAPVT VII.

*Philo Iudæus accuratè describit Ordinem, & Instituta Supplicum* ESSENORVM, *quos capite superiori probauimus à B. Marco monasticè fundatos apud Alexandriam.*

*Philo Iudæus lib. de vita contemplatiua, siue de virtutibus pag. mihi 689.*



VIC vitæ instituto qui se addicunt, non ex more
aut rogati faciunt, sed amore correpti rerum ,,
cœlestium, & quasi furore diuino perciti, do- ,,
nec ad contemplationem illam desideratissi- ,,
mam perueniant. Deinde præ immortalis bea- ,,
tæque vitæ cupidine, quasi iam hâc mortali defuncti, faculta- ,,
tes suas relinquunt liberis, aut cognatis, vltrò eis possessiones ,,
cedendo, atque etiam socijs & amicis, si cognati desint. O- ,,
portet enim vt qui perspicaces diuitias adeptus est, cæcas il- ,,
las relinquant mentibus cæcutientibus. Anaxagoram & De- ,,
mocritum

ESSENI FACVLTATIBVS SVIS CEDVNT ET RENVNCIANT,

mocritum celebrant Græci, quòd præ amore philosophiæ, prædia sua pecori compascua reliquerint. Probo hos viros contemptores pecuniæ. at quanto præstantiores qui non pecoribus suas possessiones depascendas permiserunt, sed impenderunt ad subleuandam egestatem hominum cognatorum amicorumq́;, vt egere desinerẽt? illud enim inconsideratum, ne dicam insanum, factum fuit virorum Græcis laudatorum, sapientiæ nomine: hoc verò sobrium & magnæ prudentiæ. Quid aliud hostis faceret excisis arbustis agroque vastato redigens aduersarios ad inopiam, quàm quòd suis cognatis fecit Democritus vltro illis consciscens pauperiem, non tam malo animo, quàm per inconsiderantiam & alienæ vtilitatis negligentiam? Hi certè multo prudentiores & magis quàm negligentes: quippe qui sua donare maluerunt quàm perdere, quo & sibi prodessent & alijs, dum alios opibus iuuant, se philosophiæ studio. Nam cura pecuniæ possessionumque affert dispendium temporis, cuius præcipua nos decet parsimonia, iuxta illud Hippocratis medici monitum: ***Vita breuis, ars longa.*** Idem mihi videtur Homerus subinnuere in Iliade circa initia rhapsodiæ decimæ tertiæ, his versibus:

***Mysorum terram aspiciens, queis prælia cordi,***
***Et facilis victus: siquidem lac pascit equinum***
***Egregios homines, nullis virtute secundos;***

ac si cura victus parandi sit causa iniustitiæ propter disparitatem; iustitiam verò gignat diuersum studium, qua naturæ opulentia cernitur, non contenta vulgaribus felicitatibus.

Relictis igitur facultatibus & auocamentis omnibus fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias in quibus geniti educatique sunt, quandoquidem consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos. Demigrant autem non in aliam ciuitatem, sicut serui qui se vendi heris alijs impetrant, miseri, vt qui seruitutem mutant non effugiunt; quæuis enim ciuitas vel optimis orna-

AGVNT SOLITARII.

ta legibus, plena est tumultu plurimo, quem nemo sapien- „
tiæ sectator sustineat. Sed extra mœnia degunt, in hortis aut „
villis solitarijs, amantes solitudinem, non hominum odio, sed „
ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt mori- „
bus bonis officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regio- „
nibus, meritò, vt absolutæ probitatis receptum à Græcis atque „
Barbaris. Maximè tamen in Ægypto frequentatur per præfe- „
cturas singulas, præsertim circum Alexandriam. Ex omnibus „
autem locis, optimus quisque THERAPEVTARVM, tanquam in „
huius generis patriam colonus mittitur in locum quędam ap- „
tissimum situm ad stagnum Mariam in terreno colle accliui „
leniter, tutum simul & laudatum ab aëris temperie. Securita- „
tem enim ei præstant villæ, vicique proximi: aërem verò tem- „
perat emissorium stagni exonerantis se in mare, & auræ nun- „
quam non ex alto aspirantes tenuiter, sicut crassiores ferun- „
tur è stagno, quibus permixtis temperamentum existit salu- „
berrimum. „

EORVM DOMICILIA ET MONASTERIA.

Domicilia verò conuenarum sunt admodum frugalia, para- „
ta contra æstum tantummodo & frigora, non contigua vt in „
vrbibus. Non enim placet id amantibus solitudinem: nec ta- „
men longè remota, quâ societatem diligunt, vt sibi possint „
inuicem succurrere contra latronum incursus fortuitos. Singu- „
li autem habent sacras ædiculas, quæ *Semnea* vocant siue MO- „
NASTERIA, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam: „
nec cibi potusúe quicquam eo inferunt, aliudúe in vsum cor- „
poris, sed legem tantum & prophetarum oracula diuinitus „

LIBRI ET STVDIA.

prodita, hymnosq́ue & quędam alia pietati scientiæque pro- „
mouendæ vtilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam, vt „
ne in somnis quidem aliud eis obuersetur quàm imagines di- „
uinarum pulchritudinum. Et sunt in his qui somniando pro- „
dunt præclaras sacrę philosophiæ sententias. „

PRECES HORARIÆ.

Quotidie bis præcari solent, manè ac sub vesperam; orien- „
te sole petentes diem vere felicem, vtque mentes eorum „
cœlesti repleantur lumine: occidente vero vt anima in to- „
tum

„ tum exonerata sensibus moleque rerum sensibilium verita-
„ tem vestiget in consistorio domestico. Medium vero matu-
„ tini vespertinique temporis interstitium totum meditationi
„ attribuitur. Versantes enim sacra volumina, dant operam
„ philosophiæ per manus acceptæ à maioribus, scrutando e-
„ ius allegorias, quoniam sub apertis verbis latere credunt se-
„ creta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Habent et-
„ iam priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores mul-
„ ta monumenta reliquerunt de allegorijs eiusmodi; ad quorum
„ imitationem posteri se accommodant. Itaque non solum con-
„ templantur, sed etiam cantica hymnosq; in Dei laudem com-
„ ponunt vario metrorum carminumque genere, rythmis con-
„ cinnatos in angustiorem ac religiosam speciem.

„ Per sex dies seorsum quisquis in suis illis modo dictis MO- CONCIONES ET CONVENTVS DIE DOMINICO
„ NASTERIIS philosophantur quidem, non progredientes
„ foras, imo ne prospicientes quidem; septima verò conue-
„ niunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem consi-
„ dunt decenti habitu manus continentes sub pallio, dextram
„ inter pectus barbamque, sinistram applicatam lateri. Tum
„ progressus in medium natu maximus, & dogmatum eius se-
„ ctæ peritissimus, differit vultu ad grauitatem composito, voce
„ moderata, non sine magna prudentia secus quam oratores aut
„ ætatis nostrę sophistę, ostentatores eloquentiæ, vt quibus ma-
„ gis cordi sunt exquisitę sentētię diligensq́ue & accurata harum
„ enarratio, quę non summis insidat auribus, sed per auditum
„ penetret in animum, ibique firmiter inhęreat. Reliqui omnes
„ auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantùm,
„ aut capite.

„ Id commune semneum in quod septimo quoque die conue- MVLIERES A VIRIS DESCRIPTAE.
„ niunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum
„ cœtibus. Nam mulieres quoq; simul auscultant, ex more dun-
„ taxat, quę institutum idem sectantur. Medius autē paries à solo
„ surgit tribus quatuorue cubitis, in modum loriculę, superio-
„ ra vsque ad tectum patent: vnde gemina prouenit com-

moditas, & quòd pudori fæminei sexus consulitur, & quod „ verba doctoris exaudiuntur facilè absque vllis obstaculis, quæ „ vocem eius intercipiant. „

TEMPERANTIA ET IEIVNIA.

Temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto virtutes „ cæteras superstruunt. Nec cibum nec potum quisquam sumit ante solis occasum, quòd sapientiæ studium luci conuenire iudicent, tenebris verò curam corporis, ideo totos dies „ alteri, alteri verò exiguam noctis partem tribuunt. Nonnulli „ ex his vix tertio quoque die famem sentiunt, attenti magis ad „ disciplinarum scientiam. Nec desunt qui prælautè accepti epulo sapientiæ copiosè præbentis sua placita, perdurāt duplum „ eius temporis, & vix sexto die degustant cibum necessarium, „ assueti sicut cicadæ rore viuere, canticis opinor solantes inediam. Septimum verò diem vt festum sacratumque honore „ dignātur eximio, quo, post curam animi corpus quoque reficiunt, sicut iumento relaxantes laborem continuum. „

CIBVS ET POTVS.

In cibatu vtuntur pane simplici; sal vicem supplet obsonij: „ qui delicatiores sunt hyssopum pro condimento adijciunt, potum è fluentis hauriunt, contenti placare dominas à natura „ mortalibus additas, famem, sitimque, absque omnibus lenocinijs, fruendo rebus sine quibus non licet viuere. Edunt igitur ne esuriant, bibunt & sitiant, saturitatem cauendo vt inimicam animo pariter ac corpori. „

VESTIS.

Et quoniam tegminis quoque duæ sunt species, vestis tectumque; de ædibus iam dixi, esse incultas & intemporaneas, „ factas ad præsentem vsum tantummodò. In veste autem eadem apparet simplicitas; ad arcendos calores & frigora, pro „ pelliceis crassa tunica in hyeme, æstate vero exomis aut interula linea. In vniuersum enim exercent modestiam, vt fontem veritatis: sicut è fastu mendacium prognatum autumant. „ profluunt enim è mendacio variæ malorum species, contra „ ex veritate omnium felicitatum humanarum diuinarumque „ copia. „

CONVIVIA

Dicam aliquid & de sodalitijs eorum quoties hilarius con- „
uiuia

,, uiuia celebrant, quo magis elucescant collata cum aliorum
,, epulis. Vulgus enim vbi se mero expleuit, ac si non vinum
,, bibisset, sed insaniæ poculum ad rationem penitùs profligan-
,, dam ex animo, offensat & canum ferocium more in rabiem
,, vertitur: moxque cohorti se inuicem morsibus appetunt, ab-
,, rodendo nasos, auriculas, digitos, vt fabula de Cyclope, Vlis-
,, sisque socijs fidem inueniat: quem poëta solitum ait mande-
,, re frusta humanarum carnium. quem tamen immanitate isti
,, longè superant. Nam ille inimicos ratus, tractauit hostiliter:
,, isti verò cum familiaribus & amicis, interdum etiam cognatis
,, communi sali mensæque adhibitis contra iura hospitalitatis
,, omnia, nil revereriti sacra libamina quibus conciliari debuissent,
,, sic conflictantur tanquam in arena vel pancratio. ***

,, Vbi verò conuenere canditati & læti cum summa grauitate
,, ad signum datum à quopiam ephemereuta (sic huiusmodi mi-
,, nistros nominant) priusquam discumbant, stantes vnâ serie
,, decentes, sublatisque ad cœlum manibus atque oculis, his
,, quoniam didicerunt spectare cœlestia, illis vtpote incorru-
,, ptis à muribus & à quæstu illicito, precantur vt Deo placeat id
,, conuiuium. Absolutis precibus seniores discumbunt, ac mox
,, alij pro cuiusque dignitate: nec enim seniores ex annis æsti-
,, mant, sed quantumlibet grandæuos habent pro pueris, si serò
,, institutum hoc complexi sunt; honorem verò senectutis tri-
,, buunt his qui exercuerunt se à iuuentute in hac pulcherrima
,, diuinaque parte contemplatiuæ philosophiæ.

ORDO ET DISCVBITVS.

,, Adhibentur mensæ fœminæ quoque, anus pleræque sed
,, virgines, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam
,, sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cuius
,, studio per totam vitam contempserunt voluptates corporis,
,, nimirum diuinæ, non mortalis prolis cupidæ, quam solæ Deo
,, caræ animæ ex seipsis pariunt, excipientes pro semine intelli-
,, gibiles Patris radios, vt decreta sapientiæ contemplando per-
,, cipere valeant.

,, Discubitus ita distribuitur, vt seorsum viri dextrum latus,
seorsum

DISCVBENDI MODVS ET LECTI STERNIN.

ſeorſum fœminæ ſiniſtrum teneant: quòd ſi quis ſuſpicatur le- ,,
ctiſternia, & ſi non ſumptuoſa, certè molliuſcula parari ho- ,,
minibus ingenuis & philoſophiæ deditis, ſciat eſſe tegetes ru- ,,
des è vili contextas materia, videlicet è papyro indigena, ſic ,,
humi aggeſtas vt eminendo fulciant cubitos. Remittunt enim ,,
paululum illam Laconicam diſciplinæ duritiem, ſemper & ,,
vbique probantes liberalem frugalitatem, totis viribus auer- ,,
ſando voluptatis illecebras. ,,

SERVI INTER EOS NVLLI, SED EX HIS FAMVLI MINISTRANT.

In miniſterio non vtuntur mancipijs, quandoquidem ſer- ,,
uitutem cum natura omninò pugnare autumant: nam ea li- ,,
beros omnes genuit, ſed huius legum contemptrix auaritia, ,,
fontem malorum inæqualitatem ei præferens, infirmioribus ,,
neceſſitatem impoſuit, vt iuſſa potentiorum facerent; cæte- ,,
rum in hoc ſacro conuiuio nemo, vt dixi, ſeruus adeſt, mini- ,,
ſtrant ingenui, & ſponte quicquid opus eſt faciunt, iuſſa non ,,
expectando, ſed præueniendo alacritate voluntaria. Non e- ,,
nim quibuſlibet ingenuis delegatur id officium, ſed habito de- ,,
lectu ex omni ſodalitatis huius iuuentute, vt quiſque aliquod ,,
præclarum indolis ac virtutis ſpecimen edidit, hi tanquam ,,
germani filij libenter & certatim miniſtrant haud ſecus ac pa- ,,
rentibus publicis, hanc coniunctionem arctiorem ducentes, ,,
quam ſanguinis, quandoquidem rectè ſapientibus virtute ni- ,,
hil eſt antiquius. Diſcincti autem & promiſſis tunicis accedunt ,,
ad miniſtrandum, vt abſit omnis ſeruilis ſpecies ab hoc conui- ,,
uio. Scio quoſdam his auditis riſuros, duntaxat eos qui deflen- ,,
da ipſi lamentiſque digna faciunt. ,,

MENSA CIBVS ET POTVS.

Vinum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, ,,
cæteris frigida, calida verò his qui inter ſeniores tractantur de- ,,
licatius. Menſa pura eſt à cruentis dapibus, pro cibo panis ap- ,,
ponitur, ſal pro obſonio, & pro condimento hyſſopus in de- ,,
licatorum gratiam. Operantur enim vt ſacerdotes ſacris ab- ,,
ſtemijs, totâ victus ratione caſtigatâ ad eandem frugalitatem. ,,
Nam vinum habent pro veneno afferente dementiam: opipa- ,,
ris au- ,,

„ ris autem obsoniijs aiunt irritari concupiscentiam, beluam in-
„ saturabilem. Hæc sunt exordia conuiuij.

„ Dicat aliquis: Quid tum posteaquam conuiuis ordine suo discumbentibus adstiterunt ministri decenter parati ad obsequium? nullane sequitur comparatio? imò silentium maius quàm antea, ita vt ne mutire quidem cuiuam liceat aut respirare vehementiùs. Proponit quispiam quæstionem è sacris literis, aut soluit ab alio propositam, nihil de solutione solicitus. Nec enim captat laudem argutiarum aut eloquentiæ. Hoc tantum agit vt rem diligentius perspiciat, tum perspectam non inuideat minus perspicacibus, sed non minus discendi cupidis. Atque ita immoratur doctrinæ, subinde inculcans imprimensque animis præclaras sententias. Nam expeditam elocutionem, vt vna serie continuam, auditorum mens non valens assequi, relinquitur à tergo, nec satis audita percipit. Totum verò auditorium attentum auscultat in vno eodemque habitu, intelligere se nutu vultuque indicans, probare verò hilaritate ac exporrectis frontibus, interdum & dubitare hærereque, moto leniter capite summoque dextræ digito. Nec minore attentione iuniores qui adstant, audiunt. Enarrationes autem sacrarum literarum constant ex allegorijs. Nam hi viri totam legem existimāt habere animalis similitudinem: quòd præcepta corpus referant; animam verò sententiæ retrusiores sub velamine verborum abditæ, in quibus rationalis anima egregiè seipsam contemplatur, tanquam in speculo, sub his ipsis verbis miram sententiarum pulchritudinem conspiciens, & explicans è figurarum inuolucris; atque ita penitiorem intellectum in lucem producens, duntaxat apud eos qui per occasionem admoniti, sciunt obscura ex apertis colligere. *Silentium aut dissertationes sacræ in mensa.*

„ Vbi verò Præses visus est, rem bene tractando, satis fecisse auditorum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus: tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens à se compositum, aut desumptum ab aliquo vatum ve- ACTIONES GRATIARVM FINITA MENSA.

 terum

terum: extant enim huius generis carmina prisca versu trimetro, & hymni cum suis accentibus inter sacra canendi ante altaria, vel à stantibus vel à choreas ducentibus moderatas variis flexibus atque reflexibus. Præsulem mox imitantur cæteri decenti ordine, omnibus intentè quieteque auscultantibus, præterquam in fine hymni extremaque clausula: tunc enim vniuersi vocem extollunt sine sexus discrimine. Absolutis hymnis singulorum, iuniores paulo ante dictam mensam efferunt, in qua ritè cibus ille sacratissimus, panis fermentatus cum sale apponitur & hyssopo, ob reuerentiam mensæ dedicatæ in templi vestibulo: nam & in ea solent proponi panes cum sale absque condimento alio: sed panes non fermentati, sal sine vlla mixtura. Conuenit enim sacris pura simplicitas, egregium diuini cultus præmium: eam vulgus imitari debet, abstinere tamen his panibus, vt potiores priuilegium habeant.

SACRAE CHOREAE.

Cœnam verò sequitur sacrum peruigilium his ritibus: Vbi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum, alter fœminarum: cuique suus incentor præficitur, honore præstans & canendi peritiâ. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos varijs metrorum carminumque generibus, nunc ore vno, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus atque accentibus, modò stantes, modò prorsum retrorsumúe gradum mouentes, vtcumque res postulat. Deinde postquam vterque chorus seorsum expleuit se his delicijs, velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti in rubri sinus littore, post mirandum prodigium, quando mare, Deo iubente, alteris salutem, alteris perniciem attulit. Diductis enim violenter aquis & vtrinque consolidatis in parietum speciem, medium interstitium latam viam & siccam populo præbuit, per quam ad continentis aduersæ loca editiora traijceret. Aquis deinde in suam regionem pristinam hinc illinc refluentibus, & medium solum paulo ante nudatum inundantibus,

bus, ausus eos persequi hostis, mersus internecione perijt. Accepto autem hoc tam insigni & insperato beneficio, correpti numine viri pariter ac mulieres, & in vnam choream conglomerati, hymnis gratias Seruatori Deo canebant, præcinente viris Moyse Prophetâ, Mariamne verò prophetide, fœminis. Ad horum maxime imitationem hic Therapeutarum Therapeutridumque chorus cōpositus, & mixtis ad graues virorum acutis fœmineis vocibus, concinnè temperatus, concentum reddit suauissimum vereque musicum; pulcherrimis enim verbis includuntur sententiæ pulcherrimæ, religiosis choreis accedentibus. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Horum porro vniuersorum finis vnus & idem est pietas. Itaque producta vsque matutinum hâc comessatione honestissimâ, neque grauati crapulâ, neque nictantes, sed excitatiores, quàm cum venirent ad conuiuium, verso ad auroram vultu totoque corpore, quamprimum Solem orientem aspiciunt, felicem diem & veritatem perspicacemque mentem sibi comprecantur, atque ita precationibus absolutis ad suum quisque semneum secedit, & ad negotiationem culturamque consuetæ philosophiæ. ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Hactenus de Therapeutis naturæ contemplatoribus, & huic tantum studio curandæque animæ per totam vitam deditis, cæli & mundi ciuibus, patri conditoriq; rerum propter suam virtutem commendatissimis, qua conciliante adepti cælestis numinis amicitiam, præmium conuenientissimum, fortunâ virtuti posthabitâ, euaserunt ad supremum felicitatis fastigium. ,, ,, ,, ,, ,, ,,



# CAPVT VIII.

*Ordines varij vacantes infirmorum ac defunctorum curæ, quibus auctoribus sua fundamina debeant: Nonquid Apostolis?*



SI rectè calculum pono, Ordines virorum ac mulierum infirmis mortuisque famulantium, ab Diaconis nec non à Laborantibus Apostolico sancito Hierosolymæ institutis, originem suam referre mihi plane videntur. Et hi quidem DIACONI, fuerunt ordinati, cùm *crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd in ministerio despicerentur viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos constituatis super hoc opus.* Quidnam verò fuerit eiusmodi ministerium, à quo Græcorum viduæ viderentur exclusæ; duplex reperitur sententia: Altera eorum, qui arbitrati sunt certas Hebræorum viduas, mensarum ministerio fuisse præfectas: nam & mulieres Domino ministrasse inferius demonstrabimus. Alij autem ipsum ministerium quotidianum esse censuerunt quotidianam rerum necessariarum in singulos distributionem, cùm nemo PROPRIVM possideret & *diuidebatur singulis prout cuique opus erat.* Porrò secundum priorem sententiam esse potiùs existimandum, facile persuadent verba superius citata. Mensas autem illas quibus præfecti sunt Diaconi fuisse sacras & communes demonstrat satis historia nascentis Ecclesiæ: sicut enim Dominus ac Redemptor noster in vltima illa memorabili cæna, vtramque mensam vnà coniunxit, communem & sacram; in quarum priori agnum ex more comederent in alterâ vero mox consuetâ, sacratissimum suum CORPVS & SANGVINEM propi-

DIACONI INSTITVVNTVR.

*Act. 6.*

LOCVS ACTVVM APOSTOLORVM ELVCIDATVS.

*Act. 4.*

propinauit: ita etiam temporibus Apostolorum, eadem in Ecclesia consuetudo noscitur conseruata; vt simul vtramque mensam coniungerent. Est de his perspicuum Apostoli Pauli testimonium, in prima quam ad Corinthios scribit, Epistola, pro vt omnes inibi notant interpretes. Cùm enim ait: *Vnusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est*; ecce cænam communem, id est, non sacram. Cùm verò rursus inferius subdit, post deductum exemplum cænæ Dominicæ, verbis istis: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat, &c.* de mensa sacra intelligere, non est qui dubitat. His ita positis, *ministerium* quotidianum nihil aliud fuit, quam adhibitum eiusmodi mensis obsequium, quæ quotidie parabantur; sicut & ait Lucas, fideles perseuerasse quotidie in communicatione fractionis panis. Verùm non communẽ tantum cibum per fractione panis debere intelligi Paulus docet cùm ait: *Panis quem frangimus, nonne participatio est corporis Domini?* Facessat ergo sententia adfirmantium Diaconos, mensis tantùm communibus, non etiam ministerio altaris fuisse præfectos. Quid enim ad cibaria paranda talibus opus fuit ministris, tantâ solicitudine delectis, tam sacris ritibus initiatis, quos quidem Lucas narrat conquisitos fuisse, boni testimonij & Spiritu sancto plenos, quibus Apostoli manus imposuerint?

1. Cor. 11.

Act. 2.

1. Cor. 10.

Porrò quod mensis communibus ministrarent Diaconi, non sic accipiendum est, quasi cæteris accumbentibus mensis adstarent mediastinorum more, quæ ad cibum potumque pertinerent ministrantes; sed quòd ea, quibus cuique opus esset, eleemosynas diuidendo curarent. Quippe qui non solùm ministerio sacramentorum, sed etiam dispensationi Ecclesiasticæ substantiæ, & eleemosynarum largitionibus essent præpositi. Sicut & hoc ipsum vsu postea retentum esse, Hieronymus, Ambrosius, Leo, Prosper & alij testantur: extat-

Hiero. in Ezech. 48. Ambr. offic. cap. vlt. Leo ser. de S. Laurent. Prosper in chron. ann. 429.

Greg. ep. 24. indict. 4. que apud Gregorium Papam, scripti formula cum alicui Diaconia committeretur.

Cæterum Diaconos non omnia ministeria Ecclesiastica per se obijsse, sed alios complures habuisse ordine sub se positos ministros, ex his quæ S. Ignatius scribit ad Antiochenos satis exploratum habetur, dum ait: *Saluto sacros Diaconos*. Et paulo Ignat. ep 12. post: *Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores; Saluto custodes sacrorum vestibulorum Diaconissas*. Horum autem singulorum Ordinum quænam fuerint munera, satis constare putamus, cùm in Ecclesia eadem perseuerent. Imo verò, quidam eorum Ordines asceticos monasticos aut Regulares per se subsequentibus seculis constituerunt. Nam & DIACONOS habemus, expressos in omnibus Religiosis, qui curandis infirmis ac pauperibus intendunt, DIACONISSAS in eiusdem instituti Sanctimonialibus; quarum seriem suis temporibus dare studebimus. LABORANTES autem, expressos cernere est in Fratribus quos CELLVLARIOS appellat Franciscus Modius, eosdem his versibus loquentes inducens:

QVINAM MODIS LABORANTIVM ORDINEM CONSTITVANT. Francis. Modius l. cleri totiusque R. E. Habit.

*Cepimus à cellis nomen, quia semper in illis*
*Nostra ægris gnaues cura laborq; vacant:*
*Quos adeo haud timidè nostri est accedere moris,*
*Vt neque mors telis nos fuget ipsa suis.*
*Illa licet regnet per rura, per opida victrix,*
*Sternat & infami corpora cuncta lue;*
*Nos tamen intrepidi morientum claudimus ipsa*
*Lumina, & in facili contumulamus humo.*

Celle-Broere. Cuiusmodi fratres in Belgio nostro lingua cymbrica **Celle-Broere** appellitant, planè quales olim hoc primo sæculo fuere Epiph. in Comp Doct. LABORANTES, *qui* Epiphanio referente, ***corpora eorum qui obdormierunt obuoluunt & cooperiunt.***

DIACONISSAE INTER NOS QVAENAM SINT HODIE. Quod verò spectat ad Diaconissas, constat quidem post Diaconorum electionem, viduas illas quæ præerant ministerio quotidiano, ab eo desijsse ac cessasse: verùm non penitùs in ordi-

ordinem esse redactas, sed alijs functionibus esse mancipatas: de quarum electione agens Paulus, non minùs quàm sexaginta annorum viduam eligendam, eamque moribus probatam præcipit. Earum ergo munia non tacet Clemens in Constitutionibus: *Elige Diaconißam fidelem & sanctam ad mulierum ministeria: nam accidit aliquando vt in aliquorum domos Diaconum ad mulieres mittere non possis; propter infideles: mittes igitur mulierem Diaconissam propter improborum cogitationes. Nam ad multos vsus muliere Diaconissa indigemus: ac primùm cùm illuminantur mulieres, Episcopus vngit frontes ipsarum oleo sancto, deinde Diaconißa eas abstergit: non est enim necesse mulieres adspici à viris.* Eiusmodi functionibus, & si non omnimodis, vacant inter nos Sanctimoniales quæ peruigilijs infirmorum operam interdiu noctuque nauant; fideliter adeo vt iam inter magnates vtriusque sexus fideles, nulla magis fida, quàm, quæ à Sanctimonialibus præstatur infirmis custodia. Vtinam verò eâ, quâ necessum est, cautione, semper adhibeantur. *Clem. in Const. lib. 3. c. 15.*

Cæterum, Diaconos ac Diaconissas viuis magè coloribus exprimere mihi videntur homines Religiosi, qui xenodochijs præsunt excipiuntque non aduenas modò, sed & languidos, & moribundos: leprosisque præsunt: de quibus fusè Iacobus Vitriacus, qui cùm varios Ordines in Oriente florentes delineasset, subsequentem orationis seriem contexuit:

„ Sunt insuper aliæ tam virorum quàm mulierum sæculo re-
„ nunciantium & regulariter in domibus leprosorum, vel ho-
„ spitalibus pauperum viuentium absq; æstimatione & nume-
„ ro certo, in omnibus Occidentis regionibus congregatio-
„ nes, pauperibus & infirmis humiliter, & deuotè ministran-
„ tes. Viuunt autem secundùm S. AVGVSTINI regulam, absque
„ proprio, & in communi, sub vnius Maioris obedientia; &
„ habitu regulari suscepto, perpetuam Domino promittunt
„ continentiam. Seorsum autem viri & seorsum feminæ
„ cum omni reuerentia & castitate dormiunt, & mandu-
„ cant. Horas autem canonicas, quantum hospitalitatis stu-
dium

*Iacobus Vitriac. in hist. Occident. ca. 29. pag. mihi 337.*

dium, & pauperum Christi ministerium permittunt, diebus ,, & noctibus audire non omittunt. In domibus autem, in qui- ,, bus maior est conuentus & numerosior Fratrum & Sororum ,, congregatio, frequenter in capitulo ad corrigendas delin- ,, quentium negligentias, vel pro alijs necessarijs & honestis ,, causis, congregantur. Lectiones etiam diuinarum Scriptu- ,, rarum plerumque dum reficiuntur corpora, sibi faciunt reci- ,, tari; in refectorio & alijs certis locis, & horis constitutis silen- ,, tium obseruantes. Homines autem infirmos vel hospites sa- ,, nos, quos in domibus suis suscipiunt, separatos à mulieribus ,, manducare faciunt, & dormire. ,,

Capellani autem eorum cum omni humilitate & deuotione ,, pauperibus & infirmis in spiritualibus ministrantes, verbo di- ,, uinæ prædicationis indoctos instruunt, pusillanimes, & de- ,, biles consolantur, & ad patientiam & gratiarum actionem ex- ,, hortantur. Diuinum officium, vt omnes infirmi audire in ,, lectis suis valeant, in capella communi, diebus & noctibut ,, assiduè celebrant. Confessiones autem & extremas vnctio- ,, nes, & alia sacramenta diligenter & sollicitè subministrant ,, infirmis, & mortuis debitam exhibent sepulturam. ,,

Hi igitur Christi ministri, sobrij & parci sibi, & corporibus ,, suis districti valde & seueri, erga pauperes & infirmos miseri- ,, cordiæ visceribus affluentes, & prompto animo necessaria ,, pro posse subministrantes, quantò abiectiores sunt in domo ,, Domini in via, tantò gradum sublimiorem consequuntur in ,, patria. Tantas autem plerumque pro Christo sustinent infir- ,, morum immunditias & fœtorum molestias penè intolerabi- ,, les, sibimet violentiam inferentes; vt nullum aliud pœni- ,, tentiæ genus huic sancto & pretioso in conspectu Dei marty- ,, rio posse arbitrer comparari. Hæc igitur sordium stercora, ,, quibus velut fimo mentes eorum ad fructificandum impin- ,, guantur, Dominus in lapides pretiosos permutabit; & erit eis ,, pro fœtore odor suauis. ,,

Hæc autem sancta & Deo amabilis hospitalitatis regula, & ,, hospi-

hospitalium religio in pluribus locis & domibus eorum adeò corrupta est, & quasi ad nihilum miserabiliter redacta, quòd hominibus reproborum sordida & detestanda congregatio, non solùm his, qui eorum nequitiam pleniùs agnouerunt, displicet, sed etiam in conspectu Dei fœtet. Sub prætextu enim hospitalitatis & simulatæ pietatis facti sunt quæstuarij, mendacijs & deceptionibus, & modis omnibus, quibus possunt, pecunias importunè extorquentes, seipsos pascentes, de pauperibus autem non curantes, nisi quantum eorum occasione possunt eleemosynas à fidelibus exigere, modicum conferentes pauperibus infirmis, vt propter hoc negotiatores dolosi & caupones astuti, quodam venationis genere fraudulento, multa lucrentur. Qui enim pauperibus parum tribuunt, vt ampliùs accipiant, & sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias, venatores potius quàm benefici reputandi sunt. Sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur & pisces. Modicum escæ in hamo ponitur, vt pecuniæ seculi in eo pertrahantur. Adeò autem importunè & irreuerenter & anxiè eleemosynas petũt, vt religionis reuerentiam in se confundentes contemptibilem reddant. Contra quos ait B. Hieronymus: *Melius est non habere quod tribuas, quàm impudenter petere quod des*. Plerumque etiam perturbatos fratres multa in hypocrisi exteriùs simulantes; vel per mercenarios, & mendaces capellanos, qui simplices non formidant decipere, & falcem suam in messem alienam mittere, vel per Indulgentiarum litteras, quibus turpis lucri cupiditate abutuntur, multa turpiter lucrantur. Vt de illis taceamus, qui falsariorum crimen pessimum incurrentes, falsis litteris, & bullis furtiuis in perditionem vti non verentur. Ea verò quę turpiter congregant, quàm turpiùs in comessationibus & ebrietatibus expendant, & alia sequentia, quæ in occulto & in tenebris ipsi tenebrosi operantur, licet non erubescant patrare, pudet tamen nos ad præsens recitare. De regularibus autem institutis, & ordinis puritate, nihil præter exteriorem habitum retinentes, omnes ferè per simoniam recipiunt. Qui

ABVSVS QVORVNDAM.

turpiter ingressi, turpissimè ad imitationem aliorum ibidem ,, commorantur, in murmure & dissensione, in iurgijs & seditionibus, in otio & dissolutione, in loculis & proprij retentione, in cubilibus & immunditijs, & omnimoda fœditate, sine affectione, absque misericordia, sine fœdere. Lectos autem in oculis hominum ornatos, pauperibus autem & infirmis vacuos, ad ostentationem & seductionem componunt. Domos autem hospitalitatis & pietatis in speluncas latronum, prostibula meretricum, & synagogas Iudæorum conuertunt. ,,

*Hospitalia per Europam primaria.*

Huiusmodi autem pestifera corruptio & detestabilis hypocrisis non omnes hospitalium domos occupauit. Quædam enim sunt regulares congregationes, & principales Conuentus, seu capitalia hospitalia, in quibus non desinit feruor charitatis, vnctio pietatis, honestatis decor, & seueritas disciplinæ; quemadmodum sunt hospitalia ***S. Spiritus in Romana vrbe, & S. Samsonis in Constantinopolitana ciuitate***, & ***S. Antonij*** in ipso capite, & ***B. Mariæ Ronsciuallis***, in introitu Hispaniæ, & alia quædam Deo grata, & pauperibus peregrinis seu infirmis valde necessaria. ***Parisijs*** autem & ***Nouiomi*** in Francia, ***Pruuni in*** Campania, & ***Tornaci*** in Flandria, & ***Leodij*** in Lotharingia, & ***Bruxellis*** in Brabantia sunt hospitalia pietatis, & domus honestatis, officinæ sanctitatis, conuentus decoris & religionis, refugia pauperum, asylum miserorum, consolationes lugentium, refectio esurientium, & suauitas & mitigatio infirmorum.

CAPVT



## CAPVT IX.

### *Adſertiones Cœlibatus & Cœnobiarchatus ſancti Ioannis Euangeliſtæ.*



NNO Domini centeſimo-primo, Clementis Pontificis anno IX. Traiani Imperatoris an. II. qui fuit à Paſſione Chriſti LXVIII. S. IOANNES Apoſtolus & Euangeliſta, VIRGO à Deo electus, VIRGO moritur Epheſi, excitato ſibi plurimorum DISCIPVLORVM pariter Chriſto famulantium ASCETERIO.

Nec obſtant eius cœlibatui quorundam apocryphæ narrationes de nuptijs eiuſdem in Cana Galileæ, cum Maria Magdalena contractis ac celebratis. Aiunt enim ipſum viſo miraculo aquæ in vinum mutatæ, thorum & ſponſam reliquiſſe: exindeque Domini diſcipulum effectum fuiſſe. Sed hæc omnia commenticia ſunt, ac nuperis annis excogitata; cùm penes antiquos Patres nulla prorſus harum nuptiarum mentio reperiatur: quas ſi reſciſſent veteres, quantum putas negotij feciſſet Hieronymo Iouinianus hæreſiarcha, qui tam pertinaci animo Ioannem hunc Euangeliſtam VIRGINEM fuiſſe negabat: ſi hic inquam quoquo modo, vel per coniecturam ſaltem, dicere potuiſſet, nuptias factas in Cana Galileæ fuiſſe Ioannis? Quis thalami ſecreta ſcrutatus, Ioannem adhuc poſt nuptias Virginem permanſiſſe confirmare voluiſſet? Quomodo & * Manichæi qui & apocrypha quæcumque aduerſus nuptias congerere ſoliti ſunt, tam optatâ non ſunt vſi occaſione, vt ex dirempto Ioannis coniugio Chriſtum odiſſe nuptias affirmarent; non veriti & Paulum in exemplum adducere, quòd ſuâ prædicatione Theclam ſponſo oppignoratam è nuptijs terrenis diuulſerit? Certè tantùm abeſt vt hæc de Ioannis nuptijs illi vel ſaltem meditarentur, vel à Patribus qualibet

VIRGINITAS ET COELIBATVS S. IOANNIS EVANGELISTAE.

*Hier. lib 1. contra Ioui.*

** Aug. contra Fauſt. li. 30. cap. 4.*

aliâ occaſione eadem dicerentur: vt potius ex iiſdem nuptiis, quibus Saluator ſui auguſtiſſimam præſentiam exhibuit, contrarium prorſus adſtruerent atque firmarent: nimirum Chriſtum probaſſe nuptiarum ſacramentum ac ſuâmet præſentiâ conſecraſſe.

*Hiero. lib. 1. cont. Iouin.* *Ignat. epiſt. ad Phila.*

Cæterum de cœlibatu Ioannis, quòd numquam contraxerit nuptias, non Hieronymus tantum, ſed & Ignatius haud mediocris auctoritatis vir, grauiſſimus aſſertor eſt. Idipſum verò non de Ioanne tantùm, ſed & de Iacobo teſtatur Epiphanius: quibus Auguſtinum conſentire nemo ſanis oculis non viderit; dum ait, eâ de cauſsâ IOANNEM à Chriſto plus cæteris amatum quòd, NEQVE VXOREM DVXERIT, & ab ineunte pueritiâ CASTISSIMVS VIXERIT. Quod ſi apocryphis interdum vti liceat; apud Abdiam habetur, eundem Ioannem Chriſti perſuaſione NVNQVAM CONIVGIVM APPETIVISSE.

REIELLITVR COMMENTVM DE NVPTIIS S. IOANN. EVANG.

Verum enimuero, ne leuiter res graues adtingere videamur, dicamus, vnde commentum illud de Ioannis nuptiis deductum emanarit, vt & intelligatur quàm parum iudicio valeant talia fingentes. Auguſtinus igitur præfatione in Ioannem Euangeliſtam, hæc ſcribit: *Iſte ſiquidem eſt* IOANNES *quem Dominus* DE FLVCTIVAGA NVPTIARVM TEMPESTATE VOCAVIT *& cui matrem Virginem* VIRGINI *commendauit*. Quæ verba in eum ſenſum adducunt iſti, quaſi Ioannes nuptiis alligatus à Chriſto vocatus fuerit: non animaduertentes ſic Auguſtinum dixiſſe vocatum à nuptiis, non quòd cùm vxorem duxiſſet reliquerit, ſed quòd eam prorſus non acceperit: prout idem ipſe Doctor in eiuſdem operis coronide apertè teſtatur *plus amatum, quò* NEQVE VXOREM DVXERIT *&* AB INEVNTE PVERITIA CASTISSIMVS VIXERIT. Nam (quòd omnes norunt) non eſt vxorem ducere, eam à domo parentum ad propria traducere, ſed ſe coniugio obligare, iuxta illud Comici: *Pamphilus vxorem duxit*. Nec aliud ab his de Ioanne Auguſtinum ſenſiſſe, exploratiſſimum eſt: Nam dictum Euangelii de nuptiis explicans (quod imprimis dicendum fuiſſet)

*Augu. præf. in Ioan.*

*Terent. in Andria.*

fuisset) de Ioanne nullam prorsus mentionem habuit.

Sed hæc satis ad refellendam ridiculam de connubio Ioannis sententiam. Baronius certe (cuius hac in parte laboribus vsi simus) censeret adsentiendum potiùs esse Nicephoro affirmanti, nuptias eiusmodi fuisse Simonis Cananæi, qui vnus ex duodenario Apostolorum numero *Zelotes* est appellatus. Quin & Nathanaël erat è Cana Galilææ, opido (vt tradit Hieronymus) posito in Galilæa Gentium. Ad monachismum eius quod attinet, facit Hieronymus vt facilè persuadear, S. Ioannem Apostolicæ communitatis haud immemorem, discipulos collegisse, eosdemque perfectionem Euangelicam sectandam docuisse: *B. Ioannes Euangelista, cùm Ephesi moraretur, vsque ad vltimam senectutem, & vix inter* DISCIPVLORVM *manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc:* FILIOLI DILIGITE ALTERVTRVM. *Tandem* DISCIPVLI *&* FRATRES *qui aderant tædio affecti quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Hoc est enim illud VNVM, cuius in REGVLA maximè meminit & inculcat Augustinus: *Hæc sunt, propter quod in vnum estis congregati, vt* VNANIMES *habitetis in domo & sit vobis* ANIMA VNA *&* COR, VNVM IN DEO.

Nicepb. hist. lib. 8. c. 30.

Hiero in lib. de loc. Heb.

Hiero epi. ad Gal. lib. 3. cap. 6.

Sed quid vetat dicere senecioni tam sancto, adfuisse duos illos nobiles diuitesque Cratonis philosophi quondam discipulos? Hi siquidem OPVLENTO PATRIMONIO SVO PAVPERIBVS EROGATO *& seruis libertate donatis*, APOSTOLVM IN PAVPERTATE SECVTI fuerant. Et licet ab instituto resilientes, aliquando retro-spexerint, suæ tamen inconstantiæ pænitentes, ad Apostolum Archimandritam suum reuersi, *postmodum* IN SANCTO PROPOSITO PERMANENTES *miraculis effulserunt;* quòd & pluribus edocuit Antoninus. Nec eorundem iuuenum immemor fuit Abdias.

Antoninus par. 1. cap. 6. Tit. 6. §. 1.



## CAPVT X.

*De Anachoretiſmo S. Ioannis Baptiſtæ: monaſterium, victus ve-ſtitus, eiuſq; diſcipuli diſquiruntur.*



A Ioanne ad IOANNEM, ab Euangeliſta ad BAPTISTAM venio, vt laude ſua non careat is, qui primo ſeculo patentem quaſi feneſtram ad Anachoretiſmum adaperiens, ſacratiſſimo illius ore laudatus eſt, qui VOTIVÆ Religionis auctor extitit Chriſtus Deus noſter. Nec immerito VITÆ MONASTICÆ PRINCEPS appellatur à B. Hieronymo, qui vix natus, vix luci notus, delituit in ſpelunca quadam montanæ regionis, infanticidæ Tyranni manus, alieno pede baiulante ſcilicet matre diffugiens. Hinc enim *in ſolitarijs locis libenter verſari ſolitus Angeloque duce vſus in remotiorem ſiluam receſſius ſeceſſit.* Hiſtoriæ prælibatæ fidem corroborare videtur S. Petrus Epiſcopus & Martyr Alexandrinus, adſerens Zachariam ſacerdotem Ioannis patrem, cædibus infantium inuolutum, *cum quibus*, inquit, *Herodes & alium priùs natum infantem, dum interfecturus quæſiuiſſet, & non inueniſſet; patrem eius Zachariam interfecit, inter Templum & altare: cùm effugiſſet filius cum matre Elizabeth.* Itane Regis edicto incluſus etiam Ioannes, qui nec in Bethleem nec eius finibus circumcluſus? Minimè verò, ſed enim illa conceptionis eius & Natiuitatis admiranda (quorum adſpectu *factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum: & ſuper omnia montana Iudeæ diuulgabantur omnia verba hæc; & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo dicentes: Quis putas puer iſte erit?*) Regem pauentem & ne quidquam vana timentem perculerant. Vnde lapſus in errorem illum, quo poſtea ludificati Iudæi, pro Chriſto Ioannem ſuſpicere, & pro Meſſia ſuſcipere contenderunt, ſpeciali mandato iuſſit occidi, vt ſe tam inſomni ſuſpicione liberaret.

IOANNES BAPTISTA INFANS DESERTVR IN DESERTVM.

*Hieron. epiſt. 22. ad Euſt. Niceph. hiſt. lib. 1. cap. 14.*

*Petr. Alexã. in ſuis regulis eccleſiaſt. can. 3.*

*Luc. 1.*

Equidem

Equidem necari iussum Zachariam inter Templum & altare docent vnanimi consensu Cyrillus Alexandrinus, Origines, Gregorius Nissenus & Basilius; quamuis de caussa necis eius non ita consentiant. Itaque illa nobis fortasse liberior opinio fuerit, quæ fugam Ioannis in desertum occasionem paternæ necis tyranno præbuisse docet.

*Cyrillus adu. Antropomorphitas* *Origenes in Matt. tract. 20.* *Greg. Nisse. de Natiuit. Christi.* *Basilius de humana Christi generatione.*

Neque etiam sententiæ nostræ de translatione Ioannis in Eremi latibulum, reluctatur Ecclesia; imo verò in eandem duobus, vt aiunt, pedibus ire videtur, hisce verbis sancto præcursori & protoeremitæ accinens:

*Antra deserti, teneris sub annis,*
*Ciuium turbas fugiens petisti;*
*Ne leui saltem maculare vitam*
*Famine posses.*

Exprimit enim, vt opinor, pauculis versibus caussam, quâ motus Ioannes in eremo remansit quando *teneris* quidem *sub annis*, sed iam canescente iudicio, non gressibus corporeis, sed intimis animæ progressibus *antra deserti* adpetijt. *fugiens* tunc *ciuium turbas*, quemadmodum baiulante carissimâ matre, infanticidarum militum turmas Domine præcauente effugerat; vt verissimum sit illud Euangelistæ: *Puer crescebat & confortabatur spiritu; & ERAT IN DESERTIS vsque in diem ostentionis suæ ad Israel.* *Lucæ 1.*

DE MONASTERIO S. IOANNIS BAPT. *Sophronius in prat. spirit. cap. 1.*

Quantũ autẽ ad habitationis eius latebras, eas adtestatione sincerâ nobis indigetabit Sophronius. *Erat, senex quidam habitans in monasterio Abbatis Eustorgij, Ioannes nomine; quem S. Elias Episcopus Hierosolymorum voluit ducem Monasterij constituere. Ille verò non adquiescebat, dicens: In montem Sina; orationis caussâ, pergere volo. Archiepiscopus autem cogebat eum prius Abbas fieret, & postea pergeret, quò vellet. Cum verò senex non adquiesceret, dimisit eum spondentem se, postquam reuersus esset, suscepturum regiminis curam. Et ita, salutato Archiepiscopo, iter arripuit vt ad Sina montem proficisceretur, adsumpto secum & discipulo suo, transuadatoq; Iordane fluuio, cùm vix*

*vna*

*vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paullum inuasit eum febris. Cùm verò in tantum excresceret ardor febris, vt ambulare non posset, inuenerunt* SPELVNCAM PARVVLAM; *in quam ingressi sunt, vt requiescerent. Cùm verò febris ita inualuisset, vt se vix mouere posset, in ipsa* SPELVNCA *dies tres commorati sunt. Tunc senex in somnis adspexit quendam adstantem sibi, & dicentem: Dic, senex, quò ire vis? Respondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne quæso recedas hinc. Cùm verò seni id persuadere non posset, abscessit. Febris verò seni amplius infesta erat. Rursus nocte sequenti, idem seni adstitit, eodem habitu, & ait: Quid, senior, affligi vis? audi me, & nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex: Tu quisnam es? Respondit is qui apparuerat: Ego sum* IOANNES BAPTISTA, *& ideo, tibi iubeo, vt nusquam recedas; nam* SPELVNCA *ista breuis, maior est monte* SINA: *quippe in* * *hanc sæpius Dominus noster* IESVS, *cùm me visitaret, ingressus est. Pollicere mihi quòd hîc habitabis, & ego mox tibi sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit, se in eadem* SPELVNCA *permansurum: & continuò sanus effectus perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore.* SPELVNCAM *verò illam fecit Ecclesiam, congregauitque* FRATRES. *Appellatur locus ille* SAPSAS.

* *Eiusdem etiam meminiße videtur Beda de locis sanctis c. 13.*

*Fuit in eodem loco commorans in spelco senex alius, tantæ virtutis, vt leones secum in eadem spelunca susciperet, atque cibum in sinu suo ipsis præberet.* Quod autem locus hic proximus adeò fuerit ripæ Iordanis; existimant illam speluncã fuisse potius IOANNIS habitationem, cum è deserto veniens baptizaret in Iordane, quàm vbi antehac sedem fixerat, ex quo puellus adhuc in eremum secesserat. Et si hâc in parte Mantuanum audiamus, mõs Carmelus ei monasterium præbuit: sic enim concinit, cui tamen planè subsignatum nolim:

*Bapt. Mant. mense Iunio.*

——————— *Puer iste, futuræ*
*Nuncius ætatis, miro diuinitùs ortu*
*Editus, impuri fugit contagia vulgi:*
*Et memor Heliæ, nemora & siluestria gressu*
*Per loca soliuago primis habitauit in annis,*
*Et modò Carmelo residens in monte, virorum*
*Heliadum, saltu qui versabantur in illo,*

*Discebat*

*Discebat mores ; & delectatus eorum*
*Relligione, diu gelidis habitabat in vmbris;*
*Et modò Iordanem propter.*

Verùm obmissa longiori disquisitione cœnobij huius Archimandritæ (nam & discipulos plures habuisse conuincit sacer textus, loco non vno) ipsiusmet vesti suis coloribus depingendæ penicillum admoueamus. Deus bone, qualis illa? pilis nempe camelorum intertexa, rudis, aspera, scabra, qualem *cilicium* appellare valeas. Id enim S. Paulinus Nolanus Episcopus, dum de Melania nobili Romana agit, adserit in hunc modum: *De pallijs, quæ ex camelorum pilis texta, asperitate setarum compungebant homines, & in mentem reuocabant* IOANNEM, *quem pili camelorum, hirto tegmine vestiebant*. Extat & alterius Paulini Consularis carmen de Ioanne Baptista sic editum: VESTIS S. IOANNIS BAPTISTÆ QVALES. *Paulinus ep. 10. ad Seue.*

*Vestis erat curui setis conserta Cameli,*
*Contra luxuriem molles duraret vt artus,*
*Arceretq; graues compuncto corpore somnos.* *In collectan. Poeta Christian.*

Ex quibus videre est impudentiam Chytræi Nouatoris, adserentis vestem hanc fuisse similem illis, quas ** Vndulatas* vocamus.

** Itali appellãt ambeletto. Gal. li autem camelot ondé.*

Iam verò ZONA, qualis? nequaquam sanè popularis: cùm enim Iudæi tota Palestina *laneis* vterentur, ipse contra comparans ex ea sibi vexationem, *pelliceâ* cingebatur, dicente Hieronymo: *Stupebat ad conuersationem Eliæ &* IOANNIS BAPTISTÆ, *quorum vterque* ZONA PELLICEA *adstrinxit &* MORTIFICAVIT LVMBOS SVOS.

Sed enim quia vestis sola Monachum non constituit, disquirendum restat, quis cibus, potusque illi cesserit in victum: at ecce Lucas in promptu, *mella siluestria, locustas*, & de fontibus *vndam* adsignat: quibus adeò parce vsus, vt ore dominico, perhibeatur vixisse *neque manducans neque bibens*. Locustas autem, in Palestina, fuisse genus animalium comestibilium, diuina scriptura planè demonstrat, eadem inter *munda* recensens. Centuriatores tamen easdem cancrorum genus adfirmant, IOANNIS VICTVS. *Lucas 7.* *Matth. 11.* LOCVSTAE. *Leuit. 11.* *Centuriatores col. 364.*

*Pronunciales vocant. langoustes.*

quos à piscatoribus proiectos Ioannes colligebat, & Euangelica libertate, comedebat: quales in Hispanijs alibique locorum vidisse me memini ex Oceano ac Mediterraneo mari productos. Sed qui deliciosum eiusmodi cibum, mensæ præcursoris Dominici proposuerit, grillos in capite habere necessum est. Strabo quidem nobis auctor est, gentem quandam Æthiopum, locustis vesci, quas sale maceratas in massam coägulant conseruandas. De Parthis eadem tradit Plinius. De Orientalibus Libycis eadem quoque scribit Hieronymus, quibus subscribit & Augustinus. Addit verò Beda notissimas esse *locustas* in Palestina, quæ corpusculis in modum digiti manus exiguis & breuibus, inter herbas facilè captæ, coctæque oleo, pauperem victum parant: easdemque salitas exiccari fumo, & sic comedi, habereque grauem & ingratum palato gustum, docuit Euthymius.

*Strabo li.16. Plin. Natur. hist. lib. 11. c. 29. Hier. l. 2. ad. Iouinian. Aug. Conf. li. 10. c. 31. Beda de locis Sanct. c. 14.*

DE MELLE SILVESTRI.

Cæterùm cùm de Siluestri melle, multi multa tradant vnicus nobis impræsentiarum audiendus est Beda, loco citato, referens quæ à S. Episcopo Archulpho Sanctorum locorum peregrino curiosissimo, didicerat: *In eodem* DESERTO *sunt arbores, folia lata habentes & rotunda, lactei coloris, & melliti saporis, quæ naturâ fragilia manibus confricantur, & eduntur; hocque esse* MEL SILVESTRE *dicitur.*

Ast his omnibus reclamat & aduersatur Isidorus Pelusiota, qui, quæ posteritati stilo communicauit, potuit à Palestinæ Monachis, Monachus ipse, didicisse. Sic enim communem aliorum opinionem fortiter explodit: LOCVSTÆ *quibus* IOANNES *alebatur non animantia sunt, vt quidam imperitè putant, scarabeis similia; absit: verùm herbarum ac plantarum summitates. Eodemque modo, rursum, non herba quædam* MEL SILVESTRE; *verùm* MEL MONTANVM, *quod ab agrestibus apibus conficitur, summeq́; amarum & gustui omni infestum atque inimicum. Quibus ex rebus, singularem quandam peneq́; incredibilem corporis afflictionem,* IOANNES *præ se ferebat: vt qui non inediâ dumtaxat, verùm etiam victus asperitate, omnem corporis appetitionem amaram redderet.* Arbiter

*Isidor. Pelus. ad Timoth. lector. epist. 132. li. 1.*

biter esto nunc, bone Lector, & vtri sententiæ malis adhærere, selige: totum enim censuræ tuæ submittimus; constat enim dictionem Græcam ἀκρίδες & locustam insecti genus infirmas gerens ad volitandum alas, item & herbarum cacumina significare.

Postremò quam natiuè Monachum Eremicolam, ac deinde, congregatis discipulis, cœnobiarcham expresserit D. IOANNES BAPTISTA, nullus ferè nostrorum scriptorum non dicit. E quorum agmine pauci ecce prodeunt: IOANNES AVCTOR VITAE MONASTICAE.

Chrysostomus: *Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli, ita* & MONACHORVM PRINCEPS EST IOANNES BAPTISTA. *Chrys Hom. 1. in Marc.*

Idem ipse: *Considerate,* MONACHI, *dignitatem vestram:* IOANNES PRINCEPS VESTRI EST DOGMATIS; IPSE MONACHVS, *statim vt natus, in eremo viuit, in eremo nutritur.* *Homel. de Ioan. Bapt.*

Hieronymus: *Huius vitæ* (Monasticæ) *auctor Paulus, illustrator Antonius; & vt ad superiora conscendam,* PRINCEPS IOANNES BAPTISTA. *Hiero. epist. 22. ad Eust.*

Isidorus Pelusiota: CIBOS & VESTITVM MONASTICÆ VITÆ, *iuxta Deum perfectæ omnibusq́ numeris absolutæ,* IN IOANNE BAPTISTA DIDICIMVS. *Isid. li. 1. epi. ad Nilum.*

Huc etiam faciunt Euangelistæ, quibus referentibus, cùm sacratissimum Dominici Præcursoris caput amputatum, & quasi nobile apophoretum mensis foret illarum regijs, DISCIPVLI *eius venerunt & tulerunt corpus eius & posuerunt illud in monumento.* Vt hinc etiam Ioannem Baptistam CONGREGATIS hactenus DISCIPVLIS cœnobiticè, procul dubio, conuiuentibus, COENOBIARCHAM extitisse discamus. Sic enim Alipius & Euodius Augustini, sic Maurus & placidus Benedicti DISCIPVLI prædicantur. Vnde videre est, quàm non immeritò scriptorum nostrorum aliquot primarij, calamos suos armarunt aduersus Nouatores, qui eo deuenerunt iniquitatis aut stultitiæ, vt malint, corrupto Dei verbo, IOANNEM vitæ otiosæ & deliciosæ infamare, quàm adstipulari Monasticam *Matth 14. Marci 6.*

& Eremiticam ab eo vitam dimanasse: quæ altis adeò radicibus in Ecclesia defixa vt nullis moliminibus auerruncari iam possit; & in cuius defensionem incassum nostra pluribus desudaret industria.

---

## CAPVT XI.

***De S. Paulo Gentium Apostolo. Cœlibatus eius perpenditur; & mulieres aliquot ab eodem, castitati deuotæ producuntur.***

DE Monasticis Apostolorum institutis lectori meo satisfecisse non videbor, si Pauli cœlibatum tacitus præteriero. Nec alium hîc testem quàm ipsummet citatum velim: illa enim, quam ad Corinthios dedit, epistola, sepiculè pluribusq; cœlibatum suum insinuat, patenter adeo, vt nihil supra: ***Volo autem***, inquit, ***omnes homines esse*** SICVT MEIPSVM. Et hæc tamen planiùs explicans subdit: ***Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant*** SICVT ET EGO. ***Quòd si non continent, nubant. Melius est enim nubere quàm vri.*** Quibus quid manifestius, quid ue apertius dici potuit? qui dum hortatur ipsas virgines ac viduas, vt sic permaneant sicut & ipse, licentiam tamen haud adimens nubendi, si non contineant, se planè cœlibem vitam agere, nec ambiguè, nec obscurè significat. Quorum quidem verborum (licet explicatione minus indigeant) illum esse legitimum, germanumq́ue sensum, Patres planè omnes quotquot in Ecclesia Catholica floruere scripserunt. Texuit quorundam catalogum Hieronymus, qui in dictam Pauli epistolam ad Corinthios, commentarios edidere; ac de Pierio Theologorum celeberrimo hæc ait: ***Quorum Pierius cum sensum Apostoli ventilaret, atque dissereret; & proposuißet illud exponere: Volo omnes esse sicut me ipsum; adiecit*** ἄντα λέγων ὁ Παῦλος ἀντικρὺς ἀγαμίαν κηρύσσει. ***quod est:*** SIC DICENS PAVLVS, APERTE COELIBATVM RRÆDICAT. Epiphanius etiam: ***Omninò quidam grassa-***

*1. Cor. 7.*

*Hieronym. epist. 22.*

*grassatores, & ad libidinem conuersi, & corruptam opinionem in seipsis habentes, etiam sanctos polluere volunt, ad honestam excusationem praua ac infirma suæ opinionis; ad quos dixit Apostolus: Vellem quidem omnes esse sicut meipsum. Meipsum verò quomodo dicit, præterquam propter castitatem?* In hanc sententiam, cæteri omnes, eam sunt epistolam interpretati. Epiphan. hæres. 70.

Sed enim, quid sentiemus de epistola S. martyris Ignatij ad Philadelphios scripta, vbi Paulum vxoratis adnumeratum notamus? Moris est scilicet omnium qui pertinaciter rem minus veram iustamque defendunt & manifestam veritatem impugnant; vt quo minus veras habent, quibus fulciantur, rationes, eo magis fraudibus nitantur, eoque dolosius imposturas adhibeant. Sic quidem Nouatores, vt quoquo modo suæ ipsorum incontinentiæ Paulum cogant adstipulari, deprauata Ignatij Martyris epistola ad Philadelphios abutuntur; vbi inter eos quos ille recenset fuisse coniugatos, post Petrum addiderunt, *Paulum & alios Apostolos*. Nec leuis suspicio est Græculos, quo suo recensiori mori de presbyteris coniugatis suppetias accerserent, hunc locum Ignatij deprauasse. Sed perfacilis est eiusmodi strophæ atque figmẽti detectio. Qui enim antiquiores, vel Græcos vel Latinos codices peruestigãt, quorũ alij, teste Baronio, in bibliotheca Vaticana & Sfortiana, alij alibi Romæ sunt, addititium esse Pauli nomen intelligent. At non tantùm Romani codices vetustiores, ab omni impostura liberi, id apertè demonstrant; sed & peregrini, in quos tamen nulla prauitatis labes irrepsit: vt ille veneranda antiquitate nobilis, qui asseruatur in amplissima bibliotheca inuictissimi Regis Pannoniarum Matthiæ Coruini. Haud dubium quin & alij omnes eidem tempore æquales eandem germanam contineant lectionem. DEPRAVATA EPISTOLA S. IGNATII MARTYRIS.

Atqui appello iudicium omnium rectè sentientium. Quibusnam maior est adhibenda fides, antiquioribus an recentioribus? Sed etsi deesset eiusmodi de inspectione codicis argumentum; de germana Ignatij lectione, prouoco ad anti-

quiores scriptores, non dico ad Patres tantum, qui pro cælibatu aduersus hæreticos instituerunt defensiones; sed ad ipsosmet hæreticos, qui eundem acerrimè impugnabant. Quis vnquam, quæso, ad adstruendum coniugium Pauli, Ignatium testem adhibuit? non arbitror equidem, eos adeo fuisse vecordes ac stupidos (cùm prudentiores sint filij tenebrarum filijs lucis in genere suo; & præsertim Iouinianus hæresiarcha, qui omnem lapidem voluit Apostolos omnes coniugatos ostensurus, si quâ potuisset) vt præclarissimi viri certissimum atque irrefragabile testimonium, cùm ea potissimum quæ oculis inspexisset, testatus esset, oscitanter adeo prætermiserint. Sed esto, hoc illos præterierit: num eodem quoque torpore, somno ac lætargo potius, absorpti sunt cæteri antiquiores, qui pro cœlibatu scribentes & ex cœlibatu Pauli probationes instituentes, tam liberè firmiterque id adstruere potuissent, si vnus ipsis, instar omnium obstitisset Ignatius?

Ast quid imprimis Tertullianus non tantum de Pauli, sed & aliorum Apostolorum cœlibatu? *Petrum*, inquit, *solum inuenio maritum per socrum; monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Cæteros autem cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.* Plura addit de cœlibatu cæterorum Apostolorum, ac de Paulo specialiter * superius dum eum in ordine spadonum adnumerat, aitque: *Ad quem spectans & Apostolus, propterea & ipse castratus, continentiam mauult.* Eadem non tantum de Paulo, sed & cæteris Apostolis Hieronymus, *Quoniam*, inquit, *excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de alijs Apostolis, quòd vxores habuerint; & cùm de vno scriptum sit ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significat.* Idem ad Eustochium: *Neque audiendi sunt*, ait, *qui eum* (Paulum) *vxorem habuisse confingunt.* Hæc cùm dicat ille, an non nouit quas ipsemet recenset Ignatii epistolas, eamque ad Philadelphios, vbi Paulus & cæteri Apostoli coniugati dicerentur?

*Tertull. de monogam. c. 8.*

** Eodem li. cap. 3.*

*Hiero. aduer. Iouin. lib. 1.*

*Ad Eustoc. epist. 22.*

Sed

Sed quid de Chrysostomo dicam, ciue ac presbytero Antiocheno, cuius etiam Ecclesiæ fuit Ignatius Episcopus? Potuitne ipsum prætérijsse, quod de coniugio Pauli idem scripsisset Ignatius, cùm tam intrepidus constansque sit assertor cœlibatus Pauli? De Theodoreto etiam, quid existimandum? qui cùm Ignatium sępe citet, se earundem epistolarum lectioni assueuisse, sanè quidem ostendit: an non rubore saltem suffundi debuisset, tam firmiter Pauli cœlibatū attestans, si Ignatij tanto testimonio confutari potuisset? Sed prætermittimus alios, satis superq; existimantes ex his quemque prudentem Lectorem in Ignatij epistola latentem imposturam detegere atque perspicuè intelligere posse. *Chryso de Virg. & alijs multis locis.* *Theodor. in immutab. dial. 1. 2 & 3*

At certè etiam Pauli infensissimus hostis Ebion temporibus Apostolorum hæresiarcha, quantumlibet tam ipse quàm eius asseclæ, pluribus calumnijs vehementer Apostolum exagitarent; tamen absque vxore Christianum eum fuisse demōstrant, dum ipsum quidem tentasse vxorem accipere, sed quoniam quam cupiebat non accepisset, idcirco Christianis adhæsisse ac sic aduersus Iudæorum legem plura scripsisse, tradiderunt. Reddam Epiphanij verba hæc ipsa narrantis, cùm aduersus Ebionæos hæreticos scribit: ***Paulum sic accusare non erubescunt, per conficta quædam verba ex maleficio & errore pseudo-Apostolorum suorum, Tarsensem quidem ipsum (velut ipse etiam confitetur & non negat) dicentes; verum ex Græcis ipsum fuisse asserentes, occasione accepta ex loco ob veritatis studium ab ipso dicto, nempè: Tarsensis sum, non ignobilis vrbis ciuis. Deinde asserunt ipsum esse Græcum & ex patre Græco: ascendisse autem Hierosolymam, & per tempus illic mansisse, concupiuisseq; filiam sacerdotis in vxorem accipere. & huius gratia proselytum & accessorium factum esse, & circumcisum esse: deinde cum puellam assecutus non esset, ira concitatum esse, & contra circumcisionem scripsisse, & contra sabbatum & legem.*** Sed etsi proprium sit hæreticorum mentiri; non puto tamen hac saltem ex parte Ebionem adeo fuisse dementem, vt si nouisset Paulum habuisse coniugem, eum cœlibem ad Christianos defecisse, *Epiphan. hæres. 30.*

cisse, fateri voluisset: quippe qui eam ansam in eum obloquendi, ex cœlibatu ipsius accepisse credatur. At verò haud tantopere quempiam insanire credo, vt velit Paulum cœlibem vitam egisse, dum Iudæus permansit, ad Christum verò conuersum, se coniugio obligasse. Nam cum ipse dicat: *Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Quis adeò mente captus existimet eum, qui ad tam ingentem molem agitandam, nempe Apostolatum gentium omnium administrandum delectus erat, voluisse insolubilibus coniugij vinculis deuinciri, ac negotiorum domesticorum curâ perstringi; cùm ipse etiam Timotheum monens, dicat: *Labora sicut bonus miles Christi. Nemo militans Deo se negotijs implicat secularibus, vt ei placeat cui se probauit?* Sed facessant hæc commenta.

PAVLVS SEMPER COELEBS. 1. Cor. 7. 2. Tim. 2.

EX CONIECTVRIS ARGVMENTVM.

Quòd si denique de Pauli cœlibatu agere etiam volumus coniecturis: fortissima quidem ea est, quæ ducitur ex eius vitæ instituto olim inito, antequam Christi fidem capesseret, cùm Iudæus inter Iudæos esset. Pharisæus quidem sectâ fuit; ac non remissus sane vel mollis, sed (vt & loquentem audiamus) *proficiebam in Iudaismo supra omnes coætaneos meos, abundantius existens æmulator Paternarum traditionum.* Qualis autem esset Pharisæorum vitæ ratio, Epiphanius satis docet, tradens inter alia, alios ex ipsis, octo, alios decem annorum spatium ad continentiam ab omni labe carnalis voluptatis, sibi solitos esse præscribere. Iosephus Iudæus, rerum Iudaicarum historicus, & ipse, sicut profitetur, sectâ Pharisæus, de seipso agens, ac de alio itidem Pharisæo, qui eum instituebat ad castitatem seruandam, hæc scribit: *Cùm audissem Banum quendam in* SOLITVDINE VIVERE *amictum sibi parantem ex arboribus; & alimentis sponte prouenientibus vtentem, crebrisq; nocte & die lauacris frigidis vti* AD CASTITATEM TVENDAM: *cœpi eius institutum imitari, exactisq; in eius contubernio tribus annis postquam cupitis satis potitus sum in vrbem redij.* Addit deinde, se nec postea, licet ad trigesimum

Ad Phili. 3. & ad Gal. Epiph. lib. 1. hæres. 16. Ioseph. in vita sua.

mum suæ ætatis annum peruenisset, vllis carnis illecebris esse victum, nec nisi in matura ætate nuptias expetisse.

Si hæc agebat Iosephus, si his multo maiora complures aliorum Pharisæorum præstitisse noscuntur; quid de Paulo existimandum putamus, qui eo in genere omnes facilè superauit, & æqualibus antecelluit? Esto igitur de cœlibatu Pauli firma sententia, suâ imprimis professione testata, Patrumque omnium consensu firmata, hostium quoque probata adsertione, coniectura denique certis deducta exemplis pariter declarata.

His igitur de cœlibatu Pauli firmiter adsertis, Theclam virginem castimoniæ per eum mancipatam, paucis aduertentes, Gregorium Nyssenum imprimis audiamus: *Talem myrrham olim* PAVLVS *infundebat ex ore suo, mystam cum* PVRO PVDICITIÆ LILIO, *in sancta* VIRGINIS *aures. Ea vero erat* THECLA, *quæ præclarè animo suo defluentibus de* LILIO *guttis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione cupiditateq; extinctâ.* Gregorio Nysseno facilè subscribit Epiphanius: *Thecla incidit in Paulum sanctum &* A NVPTIIS EXOLVITVR, *cùm curatorem siue sponsum haberet formosissimum, primarium vrbis, valde diuitem, generosissimum ac illustrissimum in vita: contemnit terrena sancta illa, vt cælestium potens fiat.* His etiam consentientia loquitur Faustus hæreticus apud Augustinum: *Iam timeo Apostolo ne dæmoniorum doctrinam intulisse tunc Iconium videatur, cùm* THECLAM OPPIGNORATAM IAM THALAMO, IN AMOREM *sermone suo* PERPETVÆ VIRGINITATIS INCENDIT. Quid sanctus Ambrosius? *Thecla doceat immolari, quæ* COPVLAM FVGIENS NVPTIARVM *& sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum* VIRGINITATIS *veneratione mutauit: namque parata ad feras, cùm* ASPECTVS QVOQVE DECLINARET VIRORVM, *ac vitalia ipsa sæuo offerret leoni; fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referret. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto significante sono, quòd* SACRVM VIRGINIS CORPVS *violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, natu-*

DE THECLA VIRGINE.

*Greg. Nysse. homel. 5. in Cant. Canticic.*

*Epiph. in Panar. hær. 78.*

*Aug. lib. 30. contra Faust. cap. 40.*

*Ambr. lib. 2. de virgin.*

*ram induerat, quam homines exuerant.* Subiungam Nazianzeni carmen in laudem huius Virginis eiusque virginitatis fusum.

Greg. Nanz. carmine de praecept. ad virgines.

*Quis Theclam necis eripuit flammaq́; periclo?*
*Quis validos vngues vinxit, rabiemque ferarum?*
VIRGINITAS. *O res omni mirabilis aeuo!*
VIRGINITAS *fuluos potuit sopire leones:*
*Dente nec impuro generosos* VIRGINIS *artus*
*Ausi sunt premere, & rigido discerpere morsu.*

Amb. in Auxent. de Basil. trad. fere in med. edit. Rom. tomo 5. apud Bar. an. 69. nu. 5

Denique, ne sola Thecla votiuae suae Virginitatis propositum Paulo debere videatur; faciet caussa mortis eiusdem Apostoli, cui cum beato Petro crimini datum ferunt, Ambrosio testante, quòd faeminas ad meliorem frugem & praecipuè CASTITATEM SERVANDAM conuertissent.



## CAPVT XII.

*Virgo Maria, virago mira,* VOTO CASTITATIS *adstricta, cum alijs puellis ac matronis, Salomonicum templum, quasi monasterium, plures annos incolit.*



NE fęminei sexus homines suo destituantur encomio, sacratissimam virginem Mariam instituti religiosioris inter suas primipilam si quis nomenclarit, merito fecisse mihi videbitur. Cùm enim Apostolica communitas Hierosolymae coalesceret, *omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus &* MARIA MATRE IESV. Nec scio an ex eo sacri codicis textu, quidam aetatis nostrae scriptor, ausus est subinferre, beatam Virginem *Monasterium* instituisse *centum & quinquaginta monialium,* cuius curam ipsa habebat, quasi fortassis post ascensionem Domini, coenobium in monte Sion erexerit, ibique ex multis fidelium Christi discipulorum Apostolicam communitatem amplectentium

Act. 1.

Carthagena tract. de sac. antiq. Ord. B. Mariae de monte Carmelo cap. 10.

tium vxoribus, viduis, ac Virginibus, totidem moniales constitutas velit: quod in probatis auctoribus antiquis monstrare foret operæ pretium. Verùm nolens in arenam cum scriptore præfato descendere, nec eius fidem altiùs eleuare; hoc sanè cuiuis certo adfirmabo, non alia de caussâ institutam; ab Ecclesia celebritatem Præsentationis B. Mariæ Virginis, nisi quòd adhuc tenellula (fortasse triennis) oblata Deo fuerit in Templo Salomonis, inter aliarum virginum choros, & votiuarum mulierum cœtus Domino castè famulatura. Puellas enim fœminasque templum Salomonis, quasi monasterium aliquod incoluisse, docet imprimis *Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, quæ vidua vsque ad annos* LXXXIV. *non discedebat de Templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.*

INSTITVTIO FESTI PRAESENTATIONIS B. MARIAE.

*Lucæ 2.*

Atque vt huiusmodi Religiositatis originem altiùs paullo, velut à sua scaturigine flumen deducamus; legitur æneum labrum cum basi sua fabrefactum à Moyse *de speculis mulierum quæ excubabant ad ostium Tabernaculi*; censentque eas fuisse quæ seculi lacinijs illecebrosisque mundi delicijs valere iussis, sese vnà cum mundo muliebri, Domini ministerio votiuè mancipabant.

*Exod. 38.*

Certè enim quisquis templi structuram considerauerit, diuersoria quasiq; monasterij vel claustri cellas votiuarum puellarum vsibus valdè accommodas inueniet: quas exactè satis describens Iosephus; *Salomon*, inquit, *in circuitu templi construxit* XXX. CELLAS *quæ inter se constipatæ externè parietes templi fulciebant. Erantq; inter se peruiæ & patebant singulæ in longum* XXV. *cubitos, ac totidem in latum: &* XX. *cubitis attollebantur. Super has alia series* CELLARVM *erat extructa, super quam rursum alia, omnes numero & amplitudine pares ita vt coniunctæ inferius ædificium æquarent altitudine; nam superius non erat circumædificatum: fuerunt autem omnia cedro contecta. Et* CELLÆ *quidem suum quæque tectum habebant.*

CELLAE TEMPLI SALOMONIS.

*Ioseph. Antiq. li. 8 c. 2.*

Hæc vero etsi de templo per Salomonem exædificato scribat Iosephus, tamen quod sub Zorobabel restitutum fuit, etsi

prioris altitudinem non æquaret, nihilominus ad instar illius fuisse constructum diuinæ docuerunt litteræ. In his igitur quas
1. Esdra c. 3. demonstraui cellis amplissimis, non modo fæminas ætate maturas voti caussâ Domino oblatas, sed & alias insuper diuersi ordinis eiusdem sexus personas, virgunculasque habitare potuisse, nemo non videt. Occurrit enim stratagema Iosabæ filiæ Regis Ioram quæ clanculum è cruentato Athaliæ in necem
4 Reg. 11. filiorum Ochosiæ debachantis gladio, Ioam præfati Regis natum adhuc mammantem in vna cellarum templi enutriuit, inter fæmineos & puellares inibi Deo castè famulantium greges. Præterea Virgines quasdam in templo reclusas loquitur etiam Machabæorum codex. Ipsissimæ sunt illæ quæ sacro gazophilacio, factiosâ Simonis auaritiâ iam iam violando, *pro-*
Machab. li. 2. cap. 3. *currebant ad Oniam, protendentes manus in cælum.*

Quòd harum fœminarum catalogo fuerit adscripta Dei mater, historica potius fides est, quàm traditio. Inibi verò CASTITATIS VOTO adstrictam mansisse, celeberrimi scriptores olim & hodie satis edocent; quorum aliquot producemus in medium.

Augustinus imprimis quam dilucidè! *Ipsa quoque* VIRGINITAS *eius ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit, sed priusquam acciperetur iam* DEO DICATAM, *de qua nasceretur, elegit. Hoc indi-*
Aug. lib. de S. Virg. c. 4. *cant verba quæ sibi fœtum annuncianti Angelo* MARIA *reddidit: Quomodo fiet istud quoniam* VIRVM NON COGNOSCO? *quod profectò non diceret, nisi* DEO *Virginem se ante* VOVISSET. *Sed quia Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam* VOVERAT. *Quamquam etiam si hoc solùm dixisset: Quomodo fiet istud; nec addidisset; Quoniam* VIRVM NON COGNOSCO: *non quæsisset vtique promissum sibi filium, quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset: Poterat & iuberi* VIRGO *permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo exciperet: sed exemplo sanctis futura* VIRGINIBVS, *ne putaretur sola* VIRGO *esse debuisse, quæ prolem etiam siue concubitu concipere meruisset,* VIRGINITATEM DEO

DICA-

DICAVIT, *cũ adhuc quid esset conceptura nesciret: vt in terreno mortaliq; corpore, cælestis vitæ imitatio* VOTO *fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi. Itaq; Christus nascẽdo de Virgine, quæ antequã sciret quis de illa esset nasciturus*, VIRGO STATVERAT PERMANERE, *virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare: ac sic etiam in ea fœmina, in qua formam serui accepit, Virginitatem liberam esse voluit.*

Gregorius Nyssenus: *Si* MARIA, *liberorum causâ ducta fuisset à Iosepho, quomodo parituram Angelo nuncianti, se rem nouã & alienam audire præ se tulisset; cùm ipsa quoq; sese astrinxisset naturæ legi, vt aliquando mater esset? Verùm quia* CARNEM DEO CONSECRATAM *tanquã sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramq; præstare; idcirco, licet, inquit, Angelus sis, licet de cœlo venias, licet id quod ostẽdis naturam superet humanam, tamen* ME VIRVM COGNOSCERE NEFAS EST. *Quomodo sine viro mater ero?* IOSEPH *enim* SPONSVM NOVI, SED VIRVM NON COGNOSCO. Greg. Nyss. or. de Chr ſt. Natiuitate.

Bernardus: *Missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! O fœminam singulariter venerãdam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum viuificatricem! Missus est, inquit, Angelus ad Virginem, Virginem carne, Virginem mente*, VIRGINEM PROFESSIONE, *Virginem denique qualem describit Apostolus mente & corpore sanctam.* Bern. hom. de laudib. Virg. Matr. super Euang. missus est. 1. Cor. 7. Idem serm. 4 super missus.

Bernardus idem: *Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem; nec enim quærit: an fiet istud, sed quomodo? quasi dicat: cùm sciat Dominus meus, testis consciẽtia mea*, VOTVM *esse ancillæ suæ, nõ* COGNOSCERE VIRVM; *qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud, si oportuerit me frangere* VOTVM *vt pariam filium? & gaudeo de filio & doleo de* VOTO. Bern. ser. 4. sup. Missus.

Idem non ibidẽ: *In libertate spiritus legis Mosaycæ decreta transcẽdens illibatam Deo corporis & Spiritus* SANCTIMONIAM VOVIT. *Probat enim propositi inuiolabile fundamentũ, quod tam constanter promittenti filium Angelo respõdit: Quomodo fiet istud; quoniã virum non cognosco?* Idem ser sup signum magnum.

Beda: *Propositum suæ mẽtis reuerẽter exposuit, vitã videlicet Virginalem se ducere* DECREVISSE. Beda in cap. 1. Luca.

S. Anselmus: *Virgo tenera & delicata, regali stirpe progenita & speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum, ad hoc intendit vt corpus & animam suam Deo*, VIRGINITATE PERPETVA, *consecraret.* S. Ansel. lib. de excell. Virginis cap 4.

 Bellar-

Bellar. lib. 2. de Monach. c. 22

Bellarminus: *Quomodo fiet istud quoniam virũ non cognosco? Quibus verbis virgo sanctissima significat impedimentum se habere, quo minus filium concipere, & parere posset. Impedimentum autem illud, non aliud esse potuit, quam* VOTVM CONTINENTIÆ *iam emissum. Illa enim verba (virum non cognosco) non significant, iam actu non cognosco: sed, non licet mihi cognoscere: alioqui ineptissima interrogatio fuisset, cũ posset statim responderi: etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulo post cognosces. Itaque sicut dicimus in quadragesima: Ego non vescor carnibus, id est, non licet mihi hoc tempore, carnibus uesci; sic beata Virgo dixit: Virum non cognosco, id est prohibeor virum cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi nisi* VOTVM. *Nam & virum habebat, & iuuenis erat; nec credibile est sterilem aut impotentem fuisse, vel certe id ipsa nondum scire poterat, cùm ad virum nondum peruenisset. Nec denique prohibebatur virum cognoscere aliquâ lege communi, vt notum est; igitur lege particulari; id est,* VOTO. Vnde non immerito sanctissimam hanc Virginem ordinis sui auctorem agnoscere posse videntur Sanctimoniales, quas ANNVNCIATAS vocitant. Certè enim beatam Ioannam Ludouici XI. Gallorum Regis filiam Religiosas à se institutas tali nomenclaturâ insigniendas ad Annunciationem Deiparæ respexisse non dubitamus, maximè si ea verba perpendamus, quibus & se virum non cognoscere, & Ancillam Dei se esse profitebatur. Verùm de ijs plura suis temporibus.

DIVA VIRGO QVANDO VOVERIT CASTITATEM.

Iam si quis roget quonam tempore augustissima Virgo, sanctimonialis Templi Salomonici non immerito vocanda, perpetuam Virginitatem voto nuncupato, Domino consecrarit, prius videndum erit, quid de Voto puellæ antequam fuerit desponsata vel postea, lex diuina sanciuerit: Sic enim per Moysem de puellari voto locutus est Dominus: *Mulier si quidpiam* VOVERIT, *& se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui & in ætate adhuc puellari; si cognouerit pater* VOTVM *quod pollicita est, &* IVRAMENTVM *quo obligauit animam suam, & tacuerit,* VOTI *rea erit: quidquid pollicita est & iurauit opere complebit. Sin autem statim vt audierit contradixerit pater &* VOTA *& iuramentã*

Num. 30.

*menta irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. Si autem maritum habuerit &* VOVERIT *aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento; quo die audierit vir eius & non contradixerit,* VOTI *rea erit, reddetq́ quodcunque promiserit. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaq́ quibus obligauit animam suam, propitius erit ei Dominus.* His pensatis haud putamus à veritatis tramite quempiam deuiaturum, si dixerit sanctissimam Virginem, antequam fuerit desponsata Ioseph, existentem in templi ministerio, parentibus scientibus, nec dissentientibus, votum virginitatis nuncupasse. Ea autem ante parentum obitum contigisse etiam docemur, si credimus Cedreno, qui vndecimo anno ætatis Virgunculæ, parentes eiusdem ex hac luce subtractos adseuerat, licet de re tam antiqua haud facilè recenti auctori illa sine teste adfirmanti adhibendus sit assensus.

Habito superius in ea continentiæ Voto, iugum obedientiæ subijsse veram ANCILLAM DOMINI, præstitamq́ue debitè cuilibet maiori, non est quod disquiramus. Equidem, quod restat Paulus Morigia de beatissimæ Virginis VOLVNTARIA PAVPERTATE verba faciens, Si, inquit, paternam successionem inter inopum manus non distraxisset, vtique filius eius de seipso non diceret: *vulpes foueas habent & volucres cæli nidos filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Nec tacet idem scriptor larga Regum Orientalium munera, in Virginis matris gazophilacium, liberali manu deposita: quibus retentis, poterat inter opulentissimas fortasse recenseri. Sed hoc alijs examinandum proponimus.

*Paulus Morig. lib. de Orig. Relig.*

*Matth. 8.*

Nonquid abs re modo fuerit, si quod è M S. Cod. de præfatis muneribus ad oculos & manus mihi nuper venit, Lectori communicauero licet apocriphum imò verò commentitium? Ad cautelam fecisse non erit impertinens. *Legitur in quadam historia Regum Orientalium qui Domino munera obtulerunt, quòd Thare Pater Abraham fecisset monetam seu denarios ex iussu cuiusdam*

*Regis*

Bibliotheca nostra Tornacena.

*Regis Mesopotamiæ, nomine Ninus & recepisset* XXX. *denarios pro suo salario. Hos denarios dedit Abraha qui ipsos in peregrinatione in exilio consumpsit ad diuersas manus transeũtes. Item denarij ad manus Ismaëlitarum deuenerunt, & pro ipsis à fratribus venditus est Ioseph. Et dum dominaretur in Ægypto, hi argentei à fratribus pro frumento ad manus Ioseph sunt traditi; & ipsi fratribus restituti. fratres ipsos denuo dispensatori Ioseph dederunt, qui ipsos misit in Saba pro mercimonijs ex parte Pharaonis. Et temporibus Salomonis, dum ab Oriente venit Regina Saba audire eius sapientiam, ipsos* XXX. *argenteos obtulit in templo. Et temporibus Roboam, dum Nabuchodonosor Rex Templum spoliauit & thesaurum abstulit, ipsos* XXX. *denarios cum alijs thesauris tradidit Regi Godoliæ, qui secum erat in exercitu: & sic cum alijs thesauris Regis Godoliæ, vsque ad natiuitatem Christi permanserunt; & tunc regnum Godoliæ in regnum Nubiæ est translatum. Nato itaque Domino, Melchior Rex Nubiæ, videns in stella Christum de Virgine natum, ipsos* XXX. *denarios, quia antiquius & nobilius aurum in thesauris suis non inuenit, Dei nutu ipsos Christo obtulit. Postea beata Virgo Maria in Ægyptum fugiens, metu Herodis, in loco quo nunc est orus balsami amisit: quos quidam pastor reperit, & penes se* XXX. *annis seruauit. Et cum fama creuit de Christo, idem pastor in Ierusalem se transtulit & Iesus eum ab infirmitatibus liberauit. Et Christo in Templo prædicanti & docenti, ipsos* XXX. *argenteos & alia Magorum munera obtulit: quos Iesus recipere renuens, sed ipsos denarios in Templo afferre & omnia munera super altare ponere præcepit: quod & pastor fecit; & Iudæi ipsos* XXX. *argenteos in Corbonam proiecerunt & postea ipsos denarios pro traditione Iudæ dederũt. Iudæi reportatis denarijs agrum figuli pro* XV. *denarijs emerunt, & reliquos* XV. *militibus sepulchrum Christi custodientibus tradiderunt. Et cum factum erat de denarijs quod erat prædestinatum, statim fuerunt diuisi & hinc inde dispersi; sed antequam non erat factum quod de ipsis fieri debuit, semper insimul manserunt vt audistis.* Audiuimus vtiq; fatuas affanias quas nobis fatatur auctor ociosus (non dicam infatuatus) & in scripturis diuinis lusor audaculus, iocoso calami sui calculo subducens Iudaicæ proditionis & Iudæ perditionis argenteos.

CAPVT

## CAPVT XIII.

*Iudaei persecutionem in Christianos excitant: pelluntur eorum finibus Lazarus & sorores; appellunt Massiliam Galliae: S. Martha Tarasci coenobium instituit.*



ANNO Domini XXXV. Sulpitio Galbâ & Cornelio Sullâ Coss. dispersis post necem Stephani, quicunque Hierosolymis erant, Christianis, praeter Apostolos; per diuersas terras Ecclesia Dei feliciter propagari coepta. Non enim tantùm, quod tradit Lucas, dispersos esse per regiones Iudeae atque Samariae, sed & Palestinae fines egressos vsque ad Phoenicen & Cyprũ & Antiochiam, eiusdem postea auctoris testimonio satis perspectum habetur. De qua dispersione agens Athanasius, eamque sementi comparans, ait discipulos non imbecillitate disiectos, sed fidei gratia ita diuisos, vt vniuersum orbem peragrantes viuificae doctrinae virtutes efficiasque disseminarent. *Act. 11.* *Athanas. de semente.*

Hac ipsa dispersione, vt colligere possumus, Lazarus, Maria Magdalena, Martha & Marcella pedissequa, in quos Iudaei maiori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsi sunt, sed vnà cum Maximino Christi discipulo naui absque remigio in certum periculum impositi; quos diuina prouidentia Massiliam tradunt adpulisse: Comitemque eiusdem discriminis Iosephum ab Arimathea nobilem Decurionem ex Gallia in Britanniam nauigasse, illicque post praedicatum Euangelium diem obijsse. Sed quis valeat singulorum recensere vias & fructus praedicatione collectos? Ad MARTHAM quod adtinet eiusmet historia paullo altius repetita, MATREM ABBATISSAM aut partenonis praepositam fuisse facilè conuincet. Nec vllo meliori quam ipsius S.R.E. testimonio nobis opus; sic enim in officio diuino legimus: ***Martha mirabili vitae sanctitate & charitate, omnium Massiliensium animos in sui amorem & admirationem addu-*** *Acta Magd. & sociorum apud Suriũ 22. Iulij. Sigeb. in Chro. an. 745.* *Histor. Aug. MS quae habetur in vaticana bibliotheca.*

Breui. Rom. 29. Iulij lect. 6.

*ctis, in* LOCVM A VIRIS REMOTVM CVM ALIQVOT HONESTISSIMIS FOEMINIS *se recepit, vbi summa cũ laude* PIETATIS AC PRVDENTIÆ *vixit, ac demũ morte suâ ante prædictâ, miraculis clara, migrauit ad Dominum* IV. *Kal. Aug. Cuius corpus apud Tarascum magnam venerationem habet.*

S. Antoninus apertiùs multo eiusdem vitam, & in cœnobio conuersandi ritum exprimit hac orationis sequela: *Martha soror Mariæ Magdalenæ post ascensionem Domini cùm Maria & alijs pluribus missis à Iudæis in nauiculam vt submergerentur, deuenerunt Massiliam, quarum verbis & exemplis conuersa est ad fidem illa regio. Erat autem tunc temporis super flumen Rhodanum, in nemore quodam inter Arelate & Auenionem, draco quidã, quem vocant Tarraschon, qui media sui parte habebat formam piscis, aliâ verò formã animalis terrestris, crassior boue, longior equo, habens dentes ad modum ensis acutos: qui latens in flumine omnes transeuntes perimebat, & naues transeuntes submergebat. Venerat autem per mare de Galatia Asiæ à Leuiathham generatus, qui est serpens aquosus & ferocissimus; ad quem* MARTHA *à populis illius regionis rogata accessit, & signo crucis ei ostenso ac aquâ benedictâ asperso, vt ouis mitis effectus ab ea cingulo suo ligatus & inde eductus, à populo lanceis & lapidibus perimitur. Exinde de consilio sui magistri S. Maximini, magnam Ecclesiam ibi fieri præcepit, & habitationem iuxta eam; vbi congregata ad eam magna* MVLTITVDINE MVLIERVM *ad seruiendum Deo* ASPERAM VITAM DVXIT, CARNEM NON COMEDENS, NEC OVA VEL CASEVM; VINVM NON BIBENS, SEMEL IN DIE COMEDENS; *centies in die, totidem nocte genua in oratione flectebat.* Apertè satis rem habemus. & quid præter Monasterij vel cœnobij nomen hîc desit? Iuuat eadem quæ superius Mantuanæo poëmatio pandere:

Antoninus part 1. c. 10. tit. 6.

Bapt. Mant. in sacris diebus.

*Martha venit quondam translata procacibus vndis*
*Massiliam sine remigio, cum tota per orbem*
*Est dispersa domus Christi, flagrante per omnem*
*Assyriam Iudæûm odio, ac liuore Deorum.*

* * *

*Postq; sparsa fides & propagata tetendit*
*Latius errantes ramos:* COLLEGIT IN VNVM

VIRGI-

*Virgineos* *secum* *coetvs*, *statuitq́.* *pvdori*
*Grande* *gynecevm*, *quo se sociasq́. reclusit*
*Traductura dies tranquilla in pace quietos.*
*Cum venit suprema dies, cum in limine mortis*
*Iam foret, inferni manes venere repente:*
*Et subitas igne extincto sparsere tenebras*
*Per thalamum: fuit auxilio soror altera, quæ iam*
*Iuerat ad superos; magno cum lumine raptim*
*Affuit: & lemures atros in tartara misit;*
*Nomineq́. appellans Martham, dissoluere, dixit,*
*Corpore, & ad cælos mecum, germana, venito.*

Quid amplius in rem nostram optemus? Marthã aduertimus, cum aliquot honestissimis fœminis se recepisse in locum à viris remotum, eumque *Gynecæum* appellari, in quo *asperam vitam* duxit semel in die comedens, suis præfecta magna cum laude *pietatis & prudentiæ:* quæ duæ virtutes in Superioribus cœnobiticis maximè requiruntur. *1. Breuiar. Rom.*

Quòd autem Draconem illum à sancta Martha interfectum referant fuisse ab Leuiatham generatum; redolere videtur anilem Rabinorum traditionem. Aiunt enim homines illi, vigilando somniantes, Deum quinta die creasse pisces duos magnitudinis penè interminatæ, Leuiatham appellatos: quorum ille femellam occidit eiusque carnes salitas pro epulis delicatissimis electis præparauit; marem verò viuum reseruauit, vt cum eo successiuis diei horis luderet. Hoc autem in medium profero non vt Draconem illum à Martha occisum negem, sed solùm eius generationem à Leuiatham, vnde sit producta, Lectoribus meis insinuem, cui nequaquam adsentiendum arbitror. *Talmud. ord. 4. tract. 3. Vide etiam Sixtum Senensem lib. 1 Biblioth vbi agit de libro 3 & 4. Esd.*

Hæc de sancta Christi hospite dicta suffecerint, quæ ad Rhodanum, vt habet Middendorpius, Sacras virgines instituit. *Iacob Middend. histor. monast. c. 3.*

## CAPVT XIV.

*Sancta Maria Magdalena latebras incolens eremi, anachoretismum inuehit in Gallias.*



ARTHAM vidimus præfectam cœnobio, Mariam aduertamus viuentem in eremo: cuius beatissimæ peccatricis non tam conuersionem quàm in anachoretismo conuersationem graphicè nobis adpinget Mantuanus:

*Mantuan. de sacris diebus.*

*Cùm mala iam Christo sors in sua regna reuerso*
*Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa*
*Et soror & frater ventis ad regna secundis*
*Gallica venerunt; vbi curuo in littore quondam*
*Mœnia Phocenses noua fundauere Coloni.*
MAGDALENA *ferens sese in* DESERTA, SVB ALTIS
DELITVIT CRIPTIS, *mansitq; incognita longo*
*Tempore: & à solis habuit conuiuia diuis:*
*Cum quibus assiduè septem quas dicere mos est*
*Canonicas modulis celebrasse suauibus horas*
*Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.*
*Tandem vbi finito, venit latabile tempus*
*Exilio, positis iuit super æthera membris.*

DESCRIPTIO EREMI S. MARIAE MAGDALENAE.

Ad cuius historiæ lucem, facit situs eremi cognitio. Itaque mons est in Prouincia spectans ab Oriente Niciam, ab Occidente Massiliam, à Meridie, Adriaticum Oceanum, ab Aquilone verò Auenionem. Hic ad altitudinem ter mille passuum adsurgit, Cristam caucaseam seu iubam gerens saxeam decem millibus in longum porrectam: quam si spectaueris ac Occidente, vastissimum murum dixeris ad instar fere prægrandium turrium exurgentem. In rupis huius radice spelunca est eleuata, quantum neruoso vibratus brachio posset lapis pertingere, ore prospiciens occidentem, & clibani formam præ se ferens.

ſe ferens. Primis in faucibus ſpeluncæ breue quoddam atrium, intus verò ad læuam intrantis ſpecus eſt, non grandis, in qua ſolebat ipſa contemplationi & quieti nocte vacare. Vnde & inibi ſtatua lapidea proſtrata MAGDALENÆ quieſcentis, oculis tamen apertis ſpeciem refert quam B. Maximinus poſuiſſe fertur & lapidi puluinar exprimenti ſuperpoſuiſſe; qui quidem totâ ſpeluncâ guttatim, aliquando diſtillante perſeuerat immunis. Inter hanc ſpecum & extrema ſpeluncæ, fons pulcherrimus patet, frigidiſſimus tactu, guſtu ſuauiſſimus, nunquam deficiens & nunquam notanter ad extra proſiliens. Penetralia loci incolunt aliquot ordinis Prædicatorum viri.

Qualem ego ſpeluncam graphicè depingo, talem hiſce oculis vſurpare merui, cùm ex Italia ab Etruſco portu, per Adriaticum mare in Galliam redux adpuliſſem Maſſilliam, anno CIↃ. DC. XV. Hanc eandem beatiſſimæ peccatricis eremum, ſpecum, & ſtatuam poëmate pererudito ſimul ac pio ſic celebrauit quondam Petrarcha:

*Petrarcha apud Surium & Lipelomm.*

*Dulcis amica Dei lachrymis inflectere noſtris*
*Atque humiles adtende preces, noſtræq; ſaluti*
*Conſule: namq; potes. nec enim tibi tangere fruſtra*
*Permiſſum gemituq; pedes perfundere ſacros*
*Et nitidis ſiccare comis, ferre oſcula plantis,*
*Inq; caput Domini precioſos ſpargere odores:*
*Nec tibi congreſſus primos à morte reſurgens*
*Et voces audire ſuas, & membra videre,*
*Immortale decus, lumenq; habitura per æuum,*
*Nequicquam dedit ætherei rex Chriſtus Olympi.*
*Viderat ille Cruci hærentem, nec dira pauentem*
*Iudaicæ tormenta manus, turbæq; furentis*
*Iurgia, & inſultus æquantes verbera linguas:*
*Sed mæſtam intrepidamq; ſimul digitiſq; cruentos*
*Tractantem clauos, replentem vulnera fletu,*
*Pectora tundentem violentis candida pugnis,*
*Vellentem flauos manibus ſine more capillos.*

*Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum*
*Diffugerent pellente metu. Memor ergo reuisit*
*Te primam ante alios: tibi se prius obtulit vni,*
*Te quoque digressus terris & ad astra reuersus*
*Bis tria lustra cibi nunquam mortalis egentem,*
RVPE SVB HAC ALVIT, *tam longo tempore, solis*
*Diuinis contentam epulis, & rore salubri.*
*Hæc domus antra tibi stillantibus humida saxis*
*Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea Regum*
*Delitiasq; omnes ac ditia vicerat arua.*
*Hinc inclusa libens, longis vestita capillis,*
*Veste carens alia, ter denos passa Decembres*
*Diceris hîc, non fracta gelu, nec victa pauore.*
*Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile*
*Dulcia fecit amor, spesq; alto pectore fixa.*
*Hic hominum non visa oculis, stipata cateruis*
*Angelicis, septemq; die subuecta per horas*
*Cælestes audire choros, alterna canentes*
*Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.*

*SS. Reliquiæ S. Magdalenæ.* Sacra quædã Lipsana eiusdem sanctæ apud S. Maximinũ monstrata mihi fuere. Miratus sum grande caput carnibus vndiq; nudatum, exceptâ illâ frontis parte quam Seruator noster sacrosanctis suis digitis tetigisse fertur, cùm amore perrumpentem propiusque accedere properantẽ in horto blandè repellens dixit: Noli me tangere. *Ioan. 20.* Partem enim illam tegit pellis ad instar Æthiopisse, cui impressa duorũ digitorũ vestigia manifestè adparent, etsi alterũ altero euidentius, quia profundius. Sub ipsa pelle, caro albicans etiam cernitur. Visuntur inibi prætera ampullæ duæ vitreæ paruulæ & oblongæ, quarum altera capillos continet, qui lacrymis rigatos Domini pedes tersere: altera terram capit rubeo nigroque colore mixtam, sanguine dico permixtam & imbutam, quem ipsa sanctissimum collegisse dicitur, quando dignus pro indignis Caluariæ montem madefecit. Et is quidem cruor ipsâ horâ sextâ parasceues quotannis ebullire constanti famâ refertur. In-

Inuentionem prædictorum Lipsanorum talem fuisse recensuit Syluester Prieratis apud Surium:

Carolus Rex Siciliæ II.& comes Prouinciæ bello nauali cum Aragonum Rege congressus, victus, captus apud Barcinonem moriturus diro carceri mancipatur. Cumque omni spe destitutus indubitatam mortem expectaret, suadente magistro Guillielmo de Tonantis Religioso Dominicano vota Diuæ Magdalenæ nuncupat eique in fletu & ieiunio rerum suarum statum commendat.quàm ex animo! nempe pro anima. Nec in ventos fusæ preces, nam ipso peruigilio sibi sacro, Diua venit, & habitu matronæ grauioris, merenti & boijs suis detento præsentissima adfuit, ad instar Angeli, Petrum, Carolum inquam suum, egredi sequique iubens. Facit ipse, quàm libenter & expeditè, quid opus est rogare? Roganti verò & pro concaptiua familia deprecanti respondit ipsa: Sequere me & te tui sequenter omnes. Cùm autem aliquantisper processissent, firmato gradue. Sis, inquit illa, vbi sis modo? Intra muros Barcinonis, respondit ipse. Subiecit illa: Falleris enim, iam non hostilem calcas terram, sed propriam; & intra terminos principatus tui propè Narbonam iter facis. Excussis ille præ gaudio lacrymis: Quas, ô grates, exclamare cœpit, tibi liberatrici possim rependere? Cui illa: Instante bello quodam, corpus meum de meo sepulchro sublatum, & loco eius aliud suppositum est, vt fallerentur inimici, si meum corpus absportare voluissent. Illuc perge, & eas talibus signis inuenies. Ibi enim loci vitis est, quam sequens de ore meo prodijsse videbis, & ibi est caput meum totum nudum, exceptâ eâ carne quam Saluator mundi in horto tetigit, cum eius volui tenere vestigia. Capilli omnes interierūt, exceptis ijs, qui Iesu Christi pedes tetigere. Iuxta caput est ampulla plena terrâ madefactâ sāguine Christi: quā sub cruce collegi, & semper quoad vixi in memoriam Domini mei seruaui. Cùm hæc inueneris honore digno eleuabis, & locum meæ mortis & meæ pœnitentiæ, Fratribus meis, id est, Prędicatoribus trades: Ego enim Prędicatrix & Apostola

& Apostola fui conuentui loci in quo decessi, redditus pro centum Fratribus adsignabis, vt semper illic vigeat studium generale. His dictis disparuit. Ille verò factâ iam die Narbonam cernens, in eo loco in quo Magdalena disparuit, crucem figi iussit quæ vsque in præsens *Crux de Leuca* dicitur: & sanctum Maximinum adiens, omnia per ordinem reperit & iussa perfecit. Nam cum in illis duobus locis monachi habitarent, eis contributionem fecit & loca illa Fratribus Prædicatoribus tradidit adsignans redditus super Gabellis ciuitatis Niciensis, & alijs, iuxta præceptum MAGDALENÆ. Hactenus ex Syluestro satis. Quantum ad occultationem corporis eius, facta est anno mundi redempti IϽCCXVI. temporibus grassationis Saracenorum, vt in chartello iuxta corpus inuento adnotatum vidisse se narrat Richardus Cluniacẽsis in Nicolao Pontifice maximo eius nominis Nono.



## CAPVT XV.

*Conuentus aut collegia sacrarum Virginum Antiochiæ & alibi sub S. Ignatio florent: Earum aliquot martyrij laurea donantur temporibus Traiani & Hadriani.*



ANTIOCHENAM Ecclesiam aliasque ei subditas, sacris Virginibus abundasse, docent in primis epistolæ S. Ignatij ciuitatis eiusdem Episcopi, qui Christi frumentum annò decimo seculi secundi effectus bestiarum dentibus molitus, ad cælestia demigrauit. Loquentem audiamus aut certè scribentem legamus:

Ad Philadelphienses: *Vxores maritis subditæ sint in timore Dei;* VIRGINES *Christo, in puritate non abominantes nuptias, sed quod* PRÆSTANTIVS *est amplectentes; non in calumniam matrimonij,* (Ignat. epist. 9.) *sed vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent.* VIRGINES *solum Christum, in precibus vestris, ante oculos habete, & patrem*

*tremillius; illuminatæ à Spiritu sancto. Fruar vestra* SANCTIMONIA, *vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, vt Helizæi, vt Hieremiæ, vt Baptistæ Ioannis, vt dilecti illius Discipuli, vt Timothæi, vt Titi, vt Euodij vt Clementis, qui* IN *CASTITATE *exegerunt hanc vitam: non quòd vituperem reliquos *diuos, quòd rei vxoriæ se dederint; horum tãtummodò memini ( opto enim vt dignus sim in regno cœlorum ad horum pedes locum mihi dari, vt Abrahæ, Isaac, Iacob, vt Ioseph, Isaiæ & aliorum Prophetarum; vt Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, qui nuptijs operam dederunt ) sed studio* VIRGINITATIS *de qua loquor, illi in mentem mihi venerunt.* *puritate. *beatos.

Ad Smirnenses: *Saluto familias fratrum meorum cum vxoribus, & eas quæ* IN PERPETVA DEGVNT VIRGINITATE; *& viduas.* Epist. 10.

Ad Polycarpum: *Si quis potest* IN CASTITATE PERMANERE, *ad honorem carnis Dominicæ, vitet arrogantiam: Si gloriatus fuerit perijt; & si idipsum statuatur sine Episcopo, corruptum est.* Epist. 11.

Ad Antiochenos: *Populus pareat presbyteris & Diaconis;* VIRGINES *agnoscant cui* SEIPSAS CONSECRARVNT: *viri ament coniuges suas, memores quòd vna vni viro, non plures vni datæ sint in creaturæ exordio.* Epist. 12.

Ad Heronem Diaconum Antiochenum: VIRGINES *serua, vt preciosa* CHRISTI MONILIA: *Longanimis esto, vt prudentia in te cumuletur.* Epist. 13.

Ad Tarsenses: *Eas quæ in* VIRGINITATE *degunt, in pretio habete, velut Christi sacerdotes Viduas in pudicitia permanentes, vt altare Dei.* Epist. 7.

Ad Philippenses: *Saluto* COLLEGIVM VIRGINVM, *& cœtum viduarum.*

Aduertimus hinc præfecto non modo Antiochiæ, sed & in alijs eiusdem Episcopatus circum vicinis ciuitatibus aut opidis, sacrarum Virginum instituta collegia floruisse.

Earum in numero nomina dedisse virgines illas quinque, quas fidem palam profitentes Traianus igni tradidit, suspicari quis vetat, cùm Antiochenæ forent? Miraculis claruere post flammas: ossibus enim earum ad summum combustis, cine- QVINQVE VIRGINES ANTIOCHENÆ MARTYRIVM PASSÆ.

N ribusque

ribusque æri commixtis, ænea quædam vasa lauachro publico vsui futura, cùm fieri mandasset imperator, quicumque eò lauatum ingrediebantur, quamprimum calidas adtigissent aquas, caligine simul & vertigine correpti miserando impetu inde procurrebant, & concidebant. Causså autem eius mali cognitâ, Traianus, vt alia ex ære puro vasa balnea pararentur, mandat; priora autem illa fornacibus conflata, in quinq; transformat statuas, easque VIRGINVM combustarum formâ & HABITV pro balneo collocat.

S. SERAPHIA VIRGO ANTIOCHENA MARTYR. *Martyr. Rom. 3 Sept. Item Beda, Vsuardus, Ado & Sur. To. 53. Sept.* * *Area locus hic est vbi Christiani sepeliri soliti: nos cimiteria vocamus.*

Præfatis martyribus adnumeranda venit S. SERAPHIA, & ipsa virgo Antiochena quæ sub Hadriani temporibus martyrium Romæ patitur IV. Kalend. Aug. an. circit. CXXII. & à B. Sabina in suo monumento iuxta * *aream* Vindiciani sepelitur. Verum memoria passionis illius III. Non. Sept. celebrior habetur, quando ambarum sarcophagum ibi compositum ac ornatum, & orationis locus condigne dicatus fuit. Hæc autem VIRGO antequam iussu Berilli Iudicis, ardentibus facibus inflammaretur, fustibus cæderetur, ac demum gladio percussa migraret ad sponsum; duobus lasciuis iuuenibus, à quibus violaretur, exposita est, ast illæsa mansit. Nec nouo quidem exẽplo: sæpius enim Christianas VIRGINES antequam necarentur, in discrimen castitatis esse positas, reperimus; sed Deus cuius nutu regũtur omnia, eas saluo pudore voluit immolari. Habes apud Suetonium, antiquo Romanorum more nefas fuisse, virgines violentâ morte necare; atque idcirco ante constuprandas curare: ***Immaturæ puellæ, quia, more tradito,*** NEFAS ***esset*** VIRGINES STRANGVLARI, ***vitiatæ priùs à carnifice, deinde strangulatæ.*** Habes hoc ipsum ex Dione, necnon ex Tacito, cùm agunt de Seiani filia morti addicta. Verùm eiusmodi scelus antiquatum iam fuisse, videtur cùm reperiantur quamplurimæ VIRGINES Romæ passæ martyrium absque aliquo pudoris detrimento illato vel tentato.

MOS VIOLANDI VIRGINES EXTREMO SVPPLICIO AFFICIENDAS. *Suetonius in Tiberio cap. 61. Dio lib. 56. Tacit. lib. 5.*

De Virginibus primi seculi satis iam dixisse videor, licet & occurrat cum quatuor filiabus Philippi discipuli alijsque pluribus

bus IPHIGENIA Regis Æthiopiæ nata, quæ persuadente Matthæo Apostolo, VIRGINITATEM DEO VOVERAT; quamque præfatus Christi Euangelista PLVSQVAM DVCENTIS VIRGINIBVS PRÆFECIT, si sancto Antonino credimus, de cuius fide videndus foret in annalibus suis Baronius. Quid etiam Limouico S. Valeriam huc aduocem, cùm omnibus constet eam, B. Martialis hortatu, nuncupato voto, Dei Virginem velatam esse?

Breui. Rom. 21. Sept. lect. 5.
Anto par. 1. cap. 13. tit. 6

## CAPVT XVI.

*Aliquot illustres personæ quæ à temporibus Apostolorum vsque ad S. Paulum protoëremitam, monasticum statum, professione sua decorauere.*



PRIMO statim in limine seculi secundi nobis occurrit Clemens S. R. E. Pontifex, qui anno Traiani tertio martyrio coronatus est, cùm antea paullò FLAVIAM DOMITILLAM VIRGINEM SACRO VELAMINE donauisset, sicut apud Baronium scribitur. Audentius verò præfatum Pontificem Religiosorum catalogo adscribam, quòd in Chersonesum trans Pontum relegatus, non modò Christianos, sed & nominatim Cornelium & Phœbum DISCIPVLOS habuisse legatur. Semel autem monui, nomen hoc *Discipuli* in eiusmodi distinctis vsurpationibus, *monachum* aut *regulariter subditum*, sepe sæpius, peneque semper, significare.

CLEMENS PAPA.
Bar. an. 102. Metaph. 25. Nouemb.

Alius item Pontifex eodem seculo statum anachoreticum illustrasse videtur. Thelesphorum intelligo, qui *natione Græcus* EX ANACHORETA Sixto successit, anno CXLII. Cuius professionis testes habeo Baronium, Fasciculum Temporum, Iacobum Gordonum & Iacobum Gaulterium: qui omnes EX ANACHORETA ad Pontificatus apicem euectum scripsere. Et is quidem sui ipsius interpres vernaculus, hisce verbis vtitur: *S. Thelesphore*

THELESPHORVS PAPA.
Bar. an. 142. num. 2.
Fasci. temp. an. 134.
Iacob. Gord. in opere Chron. an. 142.

*lesphore* D'ANACHORETE *qu'il estoit,&c.* Verùm dissentire videtur Onuphrius noster: *VIII. Idus Aprilis, S. Xistus Papa occisus. Vacauit sed. dies II. S. Thelesphorus* ANACHORETÆ *F. Græcus ex presbytero creatus V. Idus April. sed. an. X. mens. VIII. D. XXVIII.* vbi non *anachoretam* professione, sed patre Anachoretâ vocato natum facit.

S. DIONYSIVS. Nullus autem monachismo S. DIONYSII Pontificis item Romani, contradixerit; quem à CVCVLLO ad thyaram vocatum omnes consentiunt S. Damasum Papam secuti: quorum auctoritates hîc citasse superuacaneum arbitror. *Damasus de vitis Pont.*

S. CLETVS. De Cleto S. R. E. Episcopo nihil hic dicam, quem qui in Italia propagati fuere Religiosi CRVCIFERI, suorum institutorum principem & authorem gloriantur. Aiunt enim sanctissimum illum Petri successorem angelica visione monitū, ædes quasdam vtensilibus suis instruxisse, easque Fratribus quibusdam industrijs ad recipiendos peregrinos commisisse; ijsque quòd ita angelus adparuisset, vt gestarent perpetuò CRVCEM monumentum Dominicæ passionis mandasse: Vnde Religioni nomen inditum. Sed hæc antiqua sunt & testibus partim indigentia, ac à nobis aliquando, donante Domino resumenda.

S. NARCISSVS EPISCOPVS HIEROSOLYMITANVS. Romanis Pontificibus, Hierosolymorum antistitem subnecto NARCISSVM, qui Episcopatu relicto solitariam vitam est auspicatus anno circiter CLXXXIII. iuxta calculum Onuphrij, nonnihil ab eo dissentire videatur Baronius. Quem autē in locum secesserit S. Narcissus etsi apud Eusebium aut Nicephorum haud lego: Si tamen coniecturæ dandum est aliquid, forsan in Ægyptum sese contulerit, ad eos quos è schola sancti Marci factos cœnobitas, Essenos superius demonstrauimus.

S. FRONTONIVS ABBAS. Haud procul his temporibus floruisse dicendus est sanctus FRONTONIVS ABBAS, qui an. XIII. Antonini Imp. claruisse legitur in vitis Patrum.

S. BEATVS EREMITA. S. Beatus vir Apostolicus nobis non est silentio sepeliendus: cuius vitam à Daniele Agricola publicatam anno Domini ∞IↃXI.

ↀ I Ↄ X I. retulit Georgius Garnefeltius; eandem verbis subſequentibus compendioſè enarrans: *Prædicante S. Barnabâ in Scotia Britanniæq́ partibus, Suetonius adoleſcens Chriſto credit, & baptizatus vocatur* BEATVS. *Deinde Romam venit & à S. Petro Apoſtolo mittitur ad Heluetios conuertendos. Fecit ille opus ſuum aliquot annis ſtrenuè; & poſtmodum* AMORE SOLITARIÆ VITÆ *inflammatus*, IN EREMVM SECESSIT, *draconem interfecit; obÿtq́ feliciter anno Chriſti C X I I. circiter ætatis X C.* Eiuſdem vitam eo pœmatio complectitur: Georg. Garn. lib. elucid. ſacrar.

*Hic vera Heluetÿs oſtendit Numina; Petri*
*Vnctus erat dextrâ; Barnabæ alumnus erat.*
*Nomine reque Beatus* AMANS DESERTA; *beatum*
*Solum, qui ſolus viueret, eſſe ratus.*

Arbitratur verò præfatus auctor ſanctum illum Beatum eundem eſſe, de quo M. R. I X. Maij, Molanus, Caniſius & alij. Eiuſdem etiam meminit Wicelius. Fuit & alius inſuper Beatus qui in Carthuſia Confluentina quieſcit. Wicel. li. 5. cap. 38.

Ac ne ſexus infirmior ſuis encomijs deſtituatur, vetant Virgines haud paucæ quibus enumerandis attritu calami ſit opus; quaſque in annalibus noſtris per digeſtam temporum ſeriem inſeruimus. Vnicam Eugeniam Philippi Ægyptiorum præfecti filiam memoratam volo: quæ habitum viri mentita inter monachos monacha patriſſauit. Quod pientiſſimum admirandumque, potius quàm imitandum facinus, ſtilo proſecuti fuere ſcriptores non pauci. S. EVGENIA ET ALIAE VIRGINES.





## Capvt XVII.

*De S. Paulo Thebæo & sancto Antonio Abbate: quos perperam protoëremitas aut protomonachos appellant.*



Actenvs quidem solidè satis iacta videntur primis illis seculis votiuæ castimoniæ, vitæque cœnobiticæ Fvndamina. Ioannem, Magdalenam, Narcyssum, Beatum, Dionysium Pont. Max. aliosque vidimus eremos incolentes: Apostolos, Essenos, Antiochenas sanctimoniales, aliasque cœnobiticè conuenientes, & monasticam vitam profitentes ex voto, descripsimus. Quid præter vestem à secularibus diuersam requiratur? Eam quidem hîc dare decretum mihi fuerat, sed quia longiore disquisitione earundem delineatio indigebat, placuit demum in alium libellum quem Domino donante propediem lucubrabimus reponere.

His quoque temporibus Coronas & *Tonsuras*, Monachis haud defuisse, perspicuè nimis ostendimus, quàm vt repetito sit opus; licet Dionysiani, super eis, scripti vindecias vberiores pollicitus fuerim libro tertio quem de Coronis & Tonsuris vulgatum iui; quas etiam in aliud Occasionis, vt ita loquar, capilli-prendium, bonâ lectoris veniâ reseruabo.

Cæterum ostendi sanè à scriptoribus nostris Paulum Thebæum primum Eremitam perperam indigetari, cùm eundem plures eiusdem instituti cultores præcesserint: sicut & ante Antonium plures Monachos extitisse satis declaraui. Et reuera vt me paucis, nec tacitus tamen, exoluam; Athanasius docet præfatum Antonium cùm Monachus fieri æstuaret, ad senem quendam accessisse, qui ab ineunte ætate monasticen exercuerat. Ex quo sequitur Monasteria (sicut idem docet Athanasius)

Athanasius) in agris ciuitatibus vicinis, extitisse; & S. Antonium primum Monachum haud fuisse; sed ante annum Domini CCC. Monachos floruisse, cùm anno circiter Domini CCLX. natus fuerit is, cuius adolescentiæ temporibus multi monachi senes inueniebantur. Torquet hoc Maddeburgenses Centuriatores, aliosque prauæ nouitatis sectatores, qui Monachismum mundo caput erexisse nolunt ante quartum orbis redempti seculum: subdubitantque an præfata S. Antonij vita ab Athanasio verè fuerit conscripta. Quid autem hallucinantur in meridie vespertiliones & noctuæ? Genuinum Athanasij fœtum agnoscunt Nazianzenus, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, Paulinus, Palladius, Socrates.

*Nanzia. in Athan. Hir. de vir. ill. in Anto. Euag. & Athan. Ruff. lib 2. hist. ca 8. Aug. lib 8. conf c.6. Paul. in vita Ambrosij. Pallad. in Histor. Lausiaca cap. 5. Soc. li 4. ca. 18.*

Nec quidquam in contrarium producunt Nouatores præter proprium iudicium: delirium est autem, fine vlla ratione, coniectura, vel auctoritate, in contrauersiam vocare, de quo nemo dubitat

Iam verò vt nonnulla de vtriusque Eremitæ ac Abbatis vita dicamus; Paulum sanè constat in siluarum secessus fugisse tempore Decij Imperatoris, cùm multas apud Ægyptum & Thebaida sæua persecutionis tempestas depopularetur Ecclesias. Siquidem, Hieronymo testante, voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti: verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora; &, vt ipse, qui ab eo passus est Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi. Cuius vt crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subiecimus. Perseuerantem igitur in fide martyrem, & inter equuleos laminasque victorem iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari; scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines antea superasset. Alium, iuuenili ætate florentem, in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia, & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extructum plumis

*OCCASIO FVGAE S. PAVLI IN EREMVM.*

mis lectum resupinari; &, ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cùm, recumbentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus; & quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia, vt corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi, & quo se verteret, nesciebat: quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Eandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.

PAVLI PROFECTIO IN EREMVM.

Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaida, cum sorore iam viro tradita, post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti Paulus relictus annorum circiter quindecim, literis tam Græcis quam Ægyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valde amans: & cùm persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verùm,

Virg. Æneid. 3.

*—— Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri sacra fames?*

sororis maritus cœpit prodere velle quem celare debuerat. Non illum vxoris lacrymæ, non communio sanguinis non spectans ex alto cuncta Deus, auarum ab scelere reuocauit. Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem imitari videbatur. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit: ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur: quo remoto, vt est cupiditas hominum occulta cognoscere, auidiùs explorans, animaduertit intus grande vestibulum, quod, aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens; cuius riuum tantummodò foras erumpentem, statim modico foramine, eadem, quæ genuerat aquas,

terra

tera sorbebat. Hîc à coruo pastus tot annos vixit, demũq; victurus cœlo deuixit magnus ille Paulus, quem perperam ***primum eremitam*** dici, superius insinuaui, si quis ante eum nullos eremitas fuisse contendat, aut arbitretur.

Ad Antonium verò quod adtinet: eius historiæ diuina prouidentia bene consulens, voluit vt à S. Hieronymo scriberetur viro ab omni fabellarum commento longissimè abhòrrente; & qui non nisi sibi exploratissima stilo suo perpetuæ memoriæ potuerit consecrasse: cùm præsertim sui seculi res gestas conscribens à quouis prudente redargui mendacij valuisset, atque à quolibet è vulgo homine pariter explodi; haud nescius sibi rem esse etiam cum hæreticis emunctæ naris semper occcasionem carpendi quæritantibus. Mirum itaque planeque stupendum, scripta illa, quæ tot succedentia sibi secula adsiduis lectionibus probarunt & venerata sunt, effugere minimè potuisse nostri temporis Hagiomachos Aristarchos, ex ***Hippocentauro*** atque ***Fauno*** in eius vita memoratis, ducentes argumentum, totum Hieronymi scriptum ludicrum esse commentum. At quia ludicris illis Aristarchis doctè reposuit Ecclesiasticus Annalista, pluribus eosdem adgredi supersedebo.

Fuit autem is Antonius genere Ægyptius, nobilibus ac Christianis parentibus progenitus, à pueritia diuinis rebus mirum in modum addictus: post mortem verò parentum, venditis omnibus eremum petijt natus annos circiter X X. mansitque in arreptæ vitæ instituto vsque ad annum ætatis centesimum quintum, obijtque anno Domini CCCLVIII. vt Baronio placuit, vel potius anno CCCLVII. vt Onuphrius scribit. S. Hieronymus quidem eum obijsse refert anno XIX. Constantij Imperatoris; qua de controuersia vide mihi Rosweidum virum de rebus monasticis bene meritum. Huius porrò sanctissimi archimandritæ meminit his verbis M. R. ***In Thebaide, S. Antonij Abbatis qui multorum pater vita & miraculis praclarissimus vixit: cuius gesta sanctus Athanasius insigni volumine prosecutus***

COMPENDIVM VITAE S. ANTONII.

*Rosvveid in vit. Pat.*

*Martyr. Ro. 17. Ian.*

*Eius vitam habes apud Sur 17 Ian.*

*secutus est.* Nec immerito multorum Monachorum *Patrem* appellat & *Abbatem*: cuius exemplo tot ascetarum & Religiosorum sacra coalescere cœperunt agmina, vt meritò dici possit
*Isaia 35.* per eum expletum esse vaticinium Isaiæ: *Exultabit* SOLITVDO *& florebit sicut lilium; germinans germinabit & exultabit latabunda & gaudens.*

---

## CAPVT XVIII.

*Monachismus latissimè propagatur à discipulis B. Antonij, cuius instituti S. Basilius extitit imitator, non auctor.*

DISCIPVLORVM Antonio sese committentium, & sub eodem vitam monasticam profitentium, alij in eisdem cum ipso montibus cœnobiticam exercuere disciplinam, alij verò eadem ex planta palmites succidentes & in diuersis prouincijs complantantes, breui tempore sanctâ suâ propagine, Palæstinam, Syriam, Asiam Minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & boreales regiones, vsque ad latrones Dacos & Bessos, compleuerunt. Qua de re S. Paulinus cecinit in reditu Niceti viri sanctissimi à quo, quod scribit acceperat:

*Paulin. in carmine vltimo de reditu Niceta ad Natal. S. Felicis.*

*O vices rerum bene versa fama!*
*Innij montes prius & cruenti,*
*Nunc tegunt versos Monachi latrones*
*Pacis alumnos:*
*Sanguinis quondam, modò terra vita est:*
*Vertitur cœlo pia vis latronum;*
*Et fauet Christus supera occupanti*
*Regna rapina.*
*Mons vbi quondam fuerat ferarum,*
*Nunc ibi ritus viget Angelorum;*
*Et latet iustus, quibus ipse latro*
*Vixit in antris.*

Sed

Sed & Bessorum meminit S. Hieronymus scribens ad Heliodorum: *Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur: Bessorum feritas & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos*. Et ad Lætam: *De India, Perside, Æthiopia* MONACHORVM *quotidie turmas suscipimus*, eorum scilicet, qui ad loca sancta visenda, pietatis ergò, ventitabant. Hier. epist. 3 Hier. epi. 7.

Non est igitur quod quis huiusmodi vitæ instituti Basilio primas tribuat, cuius perfectio debetur Antonio: Basilius enim imitator potius accessit quàm inuentus sit auctor. Nec aliud ipsemet profitetur, cùm ad Neocæsarienses aduersus subdolos operarios eos subuertentes scribit: *Accusamur quòd homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renunciarint, & vniuersi seculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus. Qui huiusmodi sunt, mortificationem Iesu in corpore circumferunt, ac cruce quisque suâ acceptâ Deum sequuntur. Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent talia impingi, delicta, haberemq́; apud me viros, qui, me doctore, hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem, in Ægypto quidem audio talem esse virorum quorundam virtutem; & forsan in Palestina quoque sunt, qui ad Euangelij normam, vitæ suæ conuersationem perfectam reddant. Audio & in Mesopotamia viros esse perfectos atque beatos. Nos verò perfectis collati, pueri sumus. Sunt autem & fœminæ Euangelicam vitam amplexæ, quæ Virginitatem quidem nuptijs præferunt; sensum verò carnis scrututi subijciunt; & beato luctui immorantes, beatæ sunt ex proposito, vbicumque terrarum degant. Apud nos verò ista qui* PRIMIS ADHVC ELEMENTIS AD PIETATEM INSTITVIMVR, *& initiamur, minuta sunt & rudia.* Basil. ep. 63.

MONACHI MVS SEMINARIVM EPISCOPORVM.

Nullatenus autem prætereundum est, hisce etiam temporibus Monachismum fuisse seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilius, Gregorius, Chrysostomus, alijque tam in Occidente quàm in Oriente viri spectatissimi prodiêre: quorum omnium qui Antonium Magnum dixerit Patriarcham, veritatis scopum adtingere scribit

Baronius. Et in hoc mille signis atque virtutibus, quàm Deo sit gratum relicto seculo monasticam vitam deligere, fuit euidentissimè declaratum. Quin & idipsum in alijs eiusdem vitæ genus hoc tempore profitentibus, Domini calculo firmissimè stabilitum; vt in Pachomio, Hilarione, & alijs similibus, in quibus innouata fuêre Prophetarum & Apostolorum antiqua miracula.

*De monasterijs virginum in Ægypto.*
*Chrys. hom. 8. in Matth.*

Sed & Ioannes Chrysostomus agens de clarissimis viris qui in Ægypti solitudine floruerunt; de fœminis etiam idem vitæ genus arripientibus subdit: *Atque hæc non in viris solùm, verum etiam in fœminis splendere conspicias. Nam illa quoque non minori, quàm viri virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi ac sapientissimi Gentilium iubent magistri; sed multò certè vehementiùs bellum gerentes. Communis enim illis ac viris aduersus diabolum pugna est, contraque huius mundi potestates. Nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit: non enim naturâ corporis, sed animi voluntate exercentur ista prælia. Propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris fœminæ decertârunt ac tropheis insignibus claruerunt. Non ita varijs astrorum choris cœlum refulget, vt* ÆGYPTI EREMVS INNVMERIS MONACHORVM AC VIRGINVM DISTINGVITVR ATQVE ILLVSTRATVR HABITACVLIS.



CA-

## Caput XIX.

*De diuersis generibus ac institutis monachorum Ægypti, quorum Regulas generatim complectitur D. Hieronymus.*

Degentium in Ægypto Monachorum non erat idem genus omnium & institutio. Nonnulli siquidem ab Antonij declinantes institutis, aliam iniere vitæ rationem. Quam in rem Hieronymus nobis hic legendus ita scribens: *Tria sunt in Ægypto genera Monachorum: Primum* COENOBITÆ *quod illi Sauses gentili lingua vocant; nos,* IN COMMVNI VIVENTES *possumus appellare. Secundum* ANACHORETÆ *qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint nuncupantur. Tertium genus quod* REMOBOTH *dicunt deterrimum atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut solum aut primum est. Hi bini aut terni nec multo plures simul habitant suo arbitratu ac ditione viuentes. De eo quod laborauerint in medium partem conferunt vt habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimum in vrbibus & castellis & quasi ars sit sancta non vita, quidquid vendiderint maioris est pretij. Inter hos sæpe sunt iurgia, quia suo viuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Re verâ solent certare ieiunijs, & rem secreti victoriæ faciunt. Apud hos adfectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum; & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.*

Hier. epi. 22. COENOBITAE. ANACHORETAE. REMOBOTH qui parum differebant ab eis quos Sarabaitas appellat Cassianus collat. 18. cap. 7.

De Anachoretis autem hæc tantum ille: *Hi exeunt de cænobio & excepto pane & sale ad deserta nihil perferunt amplius. Ipsius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius & vt ad superiora conscendam princeps Ioannes Baptista.*

DESCRIPTIO ANACHORETARVM.

Quænam autem soleret esse institutio cœnobitarum, narrat his verbis: *Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, &*

REGVLAE COENOBITARVM. SVPERIORVM MVNERA, ET NOMINA.

*quidquid iusserint, facere. Diuisi sunt per decurias atque centurias: ita vt nouem hominibus, decimus præsit, & rursum decem præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam (vt est institutum) nemo pergit ad alium exceptis his decanis quos diximus; vt si cogitationibus quis fluctuet, illius consoletur alloquijs.*

CONCIONES ET EXHORTATIONES.

*Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scriptura recitantur ex more; & completis orationibus cunctisq; residentibus medius quem* PATREM *vocant incipit disputare: quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium; tacitæ voluuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Christi, & de futura beatitudine & de gloria cœpit annunciare ventura; videas cunctos moderato suspirio & oculis ad cælum leuatis, intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam!*

MENSAE ET CIBI.

*Post hæc concilium soluitur & vnaquaque decuria cum suo parente pergit ad mensam cui per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est; nemo comedens loquitur. Viuitur penè leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur: vinum senes tantùm accipiunt, quibus & paruulis sæpe fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt. Ibi vsque ad vesperam, cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: vidistis illum & illum? quanta in ipso sit gratia, quantum silentium, quàm moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium.*

SENES ET PVERI.

VISITATIONES CELLARVM.

*Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellas singulorum, & aure appositâ, quid faciant diligenter explorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant, sed dissimulato quod nôrunt, eum sæpius visitant; & prius incipientes, prouocant magis orare quàm cogunt.*

OPERA MANVALIA.

*Opus diei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses* PATRI *omnium cum magno tremore reddit rationē: à quo etiam cùm cibi facti fuerint, prægustantur. Et quia non licet dicere cuiquam: Tunicam & sagum, textaq; iuncis strata non habeo; ille*

*ille ita vniuersa moderatur, vt nemo quid postulet, nemo non habeat.*

*Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio consouetur, vt nec delicias vrbium, nec matris quærat adfectum* RATIO INFIRMORUM.

*Dominicis diebus orationi tantùm & lectioni vacant: quod quidem & omni die completis opusculis faciunt. Quottidie aliquid de scripturis dicitur.*

*Ieiunium totius anni æquale est, exceptâ Quadragesima; in qua sola, conceditur districtius viuere. A Pascha vsque ad Pentecosten, cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato.* IEIUNIA.

Sed & de cœnobijs fœminarum Ægypti, docet infrascripta præfatus auctor: *Moris est in* ÆGYPTI *&* SYRIÆ *monasterijs vt tam* VIRGO *quàm* VIDUA *quæ se Deo vouerint, & seculo renunciantes omnes delicias seculi conculcauerint, crinem* MONASTERIORUM MATRIBUS *offerant desecandum; non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato.* DE COENOBIIS VIRGINUM. *Hier. epi. 48.*

Hactenus abunde quidem sanctus Hieronymus, qui monachos Ægypti similes Essenis per nos superius memoratis fuisse censet. Sed hæc quidem generatim ipse complexus est, cùm alioquin extent prolixiores de Institutis Cœnobitarum antiquorum vtriusque sexus prolixiores *Regulæ* conscriptæ à Pachomio, Basilio, Augustino, Benedicto, Cæsario, Cassiano, Climacho alijsque recentioribus viris sanctitate Deo carissimis, & eruditione clarissimis; de quibus singulis suo loco disseremus.



CA-

## CAPVT XX.

### *De Sancto Pachomio Monachorum Tabennensium, siue Tabennesiotarum Institutore: Eiusque* REGVLIS.

Menolog. Græc. 15. Maij.

GRÆCORVM Menologion refert hunc Pachomium ex Thebaide inferioris Ægypti natum parentibus Idololatris; temporibus Constantini Magni, cuius etiam militiæ nomen dedit, cùm aduersus Maxentium proficisceretur. Conuersus autem ad Christianam fidem, baptismum suscepit; & Monasticam vitam amplexurus, Anachoretæ Palemoni tironem sese præbuit instituendum. A quo mirè abstinens somni cibique factus, sacrarum literarum studiosissimus, hymnis, canticis & orationibus noctu diuque perpetim vacans virtutum omnium apicem attigit.

Plurimum autem diligebat anachoresim, frequenter expetens solitudinem, diuque illic orationibus vacans institutum suum Domino commendabat. Quodam verò tempore sicut in eius historia legimus, contigit Pachomium procul à cellâ suâ progredi; venireque ad vicum quendam cui nomen *Tabennense*, quem nemo homo tum penitus habitabat. Vbi cùm pro more diutius orasset; demum ab Angelo Domini iussus est inibi sedem figere, & Monasterij futuri fundamina iacere.

Pachomius igitur collectis adseclis REGVLAS post modum tradidit: factum est enim disponente Domino vt ad eum conuolarent plurimi; quos inter erat Perusius, Cornelius, Paulus quoque, Pachomius alter, Orsiensis, Ioannes & Theodorus adolescens, qui annorum ferè quatuordecim Christo militare cœperat. Quid pluribus prosequar? longum nimis foret cætera retexere, satis sit hoc vnum addidisse; Pachomium annos centum & decem natum, obijsse, cùm iam existeret Pater & Abbas

Abbas quadringentorum & mille monachorum, subsequentes vitæ Canones amplexati quos interpretante S. Hieronymo Latinos sic habemus:

# B. HIERONYMI PRÆFATIO
## IN REGVLAM
# SANCTI PACHOMII.



VAMVIS acutus gladius & leuigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine & splendorem pristini decoris amittit. Vnde ego mœrens super dormitione sanctę & venerabilis Paulæ (non quo contra præceptum Apostoli facerem, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem) accepi libros ab homine Dei Siluano presbytero mihi directos, quos ille Alexandriâ missos susceperat, vt mihi iniungeret transferendos. Aiebat enim quòd in Thebaide, & in monasterio Metanocæ, quod de Tanobo in pœnitentiam felici nominis conuersione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo Pachomij & Theodori, & Orsiesij præcepta conscripta sunt, qui primi per Thebaidem, & Ægyptum Cœnobiorum fundamenta iecêrunt iuxta præceptum Dei, & Angeli, qui à Deo sub hanc ipsam institutionem missus fuerit. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum silentio deuorâram; vrgebant autem missi ad me ob hanc ipsam causam Leontius presbyter, & cæteri cum eo fratres, accito notario, vt erant de Ægyptiacâ in Græcam linguam versa, nostro sermone dictaui: vt & tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus obedirem, & bono vt aiunt auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studijs, & sanctæ fœminæ refrigerans animam, quæ monasteriorum semper amore flagrauit, & quod

1. Thess. 4.

visura erit in cœlo,hoc in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo Christi Eustochium haberet,quod sororibus legendum tribueret, nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum exempla sequerentur, qui habent per singula monasteria Patres, & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros, & singularum domorum præpositos; ita vt in vnà domo quadraginta plus minusúe fratres habitent, qui obediant Præposito, sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in vno monasterio, & ternæ, vel quaternæ domus in vnam tribum fœderentur, vt vel ad opera simul vadant; vel in hebdomadarum ministerio sibi succedãt per ordinem. Quicunque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in Ecclesia communicat; nec ætas inter eos quæritur, sed professio. Nihil habent in cellulis præter Psiathium,& duo lebitonaria, (quod Ægyptijs monachis genus vestimẽti est fine manicis) & vnum iam attritum ad dormiendum, vel operandum; & amictũ lineum, cucullasq; duas, & caprinam pelliculã, quam melotem vocãt, balteolum lineũ & caligas; ac baculum itineris socium. Ægrotantes miris sustentantur obsequijs,& ad omnẽ copiam præparatis cibis:sani maiori pollent abstinẽtiâ.Bis in hebdomadâ,die quarta,& sexta sabbathi,ab omnibus ieiunatur, excepta Pentecoste.Alijs diebus comedunt,qui volunt,post meridiem; & in cœnâ similiter mensa ponitur propter laborãtes, senes, & pueros, æstusque grauissimos.Sunt qui secundò parum comedũt, alij qui prandij siue cœnæ vno tantum cibo contenti sunt, nõnulli gustato paululũ pane egrediũtur. Omnes pariter comedunt: qui ad mensã ire noluerit,cellulâ suâ panẽ tantũ,& aquã, ac sal accipit, siue vno die voluerit, siue biduo. Cũque Maior, vel stans Prior in gradu, manu percusserit, de scripturis quidpiã reuoluẽs memoriter,vt oratio finitur,nullus consurgit tardius, sed omnes pariter eleuãtur, nemo aspicit alterũ operantẽ;sed defixis luminibus vnusquisq; in suo opere intẽtus est.

INCI-

INCIPIT REGVLA

# SANCTI PACHOMII.



ÆC sunt præcepta *vitalia* tribus à *maioribus* tradita: Spiritualia. Pachomio, Theodoro, Orsiesio.
I. Si acciderit vt psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur: aut rideat: soluet cingulum, & inclinatâ ceruice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, & à Principe monasterij increpabitur. Hoc idem faciet & in conuentu fratrum, cum ad vescendum pariter conuenerint.

II. Quando ad *collectam* tuba insonuerit per diem, qui vna oratione tardius venerit, superioris increpationis ordine increpabitur, & stabit in *loco conuiuij*. Noctu verò quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem in collectâ, & in vescendi loco, ordine corripietur. Congregationem. In refectorio.

III. Quando in collecta orant fratres, nemo egrediatur absque iussione maiorum; nisi interrogauerit, concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.

IV. Omnes memoriter retexent, quę sibi fuerint imperata, de quibus si quis oblitus aliquid fuerit, aut hæsitauerit in dicendo; negligentiæ, & obliuionis increpabitur.

V. In die Dominicâ, in collectâ, in quâ offerenda est oblatio, absque Præposito domus, & maioribus monasterii, qui alicuius nominis sunt, nemo psallendi habeat potestatem. Psallente autem quolibet de maioribus, id est, dicente responsorium, si quis defuerit, statim ante altare pœnitentiæ, & increpationis ordinem sustinebit.

VI. De collecta, in qua offerenda est oblatio, qui sine præcepto maioris exierit, statim increpabitur.

VII. Mane per singulas domos finitis orationibus, non statim

 ad suas

ad suas cellas reuertentur; sed conferent inter se, quæ Præpositos audierint *disputantes*, & intrabunt cubicula sua. Disputatio autem à Præpositis domorum per singulas hebdomadas tertiò fiet, & in ipsa disputatione sedentes, siue stantes fratres suum ordinem non mutabunt, iuxta domorum ordinem, & hominum singulorum.

*Concionantes.*

VIII. Si quis dormitauerit sedens, Præposito domus, vel monasterij Principe disputante, surgere statim compellatur, & tamdiu stabit, donec ei videbitur, vt sedeat.

IX. Quando signum insonuerit vt conueniant & audiant præcepta maiorum, nullus remanebit; nec succendetur focus, antequam disputatio compleatur. Qui vnum mandatum de his præterierit, prædictæ correptioni subiacebit.

X. Dimissâ collectâ singuli egredientes vsque ad cellulas suas & vsque ad vescendi locum, de scripturis, aliquid meditabuntur, nullusque habebit opertum caput meditationis tempore.

XI. Cùm autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis & operient capita. Statim vt tibi à maiore fuerit imperatum, vt de alia mensa ad aliam transeas, ire debebis, in nullo penitus contradicens. Nec ante Præpositum domus tuæ manum in mensa extendas; nec circumspicias vescentes alios. Vnusquisque Præpositorum docebit in domo suâ quomodo debeant cum disciplinâ, & mansuetudine comedere. Quod si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit, donec surgant alij de vescendo.

XII. Si quis ad comedendum tardius aduenerit, excepto maioris imperio, similiter aget pœnitentiam, aut ad domum ieiunus reuertetur.

XIII. Si aliquid necessarium fuerit ad mensam, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitum dabit.

XIV. Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo, donec ad locum tuum perueneris.

XV. Mi-

xv. Ministri absque his, quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

xvi. Qui *percutit* ad vescendum, dum congregantur fratres meditetur aliquid in percutiendo. Pulsat.

xvii. Qui ante fores conuiuij egredientibus erogat fratribus, *dulciamina*, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis. Forte fructuum aut mellis aliquid.

xviii. Qui suscipit ea, quæ *dantur*, non in cuculla, sed pelle accipiat, neque gustabit de his, quæ acceperit, donec ad domum peruenerit. Ipse autem qui cæteris diuidit, suam partem à Præposito accipiat. Quod & cæteri ministri faciant accipientes ab alio, & nil sibi suo arbitrio vendicantes. Nemini plus alteri dabit, quàm alter acceperit: quod si obtenditur infirmitas, Præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, & ab his, quæ necessaria sunt, accipiet. In eleemosynam.

xix. Si de ipsis ministris aliquis ægrotauerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam, vel cellarium, & sibi aliquid auferendi; sed ei cæteri ministri id quod necessarium viderint, dabunt; nec permittetur coquere sibi quod desiderabit, sed Præpositi domorum, quæ necessaria viderint ei, & ab alijs ministris accipient.

xx. Nullus introeat locum ægrotantium, qui non ægrotat. Qui ægrotauerit, à Præposito domus ducetur in triclinium ægrotantium; quod si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut cæteris quæ ad operiendum, vel ad vescendum necessaria sunt, ipse Præpositus accipiet à ministris, & dabit ægrotanti. Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium, & comedere, quæ desiderat, nisi à ministro, qui huic rei Præpositus est, ducatur ad vescendum. Non ei licebit de his, quæ acceperit in loco ægrotantium, ferre ad cellulam suam, nec pomum quidem.

xxi. Qui pulmentaria coquunt, ipsi nihil gustantes edentibus ministrabunt.

xxii. Vinum & *liquamen*, absq; loco ægrotantiũ, nullus attingat. Liquorem ex piscibus.

XXIII. Si aliquis eorum, qui peregrè mittuntur, in itinere, vel in via ægrotauerit, & habuerit necessitatem, siue desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliquid eorũ, quę comedere non consueuerunt, non manducabit cum fratribus cæteris, sed separabitur, & dabitur ei à ministris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contristetur.

XXIV. Ægrotantem absque concessu Maioris, nullus audeat visitare, nec propinquus quidem, atque germanus, sine imperio Præpositi domus, ministrandi habebunt potestatem.

XXV. Si vnum ex his, ab aliquo fuerit prætermissum, atque neglectum, increpatione solitâ, emendabitur.

XXVI. Si quis accesserit ad ostium monasterij volens seculo renunciare, & fratrum congregari numero, non habebit intrandi potestatem, sed prius nuntiabitur Patri monasterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuam, & docebitur orationem dominicam, & psalmos quantos potuerit discere, & diligenter sui experimentum dabit, ne fortè aliquid fecerit, & turbatus ad horam discesserit, aut sub aliquâ potestate sit, & vtrum possit renunciare parentibus suis, & propriam facultatem contemnere. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur & reliquas monasterij disciplinas, quas facere debeat, quibusque seruire, siue in collecta omnium fratrum, siue in domo, cui tradendus est, siue in vescendi ordine; & instructus, atq; perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis secularibus, & induent habitum monachorum; tradetur ostiario, vt orationis tempore adducat eum in conspectum omnium fratrum, sedebit in eo loco, in quo ei præceptum fuerit. Vestimenta quæ secum detulerat, accipient, qui huic rei præpositi sunt, & inferentur in repositorio, & erunt in potestate Principis monasterij.

XXVII. Nemo manens in monasterio suscipiendi quempiam ad vescendum habet potestatem, sed mittet eum ad ostiũ xenodochij, & suscipiatur ab iis, qui huic rei Præpositi sunt.

XXVIII. Quãdo ad ostium Monasterii aliqui venerint, si clerici fue-

fuerint, aut monachi, maiori honore suscipiantur; lauabunt pedes eorum; seruabunt Euangelii præcepta, & deducent ad locum xenodochii, præbebunt omnia, quæ apta sunt vsui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore, atque collectæ venire ad conuētum fratrū, si *eiusdem fidei* fuerint, minister xenodochii nūtiabit Patri monast. & sic deducētur ad orādum. Fuerunt eo tēpore multi monachi hæretici. Cassian. coll. 1. c. 10

XXIX. Si seculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium, suscipient singulos in diuersis locis iuxta ordinem Præpositi & sexus sui, præcipuè fœminas maiori honore & diligentia curabunt, cum omni timore Dei; & locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent: vt nulla sit occasio blasphemandi. Quod si ad vesperas venerint, abiicere eas nefas est, sed accipient, vt diximus separatum locum, & clausum cum omni disciplina, atque cautela, vt grex fratrum liberè suo officio seruiat, & nulli detur offendiculum detrahendi.

XXX. Si quis ante ostiū steterit monasterii dicens se velle videre fratrem suum, vel propinquū, ianitor nuntiabit Patri monasterii, & ille accitum interrogabit Præpositū domus, si apud eum sit; & permittente eo, accipiet comitem egressionis suæ, cuius fides probata est; & sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. Si fortè aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse nō poterit; sed vocabit ianitorem, & ille allata suscipiet: quæ si talia fuerint, quæ cum pane vescenda sint, nihil horum ii, quibus allata sunt, accipient: sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur.

XXXI. Si fuerit nuntiatum, quòd de propinquis quis ægrotet, ianitor primus nuntiabit Patri monasterii, & ille accitū interrogabit Prępositum domus. Videbunt virum cuius fides & disciplina probata sit, & mittent cum eo, vt visitet ægrotantē: tantum accipiet viatici, quantū Prępositus domus eius decreuerit.

XXXII. Quòd si necessitas impulerit, vt foris maneat, & vescatur in paterna aut propinquorum domo, hoc non faciet, sed manebit in *dominico*, vel in monasterio eiusdē fidei. Quod si ei affines vel cognati præparauerint cibos, & apposuerint, nec accipiēt ōninò, nec vescētur nisi his quę in monasterio edere cō- Ecclesijs vel locis Domino consecratis

sueuerunt: non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi non habent consuetudinem. Si à parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent, quãtum in via sufficit: cætera quæ remanserint, dabunt præposito domus suæ, & ille portabit in cellam languentium.

XXXIII. Si propinquus alicuius aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit potestatem, nisi Pater monasterij præceperit.

XXXIV. Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi iuncto ei altero. Quando autem reuersi fuerint in monasteriũ, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his, qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, & nuntiare, vel vocare, & omninò quidquid foris gesserint, aut audierint, in monasterio narrare non poterunt.

XXXV. Si signum datum fuerit vt egrediantur ad opus, Præpositus antecedat eos, & nullus in monasterio remanebit, nisi is cui Pater præceperit; & hi qui vadunt, quò pergunt non interrogabunt, sed vnusquisque de scripturis aliquid meditabitur. Si fortè aliquis eis occurrerit, vel voluerit cum aliquo eorum loqui, Præpositus cui hoc iniunctum fuerit, occurrentibus respondebit. Operantes nihil loquantur seculare, sed aut meditentur quæ sancta sunt, aut certè silebunt. Nemo palliolũ tollat secum vadens ad operandum, nisi concessione Maioris. Operans non sedebit sine Maioris imperio. Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.

XXXVI. Absque Præpositi iussione nemo fratrum, si necessarium habuerit, aliquem mittere poterit, quod si ipse qui Maior est, cogitur necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei, qui post se est in ordine, delegabit.

XXXVII. Si quis lauare voluerit vestimentum, commonebit Præpositum suum, & ille mittet cum eo alium, & lotâ veste reuertentur domũ, & siccatã reponet ille cui hoc iniunctum est.

XXXVIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

XXXIX.

XXXIX. Palmarum folia, vnde texuntur sportæ, nemo suo iure tollat, absque eo cui palmæ sunt creditæ.

XXXX. Nullus vuas, aut spicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ, & omninò de omnibus, quæ in agro sunt vel in pomario, nemo comedet separatim, antequam cunctis fratribus Pater exhibeat.

XLI. Qui coquent, antequam fratres comedant, non audebunt edere.

XLII. Qui super arbores pomarias, & super vineas sunt, non comedent de fructibus earum, nisi fratres prius comederint. Si iussi fuerint pomorum vel vinearum fructus colligere, Præpositus colligentium dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica: & cum ad monasterium venerint, inter cæteros fratres partes suas accipient. Si autem inuenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed inuenta in trãsitu iuxta radices arborum collocabunt. Ipse quoque qui cæteris colligentibus distribuit, gustare non poterit; sed portabit ad dispensatorem: qui cum cæteris dederit, & ipsi tribuat partem suam.

XLIII. Nullus in cellâ suâ reponat aliquid ad vescendum, absque his quæ à Dispensatore acceperit.

XLIV. Qui nolunt in commune vesci cum cæteris, quasi maiori abstinentiæ se dicantes, quando edere debuerint, quod eis vna die sufficiat, panem & sal accipiant tantum. Præter monasterij autem coquinam, nulli coquendi cibos habeant potestatem.

XLV. Nemo in cellâ suâ habeat præter ea, quæ monasterij lege præcepta sunt, nec paucos nummos, nec proprium aliquid; extra habitum suum si quid inueneris, absque contradictione auferes.

XLVI. Si quis transfertur de domo in alteram domum, excepto, ea quæ vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit.

XLVII. Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra

murum monasterij procedendi habeat facultatem, nisi interrogauerit Præpositum & ille concesserit.

XLVIII. Cauendum est autem, ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

XLIX. Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio, quæ ibi geri viderit.

Non dormiebant decumbentes, sed in sellis retro declinatis ac resupinis.

L. *Non dormiat quis præter reclinatam sellulam:* Cumque ad dormiendum se collocauerit, alteri non loquatur: postquam obdormierit, si post somnum nocte euigilauerit, oret.

LI. Si ieiunij instat dies, & sitire cœperit, bibere non audebit.

LII. Nemo lauare alterum poterit aut vngere, nisi ei fuerit imperatum.

LIII. Nemo in tenebris alteri loquetur. Nullus cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat, siue ambulauerit, siue sederit, aut steterit, vno cubito distet ab altero.

LIV. Nullus attondeat caput, absque Maioris arbitrio.

LV. Mutare de his, quæ à Præposito acceperit, cum altero nemo audebit; nec accipiet melius, & dabit deterius: aut è cõtrario dans melius, deterius accipiet, & in vestimento, & in habitu suo nihil noui, præter cæteros, causâ decoris, inueniet.

Codices certa hora dati & accepti.

LVI. Nemo vadens in congregationem ad vescendum, dimittat codicem non ligatum. *Codices* post nonam attendat, ad quem pertinet.

LVII. Si quis fratrum læsus fuerit, aut percussus, tamen lectulo non decubit, sed ambulat inualidus, & aliqua re indigebit, vestimento vel palliolo, & cæteris vtensilibus, Præpositus accipiet & dabit. Cumque sanus fuerit, reportabit sine mora vlla.

LVIII. Nemo ab altero accipiet quidpiam, nisi Præpositus iusserit.

LIX. In villam nullus vadat nisi missus; super nudũ dorsum asini duo pariter non sedebunt, nec super temonem plaustri.

Erãt in monasterijs officinæ omniũ ferè artium.

LX. Ad *officinas diuersarum artium* soli pergent Præpositi, vt accipiant quod necessarium est.

LXI. Ad

LXI. Ad alterius cellulam intrare nullus audebit.

LXII. Commendatum aliquid, etiam à germano fratre, nullus accipiat.

LXIII. Nihil in cella sua absque Præpositi iussione quidpiam condet, nec poma quidem.

LXIV. Si Præpositus profectus fuerit, aut alter Præpositus, aut qui secundus est, curam proficiscentis exerceat, vel quem ipse Præpositus elegerit de fratribus, & curam ei suam iniunxerit.

LXV. Quando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nemo alteri loquatur. Et quando tabulis ad furnum deportant panes, simile silentium habebunt; tantum de psalmis, aut de scripturis aliquid meditabuntur, donec opus impleant. Si quid necessarium fuerit, nō loquantur, sed dent signū his qui possunt adferre, quæ necessaria sunt. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium exceptis ijs, qui coctioni sufficient, & quibus iussum fuerit.

LXVI. In nauibus similis disciplina est. Nemo à terra soluit nauigij funiculum, nec mouet nauigium absque iussione patris. In interiore parte nauis cæteris fratribus super transtra & tabulata quiescentibus, nullus dormiat; & seculares homines dormire secum nullus patiatur. *Vasa infirmiora* cum eis non nauigabunt, nisi fortè Pater monasterij præceperit. Fœminæ.

LXVII. Nullus in domo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

LXVIII. Qui vna oratione tardius venerit, vel qui mussitauerit, aut locutus fuerit ad alterum, vel qui riserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

LXVIIII. Quando domi resident, non eis liceat loqui aliquid seculare, sed si quis Præpositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent & referant quæ audierint, vel quas memoriter tenent.

LXX. Qui vas fictile fregerit, vel aliquam vtilem rem ad vsus monasterij, aget pœnitentiam.

Mortuus fuerit. LXXI. Si frater *dormierit*, omnis eum fraternitas prosequatur.

LXXII. Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat excepto Maioris imperio.

LXXIII. Audito signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant, currentes ad orationes. Nullus ante psallat nisi ei iussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine Præpositi iussione audeat iungere.

LXXIV. Nemo ante Præpositum suum, & Ducem suum ambulet. Nullus remaneat *de ordine suo*. — Extra ordinem suũ.

LXXV. Si quis aliquid perdiderit ante altare, publicè corripietur. Si verò de proprijs *vesticulis* fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet; & in quarta acta pœnitentia dabitur ei quod amisit. — Vestibus.

LXXVI. Qui inuenerit aliquid, per tres dies *ante collectam* fratrum, suspendat, vt tollat qui cognouerit. — Ante fores ecclesiæ vel oratorij.

LXXVII. *Lotum* in domo nemo faciat, absque Præposito; & omne quod nouum est, illius sententia disponetur. — Lotionem vestimentorum, aut vasorum.

LXXVIII. Omnis correptio ita fiet, vt discincti sint qui corripiuntur, & demissis manibus & humiliato capite emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

LXXIX. Qui *absque ordine* fratrum recesserit, & postea actâ pœnitentiâ redierit, non erit in ordine suo, absque Maioris imperio. — Præter & contra ordinem.

LXXX. Qui rudis in monasterio fuerit ingressus, docebitur prius quæ debeat obseruare; & cum doctus ad vniuersa consenserit, dabunt ei viginti psalmos aut duas epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si literas ignorauerit, hora prima, tertia, & sexta vadat ad eum, qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus, & stabit ante eum, & discet studiosissimè cum omni gratiarum actione. Postea scribentur ei elementa, sillabæ, verba, ac nomina, & etiam nolens, legere compellatur: & omnino nullus erit in monasterio, qui non discat literas, & de scripturis aliquid teneat, quod minimum est, vsque ad nouum

uum testamentum, & psalterium. Omne quod in conuentu fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant.

LXXXI. Ad psallendum & ad orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit; & si in naui fuerit, & in agro, & in itinere, vel in monasterio, quolibet ministerio detentus, orandi, & psallendi tempora non prætermittat.



## DE PVELLARVM DISCIPLINA.

LXXXII. NEMO ad eas vadat *visitandas*, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas, seu matrem filiorum suorum. Si autem & ante conuersionem paterna eis debetur hæreditas, aut aliqua causa manifesta est, mittent cum his probatæ ætatis virum, ac vitæ, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas nisi hi, quos supra diximus: Ita vt primum faciant renuntiari Patri monasterij, & ille mittet ad seniores, qui monasterio Virginum delegati sunt, qui occurrent eis, & cum ipsis videbunt eas, quas necesse habebunt, cum omni disciplina, & timore Dei. Non eis loquentur de rebus secularibus.

S. Pachomius plura sub se Virginum monasteria habet.

LXXXIII. Quæcumque de his mandatis aliquid prætererit, absque vlla dubitatione; negligentiæ atque contemptus aget pœnitentiam, vt possidere valeamus regna cœlorum.

¶ Præcepta & instituta Patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctæ vitæ communionem iuxta imperium Dei: Plenitudo legis charitas; scientes tempus quod instet hora, vt de somno consurgamus, quod vicinior sit salus nostra, quàm eo tempore cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebrarum, quæ sunt contentiones, detractiones, odia, & tumentis animi superbia.

LXXXIV. Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod non est, qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundò; & si audire contempserint, separabunt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, & sic dimittetur ei.

LXXXV. Si quis iracundus, & furiosus frequenter irascitur sine causa, & propter rem inanem & vacuam, per sex vices commonebitur, & in septimâ facient eum surgere de ordine sessionis suæ, & inter vltimos collocabitur, docebuntque eum vt ab hac mentis perturbatione mundetur. Cumque tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur nequaquã simile quid esse facturum, recipiet sessionẽ suam; alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos, perdito priore loco.

LXXXVI. Qui falsum cupit probare contra alterum, vt opprimat innocentem, tertio commonebitur, & postea reus erit iniquitatis, siue de priori loco fuerit, siue de inferioribus.

LXXXVII. Qui habet pessimam consuetudinem, vt fratres suo sermone sollicitet, & peruertat animos simpliciorum, tertio commonebitur: si contempserit; & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra monasterium, & verberabunt eum ante fores, *triginta nouem*, dabuntque ei ad vescendum panem solum & aquam, donec mundetur à sordibus.

xxxix. verberibus. *i.* quadragenis vnâ minus.

LXXXVIII. Qui habet pessimam consuetudinem murmurandi, & quasi graui opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quòd sine causa murmuret, & ostendent perspicuè veritatem; si post hæc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Si autem iusta est illius querela & à Maiore inique opprimitur, qui eum scandalizauit, eidem sententiæ subiacebit.

LXXXIX. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est perfectæ ætatis, decies cõmonebitur vt

vt desistat à vitiis. Si autem audire noluerit; monasterij legibus increpabitur. Quòd si alterius culpâ ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comprobatum, ille qui causa extitit, reus erit vltionis.

XC. Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, vt recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessauerit, corripietur, vt dignus est correptione seuerissimâ.

XCI. Qui contemnunt præcepta maiorum, & regulas monasterij, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, & paruipendunt seniorum consilia, corripientur iuxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

XCII. Qui iudex est omnium peccatorum, & peruersitate mentis ac negligentiâ reliquerit veritatem, viginti viri sancti, & timentes Deum, siue decem, & vsque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, & iudicabunt eum, & degradabunt in vltimum gradum, donec corrigatur.

XCIII. Qui conturbat fratrum animos, & facilis est ad detrahendum, lites serens, & iurgia, decies commonebitur, & si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterij donec corrigatur.

XCIV. Qui viderit de maioribus, & Prępositis fratrum suorum *tribulationem*, & noluerit causam tribulationis inquirere, eamque contempserit, quęretur causa à supra dictis iudicibus inter fratrem, atque Præpositum; & si deprehenderint negligentia Præpositi, vel superbia coangustatum fratrē; & iudicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam, degradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab iniustitiæ sordibus emendetur, quia non considerauit veritatem, sed personas, & seruiuit prauitati animæ suæ, & non Dei iudicio. Contentionem turbam & altercationem.

XCV. Si quis promiserit obseruare regulas Monasterij, & facere cœperit, easq; dimiserit, postea autē reuersus egerit pœnitentiā, obtendens infirmitatē corpusculi, per quā nō possit implere quod

re quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos; donec acta pœnitentia impleat quod promisit.
XCVI. Pueri in domo, si fuerint dediti lusibus & otio, & correpri non potuerint emendari, debet Præpositus vsque ad dies triginta, ipse eos monere, & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit Patri Monasterii, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpæ subiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.
XCVII. Omnes autem pueri, qui non timent confundi pro peccato, & per impudentiam iudicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendauerint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant, & timorem.
XCVIII. Qui iniustè iudicauerit, iustè ab aliis condemnabitur.
XCIX. Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquētem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Quod si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit, vt verum est, ignoscetur ei; & omnis qui per ignorantiam peccat, facilè accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit increpationem iuxta mensuram, opusque peccati.
C. PRÆCEPTA ET LEGES PACHOMII. Ne plus fratres facere compellantur; sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax, & concordia, & libenter maioribus subiiciantur: Sedentes, & ambulantes, & stantes inuicem de humilitate decertent.
CI. Si quis peccatum fecerit, Patres monasteriorum emendare poterunt, & constituere, quid sequi debeat.
CII. Præpositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in punctis singulis, vel collecta domus, siue in collecta maiore, hoc est, omnium fratrum, subiacere pœnitentiæ.
CIII. Quod si Præpositus peregrè fuerit, qui secundus est, locum
cum

cum eius implebit tam in pœnitentia fratrum recipienda, quàm in quocumque alio eorum, quæ in domo necessaria sunt.

CIV. Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus fratrem, codicem ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, monasterij ordine increpabitur.

CXV. Qui vult sine macula, & contemptu in domo cui deputatus est, viuere; omnia quæ præcepta sunt, coram Deo obseruare debebit.

CVI. Quidquid necessarium est siue in agro, siue in monasterio; Præpositus etiam non postulatus impleat.

CVII. Sex orationes facient vespertinas, iuxta exemplum maioris collectæ, in qua omnes fratres pariter congregantur.

CVIII. Summæ dilectionis est, etiamsi difficile fuerit, vt nullum onus habeant, nec ex onere nascatur tædium.

CIX. Si quis deforis venerit, & æstu laborauerit, alijque fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.

CX. Quando Præpositi domorum fratres de conuersione sanctæ vitę docebunt, absque grauissima ægritudine nullus aberit.

CXI. Maiores quicumque è fratribus mittuntur foras, quamdiu ibi fuerint habebunt ius Prępositorum; cuncta gerentur arbitrio eorum, docebunt fratres per constitutos dies, & si fortè aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi Maiores, & iudicabunt causam, & dignum culpa increpabunt, & ad imperium eorum statim ad pacem pleno corde consentient.

CXII. Si quis de fratribus contra Præpositum domus suæ ***tristitiam*** habuerit, aut ipse Præpositus contra fratrem aliquam quęrimoniam; fratres probatæ conuersationis & fidei audire eos debebunt, & iudicabunt inter eos. Si tamen est Pater monasterij, vel aliquo profectus; primum quidem expectabunt eum; si autem diutius commorari viderint, tunc audient inter Præpositum & fratrem ne de suspenso iudicio maior tristitia oriatur: & ille qui Præpositus est, & ille qui subiectus est, & hi

Contentionem & altercationē.

R qui

qui audiunt, iuxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occasionem.

## DE VESTIBVS MONACHORVM.

CXIII. SI quis de his, quæ præcepta sunt, amplius habuerit absque concessione Maioris, deferentur ad custodem vestium, & introeundi illuc, vel postulandi non habebit potestatem, sed erunt sub Præpositi arbitrio, aut qui secundus est ab eo.

¶ Præcepta Pachomij de collectâ fratrum, quomodo collecta fieri debeat, & fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei, iuxta præcepta Maiorum, & doctrinam sanctarum scripturarum, vt liberentur de errore animæ conuersorum, & glorificent Deum in luce viuentium: vt sciant quomodo oporteat in domo Dei conuersari sine ruina, & scandalo, & non inebrientur aliquâ passione; sed stent in mensurâ veritatis, & traditionibus Apostolorum & Prophetarum, & solemnitatum ordinem teneant, imitantes conuersationem eorum in domo Dei; & ieiunia, atque orationes ex more complentes. Qui enim benè ministrant, sequuntur regulam scripturarum.

CXIV. Hoc est ergo ministerium, quod ministri Ecclesiæ implere debebunt. Congregent fratres orationis tempore, & omnia faciant quæ rite complenda sunt, vt nullam occasionem detractioni tribuant, nec sinant quempiam ambulare contra ritum disciplinæ. Si codicem postulauerint, deferant eis.

CXV. Si quis deforis venerit vesperi, & non occurrerit accipere opus, quod postera die facturus est, mane tribuant: si defecerit opus quod habebat in manibus, referat ad Maioris sententiam, & quod ille præceperit faciat.

CXVI. Qui minister est habeat studium, ne quid operis pereat in monasterio, in nulla omnino arte, quæ exercetur à fratribus

bus. Quod si quid perierit, & negligentiâ fuerit dissipatum, increpabitur à Patre minister operum singulorum, & ipse increpabit alterum, qui opus perdiderit, duntaxat iuxta voluntatem, & sententiam principis; absque qua nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

CXVII. Si vestimentum ad solem expansum tertius inuenerit dies, dominus vestimenti pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in *collectâ*, stabitque in vescendi loco. Congregatione.

CXVIII. Si inuentus fuerit vnus è fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens Maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui.

CXIX. Qui mentitur, aut odio aliquem habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus ioco, quàm honestum est, deditus, aut otiosus, aut durè respondens, aut consuetudinem habens fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt, & omnino quidquid contra regulam scripturarum est, & monasterij disciplinam; audiet Pater monasterij & vindicabit iuxta mensuram, opusque peccati.

CXX. Pellicula, caligæ, & cingulum, & si quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.

CXXI. Si quis tulerit rem non suam ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publicè in collectâ, stabitque in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta nouem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem, & aquam tantum, & opertum cilicio, & cinere per singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eademque lex in fugitiuis obseruabitur.

CXXII. Præpositus domus increpationi subiacebit, si ante tres dies non nuntiauerit Patri, siue in via, siue in agro, siue in monasterio quid perierit, & aget pœnitentiam iuxta ordinem constitutum.

CXXIII. Quod si homo fuerit, & ante tres horas non nuntiauerit Patri, reus erit perditionis eius, nisi eum iterum inuenerit.

CXXIV. Hæc eſt vltio in eum qui fratrem de domo perdiderit; Tribus diebus aget publicam pœnitētiam. Quod ſi eadem hora, qua fugerit non nuntiauerit Patri, reus erit peccati.

CXXV. Si in domo ſua Præpoſitus viderit delinquentem, & non nuntiauerit Patri monaſterij, ipſe increpationis ordinis ſubiacebit.

CXXVI. Per domos ſingulas veſperi ſex orationes, pſalmoſque complebunt, iuxta ordinē Maioris collectæ, quæ à cunctis fratribus in commune celebratur. Per ſingulas hebdomadas *diſpoſitiones à Præpoſitis* complebuntur. Nullus in domo quidpiam faciet, niſi quod præpoſitus iuſſerit.

Ordinata à præpoſitis.

CXXVII. Si omnes fratres, qui in domo ſunt, viderint Præpoſitum nimium negligentē, & menſuram monaſterij excedentem, referent ad Patrem, & ab eo increpabitur. Ipſe autem Prępoſitus nihil faciat præter id quod Pater iuſſerit, maxime in re nouâ, nā quæ ex more deſcēdit, obſeruabit regulas monaſterij.

CXXVIII. Præpoſitus non inebriebitur, nec ſedeat in humilioribus locis, iuxta vaſa monaſterij, ne rumpat *vincula*, quæ Deus in cælo condidit, vt obſeruentur in terris: ne lugeat in die feſto Domini Saluatoris. Dominetur carni ſuę, iuxta menſuram ſanctorum. *Non inueniatur in excelſis cubilibus* imitatus morem gentilium. Non ſit duplicis fidei. Non ſequatur cogitationes cordis ſui: & ſublimioribus non reſiſtat tumenti animo poteſtatibus non fremat, nec irruat ſuper humiliores, non transferat terminos, nō ſit fraudulentus; nec in cogitationibus verſet dolos, non negligat peccatum animę ſuæ extirpare, nec vincatur carnis luxuriâ, non ambulet negligenter, non citò loquatur verbum otioſum, non ponat ſcandalum ante pedes cæci, non doceat voluptates animam ſuam, non ſoluatur ſtultorum riſu, ac ioco, non rapiatur cor eius ab his, qui inepta loquūtur, aut dulcia, non vincatur muneribus, non paruulorum ſermone ducatur; non affligatur in tribulatione, nō timeat mortem, ſed Deū, ne, preuaricator ſit propter eminentem timorem; ne relinquat verum lumen propter modicos cibos, nō vacillet nec fluctuet in ope-

Fratrum vota.

Non dormiat extra ſellulam de qua ſupra.

in operibus suis, non mutet sententiam veram, sed firmus sit solidique decreti, iusta cuncta considerans, iudicans in veritate absque appetitu gloriæ, manifestus Deo & hominibus, & elongans se à fraude, non ignoret conuersationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat, nulli noceat per superbiam; ne sequatur concupiscentias oculorum suorum, non eum superent incentiua vitiorum, veritatem nũquam prætereat, oderit iniustitiam, & personam numquam iudicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per superbiam, non rideat inter pueros, non deserat veritatem timore superatus, non comedat panem de fraudulentia, non desideret alienam terram, nõ opprimat animam propter aliorum spolia, non despiciat eos, qui indigent misericordiâ, nec falsum testimonium dicat seductus lucro; nec mentiatur propter superbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deserat iustitiam propter lassitudinem, nec perdat animam suam propter verecundiam, nec respiciat dapes lautioribus mensę, nec pulchra vestimẽta desideret, nec senes negligat, semper dijudicet cogitationes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem iunctam habeat veritati, quando iudicat. Sequatur præcepta maiorũ, & legem Dei, quæ toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura, iuxta quam mensus est, & recipiet secundũ opera sua, quia mæchatus est in ligno & lapide, & propter fulgorem auri & splendorem, animi dimisit iudicium, & desideriis temporalibus lucri, laqueis se induit iniquorum, & eueniet ei contritio Heli, & filiorũ eius; maledictio Dei quam imprecatus est Cain: perditio quâ peccatores terræ hiatus absorbuit: Et interitus Chananæorum, & *contritio Hydriæ ad fontem*, & arenarum comminutio in littoribus, quę salsis fluctibus verberantur: & confractio virgæ gloriosæ, vt sit quasi cæcus palpans manu parietem. Hæc omnia euenient ei, quia non seruauit veritatem in iudicio & inique egit in omnibus quæ ei credita sunt.

Hiere. 3.
1. Reg. 4.
Gen. 4.
Nume. 16.
Eccl. 12.
Hiere. 48.
Esai. 56.

Mortuus fuerit. LXXI. Si frater *dormierit*, omnis eum fraternitas prosequatur.

LXXII. Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat excepto Maioris imperio.

LXXIII. Audito signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant, currentes ad orationes. Nullus ante psallat nisi ei iussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine Præpositi iussione audeat iungere.

LXXIV. Nemo ante Præpositum suum, & Ducem suum ambulet. Nullus remaneat *de ordine suo*. Extra ordinem suũ.

LXXV. Si quis aliquid perdiderit ante altare, publicè corripietur. Si verò de proprijs *vesticulis* fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet; & in quarta acta pœnitentia dabitur ei quod amisit. Vestibus.

Ante fores ecclesiæ vel oratorij. LXXVI. Qui inuenerit aliquid, per tres dies *ante collectam* fratrum, suspendat, vt tollat qui cognouerit.

Lotionem vestimentorum, aut vasorum. LXXVII. *Lotum* in domo nemo faciat, absque Præposito, & omne quod nouum est, illius sententia disponetur.

LXXVIII. Omnis correptio ita fiet, vt discincti sint qui corripiuntur, & demissis manibus & humiliato capite emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

Præter & contra ordinem. LXXIX. Qui *absque ordine* fratrum recesserit, & postea actâ pœnitentiâ redierit, non erit in ordine suo, absque Maioris imperio.

LXXX. Qui rudis in monasterio fuerit ingressus, docebitur prius quæ debeat obseruare; & cum doctus ad vniuersa consenserit, dabunt ei viginti psalmos aut duas epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si literas ignorauerit, hora prima, tertia, & sexta vadat ad eum, qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus, & stabit ante eum, & discet studiosissimè cum omni gratiarum actione. Postea scribentur ei elementa, sillabæ, verba, ac nomina, & etiam nolens, legere compellatur: & omnino nullus erit in monasterio, qui non discat literas, & de scripturis aliquid teneat, quod minimum est, vsque ad nouum

uum testamentum, & psalterium. Omne quod in conuentu fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant.

LXXXI. Ad psallendum & ad orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit; & si in naui fuerit, & in agro, & in itinere, vel in monasterio, quolibet ministerio detentus, orandi, & psallendi tempora non prætermittat.



## DE PVELLARVM DISCIPLINA.

LXXXII. NEMO ad eas vadat *visitandas*, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas, seu matrem filiorum suorum. Si autem & ante conuersionem paterna eis debetur hæreditas, aut aliqua causa manifesta est, mittent cum his probatæ ætatis virum, ac vitæ, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas nisi hi, quos supra diximus: Ita vt primum faciant renuntiari Patri monasterij, & ille mittet ad seniores, qui monasterio Virginum delegati sunt, qui occurrent eis, & cum ipsis videbunt eas, quas necesse habebunt, cum omni disciplina, & timore Dei. Non eis loquentur de rebus secularibus. S. Pachomius plura sub se Virginum monasteria habet.

LXXXIII. Quæcumque de his mandatis aliquid præterierit, absque vlla dubitatione; negligentiæ atque contemptus aget pœnitentiam, vt possidere valeamus regna cœlorum.

¶ Præcepta & instituta Patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctæ vitæ communionem iuxta imperium Dei. Plenitudo legis charitas; scientes tempus quod instet hora, vt de somno consurgamus, quod vicinior sit salus nostra, quàm eo tempore cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebrarum, quæ sunt contentiones, detractiones, odia, & tumentis animi superbia.

LXXXIV. Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod non est, qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundò; & si audire contempserint, separabunt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, & sic dimittetur ei.

LXXXV. Si quis iracundus, & furiosus frequenter irascitur sine causa, & propter rem inanem & vacuam, per sex vices commonebitur, & in septimâ facient eum surgere de ordine sessionis suæ, & inter vltimos collocabitur, docebuntque eum vt ab hac mentis perturbatione mundetur. Cumque tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur nequaquã simile quid esse facturum, recipiet sessionẽ suam; alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos, perdito priore loco.

LXXXVI. Qui falsum cupit probare contra alterum, vt opprimat innocentem, tertio commonebitur, & postea reus erit iniquitatis, siue de priori loco fuerit, siue de inferioribus.

LXXXVII. Qui habet pessimam consuetudinem, vt fratres suo sermone sollicitet, & peruertat animos simpliciorum, tertio commonebitur: si contempserit, & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra monasterium, & verberabunt eum ante fores, *triginta nouem*, dabuntque ei ad vescendum panem solum & aquam, donec mundetur à sordibus.

xxxix verberibus. i. quadragenis vnâ minus.

LXXXVIII. Qui habet pessimam consuetudinem murmurandi, & quasi graui opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quòd sine causa murmuret, & ostendent perspicuè veritatem; si post hæc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Si autem iusta est illius querela & à Maiore inique opprimitur, qui eum scandalizauit, eidem sententiæ subiacebit.

LXXXIX. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est perfectæ ætatis, deciẽs cõmonebitur

vt

vt desistat à vitiis. Si autem audire noluerit; monasterij legibus increpabitur. Quòd si alterius culpâ ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comprobatum, ille qui causa extitit, reus erit vltionis.

xc. Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur, vt recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessauerit, corripietur, vt dignus est correptione seuerissimâ.

xci. Qui contemnunt præcepta maiorum, & regulas monasterij, quæ Dei præcepto constitutæ sunt, & paruipendunt seniorum consilia, corripientur iuxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

xcii. Qui iudex est omnium peccatorum, & peruersitate mentis ac negligentiâ reliquerit veritatem, viginti viri sancti, & timentes Deum, siue decem, & vsque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, & iudicabunt eum, & degradabunt in vltimum gradum, donec corrigatur.

xciii. Qui conturbat fratrum animos, & facilis est ad detrahendum, lites serens, & iurgia, decies commonebitur, & si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterij donec corrigatur.

xciv. Qui viderit de maioribus, & Pręposìtis fratrum suorum *tribulationem*, & noluerit causam tribulationis inquirere, eamque contempserit, quęretur causa à supra dictis iudicibus inter fratrem, atque Præpositum; & si deprehenderint negligentia Præpositi, vel superbia coangustatum fratrē; & iudicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam, degradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab iniustitiæ sordibus emendetur, quia non considerauit veritatem, sed personas, & seruiuit prauitati animæ suæ, & non Dei iudicio. Contentionem turbam & altercationem.

xcv. Si quis promiserit obseruare regulas Monasterij, & facere cœperit, easq; dimiserit, postea autē reuersus egerit pœnitentiā, obtendens infirmitatē corpusculi, per quā nō possit implere quod

re quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos; donec acta pœnitentia impleat quod promisit.

XCVI. Pueri in domo, si fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet Præpositus vsque ad dies triginta, ipse eos monere, & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit Patri Monasterii, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpæ subiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.

XCVII. Omnes autem pueri, qui non timent confundi pro peccato, & per impudentiam iudicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendauerint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant, & timorem.

XCVIII. Qui iniustè iudicauerit, iustè ab aliis condemnabitur.

XCIX. Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquẽtem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Quod si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit, vt verum est, ignoscetur ei; & omnis qui per ignorantiam peccat, facilè accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit increpationem iuxta mensuram, opusque peccati.

C. PRÆCEPTA ET LEGES PACHOMII. Ne plus fratres facere compellantur; sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax, & concordia, & libenter maioribus subiiciantur: Sedentes, & ambulantes, & stantes inuicem de humilitate decertent.

CI. Si quis peccatum fecerit, Patres monasteriorum emendare poterunt, & constituere, quid sequi debeat.

CII. Præpositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in punctis singulis, vel collecta domus, siue in collecta maiore, hoc est, omnium fratrum, subiacere pœnitentiæ.

CIII. Quod si Præpositus peregrè fuerit, qui secundus est, locum

cum eius implebit tam in pœnitentia fratrum recipienda, quàm in quocumque alio eorum, quæ in domo necessaria sunt.
CIV. Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus fratrem, codicem ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, monasterij ordine increpabitur.
CXV. Qui vult sine macula, & contemptu in domo cui deputatus est, viuere; omnia quæ præcepta sunt, coram Deo obseruare debebit.
CVI. Quidquid necessarium est siue in agro, siue in monasterio; Præpositus etiam non postulatus impleat.
CVII. Sex orationes facient vespertinas, iuxta exemplum maioris collectæ, in qua omnes fratres pariter congregantur.
CVIII. Summæ dilectionis est, etiamsi difficile fuerit, vt nullum onus habeant, nec ex onere nascatur tædium.
CIX. Si quis deforis venerit, & æstu laborauerit, alijque fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.
CX. Quando Præpositi domorum fratres de conuersione sanctæ vitę docebunt, absque grauissima ægritudine nullus aberit.
CXI. Maiores quicumque è fratribus mittuntur foras, quamdiu ibi fuerint habebunt ius Pręposítorum; cuncta gerentur arbitrio eorum, docebunt fratres per constitutos dies, & si fortè aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi Maiores, & iudicabunt causam, & dignum culpa increpabunt, & ad imperium eorum statim ad pacem pleno corde consentient.
CXII. Si quis de fratribus contra Præpositum domus suæ ***tristitiam*** habuerit, aut ipse Præpositus contra fratrem aliquam quęrimoniam; fratres probatæ conuersationis & fidei audire eos debebunt, & iudicabunt inter eos. Si tamen est Pater monasterij, vel aliquo profectus; primum quidem expectabunt eum; si autem diutius commorari viderint, tunc audient inter Præpositum & fratrem ne de suspenso iudicio maior tristitia oriatur: & ille qui Præpositus est, & ille qui subiectus est, & hi Contentionem & altercationé.

R qui

qui audiunt, iuxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occasionem.

## DE VESTIBVS MONACHORVM.

CXIII. SI quis de his, quæ præcepta sunt, amplius habuerit absque concessione Maioris, deferentur ad custodem vestium, & introeundi illuc, vel postulandi non habebit potestatem; sed erunt sub Præpositi arbitrio, aut qui secundus est ab eo.

¶ Præcepta Pachomij de collectâ fratrum, quomodo collecta fieri debeat, & fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei, iuxta præcepta Maiorum, & doctrinam sanctarum scripturarum, vt liberentur de errore animæ conuersorum, & glorificent Deum in luce viuentium: vt sciant quomodo oporteat in domo Dei conuersari sine ruina, & scandalo, & non inebrientur aliquâ passione; sed stent in mensurâ veritatis, & traditionibus Apostolorum & Prophetarum, & solemnitatum ordinem teneant, imitantes conuersationem eorum in domo Dei; & ieiunia, atque orationes ex more complentes. Qui enim benè ministrant, sequuntur regulam scripturarum.

CXIV. Hoc est ergo ministerium, quod ministri Ecclesiæ implere debebunt. Congregent fratres orationis tempore, & omnia faciant quæ rite complenda sunt, vt nullam occasionem detractioni tribuant, nec sinant quempiam ambulare contra ritum disciplinæ. Si codicem postulauerint, deferant eis.

CXV. Si quis deforis venerit vesperi, & non occurrerit accipere opus, quod postera die facturus est, mane tribuant: si defecerit opus quod habebat in manibus, referat ad Maioris sententiam, & quod ille præceperit faciat.

CXVI. Qui minister est habeat studium, ne quid operis pereat in monasterio, in nulla omnino arte, quæ exercetur à fratribus

bus. Quod si quid perierit, & negligentiâ fuerit dissipatum, increpabitur à Patre minister operum singulorum, & ipse increpabit alterum, qui opus perdiderit, duntaxat iuxta voluntatem, & sententiam principis; absque qua nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

CXVII. Si vestimentum ad solem expansum tertius inuenerit dies, dominus vestimenti pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in *collectâ*; stabitque in vescendi loco. Congregatione.

CXVIII. Si inuentus fuerit vnus è fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens Maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui.

CXIX. Qui mentitur, aut odio aliquem habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus ioco, quàm honestum est, deditus, aut otiosus, aut durè respondens, aut consuetudinem habens fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt, & omnino quidquid contra regulam scripturarum est, & monasterij disciplinam; audiet Pater monasterij & vindicabit iuxta mensuram, opusque peccati.

CXX. Pellicula, caligæ, & cingulum, & si quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.

CXXI. Si quis tulerit rem non suam ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publicè in collectâ, stabitque in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta nouem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem, & aquam tantum, & opertum cilicio, & cinere per singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eademque lex in fugitiuis obseruabitur.

CXXII. Præpositus domus increpationi subiacebit, si ante tres dies non nuntiauerit Patri, siue in via, siue in agro, siue in monasterio quid perierit, & aget pœnitentiam iuxta ordinem constitutum.

CXXIII. Quod si homo fuerit, & ante tres horas non nuntiauerit Patri, reus erit perditionis eius, nisi eum iterum inuenerit.

in operibus suis, non mutet sententiam veram, sed firmus sit solidique decreti, iusta cuncta considerans, iudicans in veritate absque appetitu gloriæ, manifestus Deo & hominibus, & elongans se à fraude, non ignoret conuersationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat, nulli noceat per superbiam; ne sequatur concupiscentias oculorum suorum, non eum superent incentiua vitiorum, veritatem nūquam prætereat, oderit iniustitiam, & personam numquam iudicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per superbiam, non rideat inter pueros, non deserat veritatem timore superatus, non comedat panem de fraudulentia, non desideret alienam terram, nō opprimat animam propter aliorum spolia, non despiciat eos, qui indigent misericordiâ, nec falsum testimoniumdicat seductus lucro; nec mentiatur propter superbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deserat iustitiam propter lassitudinem, nec perdat animam suam propter verecundiam, nec respiciat dapes lautioribus mensę, nec pulchra vestiméta desideret, nec senes negligat, semper dijudicet cogitationes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem iunctam habeat veritati, quando iudicat. Sequatur præcepta maiorū, & legem Dei, quæ toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura, iuxta quam mensus est, & recipiet secundū opera sua, quia mæchatus est in ligno & lapide, & propter fulgorem auri & splendorem, animi dimisit iudicium, & desideriis temporalibus lucri, laqueis se induit iniquorum, & eueniet ei contritio Heli, & filiorū eius; maledictio Dei quam imprecatus est Cain: perditio quâ peccatores terræ hiatus absorbuit: Et interitus Chananæorum, & *contritio Hydriæ ad fontem*, & arenarum comminutio in littoribus, quę salsis fluctibus verberantur: & confractio virgæ gloriosæ, vt sit quasi cæcus palpans manu parietem. Hæc omnia euenient ei, quia non seruauit veritatem in iudicio & inique egit in omnibus quæ ei credita sunt.

Hierc. 3.
1.Reg. 4.
Gen. 4.
Nume. 16.
Eccl. 12.
Hierc. 48.
Esai. 56.

# EIVSDEM
# *SANCTI PACHOMII*
# REGVLA,

## PROVT A PALLADIO RELATA EST.



TABENNENSIS est locus[1], qui sic vocatur in Thebaide, in quo fuit Pachomius monachus, vir ex ijs qui vixerunt in summo, & perfecto vitæ instituto; adeo vt is fuerit dignatus & futurorum prædictionibus & Angelicis visionibus. Is fuit valde amans pauperum, & magnâ charitate in homines. Eo ergo sedente in hac speluncâ visus est ei Angelus Domini, qui ei dicit: Pachomi, ea quidem quæ ad te pertinent, rectè & ex virtute gessisti: supervacaneè ergo sedes in hoc loco. Age ergo, egredere, & congrega omnes iuniores monachos, & habita cum eis, & sequens formam, quam dabo tibi, eis leges constitue; Eique dedit tabulam æneam, in qua hæc scripta fuerant:

Artic. I. Concede vnicuique, vt comedat, & bibat pro viribus comedentium: eis quoque manda opera; quæ proportione conueniant, ac respondeant; & neque remanere prohibe, nec comedere. Sic quidem fortibus fortia manda opera: imbecilla autem, & leuia ijs, qui se magis exercent, & sunt imbecilliores.

II. Fac autem diuersas cellas in eadem aula: & tres in cella maneant.

III. Ab omnibus autem cibus in vna domo capiatur.

IV. Dormiant autem non recumbentes: sed extructis sibi *sedibus paulo supinioribus*, & illic impositis singulis dormiant sedentes. (Psiathijs.)

V. Noctu autem gestent *lebitones* lineas, succincti. (Tunicas lineas.)

VI. Habeat vnusquisque *pellem ouillam albam* laboratam. Absque (Melotem.)

que ea neque comedant, neque dormiant.

VII. Ingredientes autem ad Christi communionem, sabbatho & Dominica zonas soluant, & pellem ouilam deponant, & cum solâ cucullâ ingrediantur.

VIII. Fecit autem eis cucullas molles tanquam pueris: in quibus etiam iussit imponi figuram crucis purpureæ.

IX. Iussit autem esse viginti quatuor ordines fratrum, ex numero viginti quatuor litterarum: præcepitque vnicuique ordini imponere nomen elementum Græcum ab α, β & quæ deinceps sequuntur vsque ad Ω: vt dum interrogaret Archimandrita de aliquo in tanta multitudine, sciscitetur, quomodo se habet ordo A! aut quomodo se habet ordo B? Rursus saluta R. sequendo quoddam proprium nomen literarum. Et simplicioribus & sincerioribus imponens nomen I. difficilioribus autem Ξ & sic conuenienter institutis eorum, & vitæ, & moribus, vnicuique ordini elementum litteræ accommodans, solis spiritualibus intelligentibus, ea quæ significantur.

X. Si venerit hospes alterius monasterij, quod habet aliam formam (id est viuendi rationem) cum eis nec comedat, nec bibat, nec ingrediatur monasterium; nisi fuerit inuentus in via.

XI. Porro eum, qui semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen non admittens. Sed cum opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium.

XII. Comedentes autem velent capita cucullis, ne frater fratrem videat mandentem.

XIII. Comedenti non licet loqui, nec extra quadram & mensam vsquam alio oculos conuertere.

XIV. Constituit autem vt per totum diem facerent duodecim orationes: & in nocturnis vigilijs duodecim, & in matutino duodecim: & hora nona tres. Quando autem videretur comedendum esse multitudini, constituit vt vnusquisque ordo in vnaquaque oratione Psalmum prius caneret.

CAPVT



## CAPVT XXI.

*Ordo monachorum S. Basilij, in Græcia, Asia, alijsque Orientalis Ecclesiæ prouincijs, olim florentissimus, fundatur & Regula eiusdem conscribitur.*

BASILIVS nobilis Cappadox, Athenis vnà cum Gregorio Nazianzeno, sibi amicissimo, secularibus litteris, deinde in monasterio sacris mirabiliter eruditus, eum breui cursum fecit ad omnem doctrinæ & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen inuenerit. Is ad prædicandum Iesu Christi Euangelium in Pontum accersitus, eam prouinciam à Christianis institutis aberrantem ad viam salutis reuocauit: mox ab Eusebio Cæsareæ Episcopo ad erudiendam eam ciuitatem adiutor adhibetur: in cuius locum postea successit. Is filium Patri consubstantialem esse in primis defendit, ac Valentem Imperatorem sibi iratum miraculis adeò flexit, vt incumbentem ad voluntatem eijciendi ipsum in exiliũ, à sententia discedere coëgerit.

Nam & Valentis sella, in qua facturus decretum de eijciendo è ciuitate Basilio, sedere volebat, confracta est: & tribus ab eo calamis adhibitis ad scribendam exilij legem, nullus eorum reddidit atramentum: & cùm nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextra dissolutis neruis tota contremuit. His commotus Valens chartam vtraque manu conscidit. Ea autem nocte, quæ ad deliberandum Basilio data est, Valentis vxor intimis est cruciata doloribus, & vnicus filius in grauem morbum incidit. Quibus ille perterritus iniquitatem suam recognoscens, Basilium accersit: quo præsente puer cœpit conualescere: verùm vocatis à Valente ad visendum puerum hæreticis, paulò pòst moritur.

Abstinentia & continentia fuit admirabili: vna tunica contentus

tentus erat, in ieiunio ſeruando diligentiſſimus, in oratione aſſiduus, in qua ſæpe totam noctem conſumebat. Virginitatem perpetuò coluit. Monaſterijs exſtructis ita monachorum inſtitutum temperauit, vt ſolitariæ atque actuoſæ vitæ vtilitates præclarè ſimul coniungeret. Multa eruditè ſcripſit, ac nemo, teſte Gregorio Nanzianzeno, ſacræ ſcripturæ libros veriùs aut vberiùs explicauit. Obijt Kalendis Ianuarij, cùm tantùm ſpiritu viuens, præter oſſa,& pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur.

Aſia florentiſſima quondam fuit numero monaſteriorum huius tanti fundatoris inſtituta ſectantium: ſed ea partim modò deſtructa, partim ſub graui Turcorum iugo mœrentia; quorum fere aſcetæ Græcorum ſchiſmati adhærentes Romanam haud agnoſcunt Eccleſiam. Sunt & in Hiſpania cœnobia aliquot idiomate Latino in ſacris peragendis vtentes. Quin & in Italia Nilus vir ſanctiſſimus Tuſculum veniens Monaſterium erexit *Cryptam Ferratam* nominatum. Hoc autem aliorum eiuſdem Ordinis per Italiam diffuſi caput eſt: quorum inſignia ſic expreſſa legi & vidi, in quibus *Scitum* illud SI DEVS PRO NOBIS QVIS CONTRA NOS? tyrannidem Mahumeticam, vt arbitror, reſpicit, à qua pars totius Ordinis maxima, preſſa, peneque oppreſſa iacet.




Ad Regulas porrò quod adtinet, eæ quidem variç ſunt & multæ: ſiue fuſius diſputatas conſideres, ſiue Breuiores: quæ ſimul

S. iunctæ

iunctæ volumen per se constituerent. Nos itaque compendio studentes, eas dabimus, quales obmissis reliquis, dare consueuerunt qui de monasticis Regulis sermocinantur & scribunt.



SANCTI BASILII

# PROEMIVM IN REGVLAS SVAS.



OSTQVAM Dei gratia in nomine Domini nostri Iesu Christi IN VNVM CONVENIMVS, qui vnum & eundem secundum veram pietatem viuendi nobis finem proposuimus, vosque haud quaquam obscurè præ vobis fertis, eorum, quæ ad salutem vestram pertineant, expetere aliquid discere, mihique vicissim iustificationes Dei annunciandi necessitas incumbit: quippe Apostoli verba illa dies noctesque assiduè mecum memo-
Act. 20. ria versanti quando ait: *Per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemque vestrum*: cum egregiè ad hoc ipsum accommodata huius occasio temporis sit, tum non minus etiam idonea loci ipsius opportunitas est, qui ab omni externo strepitu tumultuque longissimè sit remotus, & vt hoc facere possimus, pacatissimam nobis quietem largiatur: Hæc igitur cum ita sint, agedum inter nos vicissim alij pro alis ore-
Matth. 13. mus: vos quidem, vt nos conseruis nostris dare possimus *tritici mensuram in tempore opportuno*: nosque item, vt vos suscepto sermone nostro, more feracis soli, perfectum, & multis partibus vberiorem iustitiæ fructum afferatis, sicut scriptum est. Obsecro igitur vos per charitatem Domini nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, incipiamus aliquando soliciti esse de animabus nostris, doleamus superioris vitæ vanitatem, de eo, quod ad viuendum nobis reliquum est, temporis

poris

poris spatio attentiore cura cogitemus ad gloriam Dei, & Christi eius, itemque adorandi, sanctique spiritus. Nolimus obsecro perpetuo in hac socordia, dissolutioneque permanere, ne, dum quod præ manibus est, in aliud semper tempus reijcimus & futiliter deterimus atque in perendinum, ac reliquos ordine insequentes dies rectè viuendi initium differimus, inopinantes deinde ab eo qui animas nostras repetit, imparati à bonis operibus inuenti, ab illa nuptialis thalami lætitia excludamur, ac tum demum, cùm id prodesse nobis nihil iam poterit, alieno tempore cassis & frustraneis lachrymis lamentemur: tuncque malè prætermissum vitæ tempus deploremus, quando nullus amplius querelarum esse poterit fructus. ***Nunc tempus acceptabile***, inquit Apostolus, ***nunc dies salutis***. Vita hæc, pœnitentiæ vita est, illa præmiorum: seculum hoc quæstus est per opera pietatis promerendi, illud rependendæ mercedis: hoc tolerantiæ, illud consolationis recipiendæ. Nunc adiutor conuertentium se à via mala est Deus, tunc factorum omnium humanorum pariter ac dictorum, cogitationumque formidabilis & quem nemo fallit, inquisitor. Nunc in indulgendo illius longanimitatem experimur, tunc in iudicando æquitatem cognoscemus, cùm videlicet resurreximus, alij ad supplicium æternum, alij contra ad vitam æternam, & receperit vnusquisque secundum opera sua. Quousque tandem præceptis Christi, à quo ad cœleste ipsius regnum vocati sumus, obtemperare cessabimus? Nonne ad nosmetipsos per resipiscentiam redibimus aliquando? nonne à praua nos communis vitæ consuetudine abducemus, & ad perfectionem Euangelij conferemus? Nonne ante oculos nobis horribilem cunctisque illustrem & conspicuum futurum illum nouissimi iudicij diem proponemus? quando qui rectè vixerint, ad dexteram Dei collocabuntur, & cœleste regnum adipiscentur: contra, qui malè, ad sinistram retrusos ignis gehennæ, & sempiternæ tenebræ perpetua caligine inuoluent. ***Ibi***, inquit, ***erit fletus & stridor dentium***. Enimuero nos quidem cœleste regnum concupiscere nos ingenuè

2. Cor. 6.

Matth. 25.



genuè

genuè profitemur, de ijs autem rebus, per quas illud assequi possumus, soliciti nihil sumus. Cumque nullum pro tenendis Domini mandatis laborem velimus suscipere, vana quadã persuasione pares nos cum illis honores adepturos putamus, qui vsque ad mortem ipsi peccato restiterunt. Quis quæso vnquã qui sementis tempore, domi desederit ociosus, aut etiam dormiens, vbi postea messis aduenit, sinum suum manipulis impleuit? Quis ex vinea, quam ipse non plantauit, vuas vnquam collegit? illorum enim sunt fructus, quorum & labores, sicut coronæ præmiaque illorum, qui victores euaserint. Quis enim eum, qui ne in certamen quidem cum aduersario descendit, corona vnquam duxit esse insigniendum? cùm ad eam promerendam, non victoria modò, sed legitimus etiam in certando conflictus requiratur, vt est apud Apostolum; quod quidem nihil aliud est, quàm vt eorum, quæ obseruanda descripta sunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac singula ita fiant, vt à præscripto nihil discedatur. *Beatus enim*, inquit, *seruus ille, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit non simpliciter quiduis facientem, sed, sic facientem*. Et, si rectè quidem obtuleris, non rectè autem diuiseris, peccasti. Nos verò si vel vnicum nos mandatum confecisse arbitrati sumus (neque enim confecisse nos dixerim: omnia siquidem, si quis rectè illorum finem perpenderit, connexa illa inter se ac cohærentia reperiet: atque adeo, vt vno soluto, reliqua etiam omnia vnà cum eo solui necesse sit) non propter ea, quæ facere neglexímus, metuimus ne pœnæ dandæ nobis sint: sed pro eo quod rectè fecerimus, præmia videlicet atque honores expectamus. Qui de decem talentis, quæ deposita apud se sint, vnum aut alterũ retinuerit, reliqua verò omnia Domino reddiderit, non ea re iustus habeatur, quòd maiorem partem reddiderit, sed improbus ac fraudulentus, quòd minore illa defraudarit, arguetur. Sed quid dico defraudarit? quando cui vnum modo talentum creditum fuerat, & illud ipsum, quod acceperat, integrum, ac nulla ex parte imminutũ reddiderat, propterea

Luc. 12.

propterea quòd ad illud quod sibi datum erat, nihil acquisiuerat, malè videamus fuisse multatum. Simili ratione, qui decennium totum debitum patri honorem habuerit, is si eum postea semel tantum pulsauerit, non vt bene de illo meritus, honore aliquo afficitur, sed vt parricida condemnatur. *Euntes*, inquit Dominus, *docete omnes gentes, docentes eos*, non hæc quidem obseruare, illa autem negligere, sed *omnia* obseruare, *quæcunque præcepi vobis*. In quam sententiam illa etiam scripta sunt ab Apostolo: *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibentes nosmetipsos, sicut Dei ministros*. Neque enim, si præcepta non omnia ad salutem, quam petimus, necessaria essent, literis omnia fuissent mandata, neque aperte fuisset edictum, vt omnia seruarentur. Quid enim, quæso, mihi reliqua omnia, quæcunque rectè fecero, sunt profutura, si quòd fratrem meum modo fatuum appellauero, idcirco sempiternis gehenę cruciatibus addicendus sum? Quemadmodum, quid prodest alicui, data à plerisq; libertas, si is vel vni modo seruiat? *Qui enim peccatum facit*, inquit, *seruus est peccati*. Quid verò in hoc esse emolumēti potest, vt quis prauas omnes suas cupiditates compressas teneat, si is idem corpus suum vni tantum addictum perdendum tradat.

Math. 28.

2. Cor. 6.

Ioan. 8.

Sed hic dicet aliquis fortasse: Quid obsecro maxima Christianorum pars, quę Dei omnia pręcepta non seruat, itáne propterea quòd quibusdam satisfecerit, nullum ex ea refert fructum? Ad hæc scitum fuerit, si illud principis Apostolorum recordemur, meminerimusq;, quia post tot præclarè sibi acta, & beatitudinis à Christo delatam gloriam vnius duntaxat errati gratia audiuit: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*. Neque nunc illud dico, quod neque id, quamobrem grauem adeo comminationem audiuit, eiusmodi erat, quod ipsius aut negligentiam vllam, aut contemptū Domini indicaret: quin contra potius honoris exhibendi ac reuerētiæ ipsius erga Dominū suum significationem fuisse expressissimā. Sed dicat aliquis, haberi in sāctis literis, saluū futurū, quicūq; inuocauerit

Ioan. 13.

nomen Domini, ac propterea satis esse vnicuique ad salutem adipiscendam, hanc Dominici nominis inuocationem. Verumenim is etiam audiat velim, quæ dicantur ab Apostolo:
Rom. 10. ***Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?*** Quod si
Matth. 7. non credis, audi quæ Dominus dicat: ***Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.*** Quando sanè is qui Domini voluntatem facit, non item eo modo, quo Deus vult, & caritate, quam aduersus Deum habeat, inductus hoc faciat, studium ei illud nihil prodest: idq; ex sententia ipsius Domini Iesu Chri-
Matth. 6. sti, cuius verba sunt hæc: ***Faciunt enim vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*** Et hac Christi
1. Cor. 13. doctrina eruditus Apostolus dixit: ***Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*** Prorsus autem tripartitam hanc ego summam Deo parendi necessitatem animaduerto. Nam aut metu supplicij à vitijs declinamus, atque ita animum seruilem induimus: Aut mercedis spe ducti, ad vtilitatem nostram præceptorum obseruationem referimus, atq; hoc modo mercenarijs efficimur similes: Aut certè, honestate ipsa impulsi, caritateque, quam erga ipsum habemus à quo legem accepimus, gaudentes quod digni habiti simus, qui adeò glorioso, ac benigno seruiremus Deo, ipsi paremus, atque hoc modo bonorum filiorum erga parentes suos animum imitamur. Neque igitur, qui aut supplicij metu imperanti aliquid Deo obtemperat, assidueque suspectam negligentiæ pœnam habet, is cum eorum, quæ facere iussus fuerit, partem executus fuerit, partem omittet: quin potius vbicunque dicto audiens non fuerit, imminentis sibi supplicij grauitatem pertimescet (quæ quidem causa est etiam quamobrem & beatus is nominetur, quicunque ex religione ad omnia paueat) in veritate autem stabilis stat, vere-
Psal. 15. que dicere illud potest: ***Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commonear.*** Siquidem volens animum

animum nunquam inducit, vt eorumquicquam prætermittat, quæ officij necessitas fieri oportere præscribat. Similiterque illud etiam: *Beatus vir qui timet Dominum*. Quid ita? quia *in mandatis eius volet nimis.* Ex quo sanè colligitur non esse eorum, qui timent Deum, aliquid prætermittere quæ præcepta sint, aut negligenter exequi. Sed neque mercenarius animum vnquam inducet, vt eorum sciens aliquid negligat, quæ præcepta sunt. Quî enim fieri poterit, vt suscepti in cultura vineæ laboris mercedem ferat, nisi quæ ex pacto condicta re ipsa præstiterit? quandoquidem si vel vnum modo, de ijs, quæ necessaria sint, neglexerit, is inutilem seipsum Domino reddidit? Quis est autem qui damni mercedem, iniuriæ auctori persoluat? Tertium erat, opera, quæ ex caritate dabatur. Hic quæro, quis est filius, qui proposita ipsi parentis gratia, cùm in rebus illi maioribus obsequatur, in ijs quæ leuioris momenti sint, prudens ipsum velit offendere? ac non multò magis verborum Apostoli illorum meminerit, *Et nolite contristare spiritum sanctum, in quo obsignati estis?* Qui igitur maiorem præceptorum partem obire neglexerint, hi quo tandem in horum se numero reponi volunt; qui neque Deo, vt parenti obsequantur, neque vt magna pollicenti obediant, neque vt Domino seruiant? *Si enim Pater sum*, inquit, *vbi est honor meus? Et si Dominus sum ego, vbi est timor meus?* Qui enim Dominum timet, is in mandatis eius volet nimis. *Per transgressionem autem legis*, inquit, *Deo contumeliam facis*. Qua ratione igitur qui in voluptate magis, quàm in Dei mandatis vitam agere maluerimus, vitæ beatitudinem, & æquale cum sanctis in cœlesti republica ius, municipiumúe, & cum angelis inenarrabilem lætitiam, ante Christi conspectum nobis pollicemur? Prorsus amentium talia secum comminisci. Quî enim vnà cum Iob potero ego collocari, qui ne leuissimum quidem incommodum vnquam cum gratulatione susceperim? Quî cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostem non adhibuerim? Quî cum Daniele, qui non per continentem abstinentiam, & precatio-

Psal 111.
Ephes. 4.
Mal. 1.
Rom. 2.

nem sedulam Deum exquisiuerim? Quî denique cum sanctis singulis viris, qui illorum vestigia secutus non sim? Quis quæso ludorum Gymnicorum arbiter adeo nullo est iudicio, qui paribus censeat oportere coronis dignari, & qui ex certamine victores euaserint, & qui nullum in certaminibus laborem suscipere voluerint? Quis exercitus luctor vnquam in æquam prædæ partem cum victoribus eos vocauit, qui nuspiam in prælio comparuerint? At enim bonus est Deus. at idem etiam est iustus. Porrò iustitiæ proprium est, vt suum cuique pro merito
Psal. 124. reddatur, sicut scriptum est: ***Bonis benefac domine: declinantes autem, in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.*** Misericors est Deus? at idem etiam est iudex. ***Diligit enim,*** in-
Psal. 32. quit, ***misericordiam & iudicium Dominus.*** Idcirco, misericordiam, inquit, & iudicium cantabo tibi Domine. Qui autem illi sint, aduersum quos ille misericordia vtatur, nimirum ex verbis
Matt. 5. illis didicimus: ***Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.*** Animaduertis quanta cum discretione, misericordia Dominus vtatur? Siquidem neque citra iudicij discretio-
Psal. 144. nem clemens est, neque inclementer iudicat, ***Misericors*** enim ***& iustus est Dominus.*** Hæc igitur cum ita sint, nolimus quæso nos Deum ex dimidia tantum parte cognoscere, neque eius erga nos bonitatem, ad ignauiæ occasionem arripiamus. Propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, vt ne bonitas
Matth. 5. contemnatur. ***Qui solem oriri facit,*** is cæcitate etiam multat.
4. Reg. 6. Zach. 10. Qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc se-
Genes. 19. ueritatis: Aut enim per illa ad amandum alliciamur, vel per hæc ad metum assuescamus, ne nobis quoque dicatur: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? ***Secun-
Roma. 2. dum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*** Quoniam igitur neque salui esse possunt, qui opera, quæ fieri Deus iussit, non fecerint, neque periculo vacat, si quis eorum aliquid præterierit, quæ imperata sint (siquidem graue est hoc arrogantiæ genus, velle nos legislatori iudices assidere, &

re, & delatis ab eo legibus pro arbitrio nostro alias asciscere, & approbare, alias repudiare) Agedum nos qui veram tueri pietatem habemus in animo, quique quietam, & vacuam negocijs vitam, tanquam ad conseruanda euangelij dogmata adiutricem nobis tanti æstimauimus, cõmuniter suscepta cura, rationem quisq; ineamus, ne quid omnino eorũ, quæ à Deo iussa sunt, nos effugiat. Etenim, si hominẽ Dei oportet perfectũ esse, sicut scriptum est, & ita esse à nobis allata superius ratio docuit: prorsus necesse est, vt præceptis is omnibus defungẽdis efficiatur perfectus *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quãdo etiam ex diuina lege animal quod aliqua sui parte accisum, & imminutũ sit, etiam si sit mundũ, Deo ad sacrificiũ acceptum non est. Quamobrem quod sibi abesse quisque arbitratur, hoc communiter in medium omnibus consultandum proponito. Facilius enim id adhibita à multis diligenti peruestigatione, in lucem eruetur, quicquid cognitionem nostram nunc fallit. Quippe cum Deus videlicet, sicut pollicitus est Iesus Christus Dominus noster, largiturus sit nobis, vt à spiritu sancto admoniti, doctique inuenire possimus quod quærimus. Quemadmodum igitur mihi necessitas incumbit, & *væ mihi nisi euangelizauero*, itidem vos quoque in pari mecum estis periculo, si aut in exquirendo seniores, aut ad ea quæ tradita vobis fuerint, conseruanda, & re ipsa conficienda, lento animo fueritis, ac dissoluto. Propterea Dominus dicit: *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*. Et item: *Seruus, qui nescierit voluntatem domini sui, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis; qui vero scierit, & non fecerit, vapulabit multis*. Oremus igitur communiter, fratres, vos quidem, vt hoc delatum mihi loquendi munus careat offensione, ego vicissim, vt doctrina mea vobis accidat fructuosa. Tanquam igitur, qui sciamus fore, vt ex aduerso nobis ante Christi tribunal ea statuantur, quæ in diuinis literis memorata sunt: *Arguam enim te*, inquit, *& statuam contra faciem tuam peccata tua*: ita aduigilemus, & quæ dicuntur sedulo attendamus, studio-

Ephes. 4. Ioan. 14. 1. Cor. 9. Ioan. 12. Psal. 49.

seſque in id incumbamus, vt re ipſa Dei ſcita conficiamus, quia neſcimus qua die, aut qua hora Dominus noſter venturus ſit.



CAPITA REGVLARVM.

I. *De ordine & ſerie* ***mandatorum Domini.***

II. *De charitate aduerſus* ***Deum, & quòd naturaliter*** *inſita hominibus eſt,* ***ad exequenda Dei mandata,*** *& propenſio & facultas.*

III. *De charitate erga proximos.*

IV. *De timore Dei.*

V. *De eo, quomodo quis aſſequi poſſit, ne mente ad futiles cogitationes diſtrahatur.*

VI. *Quòd neceſſaria res eſt ſeceſſio, ſiue ſingularis vita & ſecretior.*

VII. *De eo, quòd cum ijs debemus viuere, qui vnum & eundem ſibi nobiſcum vitę finem propoſitū habent, idq; eo conſilio, vt rem Deo gratam faciamus: & quòd difficilis ſimul, ac periculoſa res eſt, ſolitarium viuere.*

VIII. *De nuncio rebus vitæ huius remittendo.*

IX. *Quòd naturali ſibi neceſſitudine coniunctis, ad ſolitariam vitam accedens aliquis, relinquere pecunias ſuas non debet.*

X. *Quinam ad vitæ genus illud, quod ſecundum Deum eſt, admitti debeant, & qua ætate, & quomodo.*

XI. *De ſeruis.*

XII. *Quomodo admittendi ſint, qui matrimonio ſunt coniuncti.*

XIII. *Quòd rudibus adhuc vtilis eſt, per ſilentium, in pietate colenda exercitatio.*

XIV. *De ijs qui religioſam vitam profeſſi, dein profeſſionem illam conantur reſcindere ac reddere irritam.*

XV. *Quomodo pueri aſſumi debeant, quomodo educandi ijdem ſunt atque inſtituendi, & de profeſſione virginum.*

XVI. *De continentia.*

XVII. *Quòd in riſu etiam continentia ſeruari debet.*

XVIII. *Quòd omnia ſunt deguſtanda, quęcunq; in menſa nobis apponantur.*

XLII. *Quid in opere faciendo spectare debeant illi, quicunque opus faciunt.*

XLIII. *Quales esse illos conueniat, qui alijs præsunt: quomodóque qui in ipsorum ditione sint, gubernare.*

XLIV. *Quibus permitti debeat, vt domo absint: quomodóq; item ijdem, cum se domum receperint, exquirendi.*

XLV. *Quod præter antistitem, alium etiam esse quendam oportet, qui illo absente, vel alijs in rebus occupato, fratrum curam possit suscipere.*

XLVI. *Quòd neque nostra, neque fratrum nostrorum peccata celare debemus.*

XLVII. *De ijs, qui quæ statuuntur ab antistite ac designantur, nolunt admittere.*

XLVIII. *Quòd consilia antistitis curiosè inuestiganda non sunt, sed vnusquisque assignatum sibi munus exequi, quantum possit, debet.*

XLIX. *De controuersijs, quæ oriri solitæ sunt inter fratres.*

L. *Qualis esse antistitis obiurgatio debeat.*

LI. *Quomodo corrigi debeat culpa illius, qui peccatum aliquod admiserit.*


LII. *Cuiusmodi mente irrogatas sibi aliquis animaduersiones debeat accipere.*

LIII. *Quomodo artium magistri corrigere pueros debeant.*

LIV. *Quòd de rebus suis communicare inter se vicissim antistites debent, & conferre.*

LV. *Nunquid à veræ pietatis proposito alienum sit, vti præceptis medicinæ, an non.*

BASILII



# BASILII MAGNI
## ARCHIEPISCOPI CÆSARIENSIS
## LIBER
## *REGVLARVM FVSIVS DISPVTATARVM:*
## In quo, Monachis interrogantibus respondet ipse Basilius.

### INTERROGATIO I.



VANDO, vt audimus, potestatem ex te quærendi nobis facis, illud abs te scire expetimus comprimis, num ordo aliquis, seriesúe sit in mandatis Dei, ita videlicet, vt vnum primum sit, alterum secundum, ac reliqua deinceps simili modo: an, quòd inter se cohærescant, & quòd ad principij rationem attinet, paria omnia inter se sint, ita vt securè possit quiuis auspicari, vnde velit, veluti in circulo aliquo. DE ORDINE ET SERIE MANDATORVM DOMINI.

### RESPONSIO.

VETVS est ista quæstio, & iam olim antè in Euangelio tractata, quando scilicet Legis-peritus ille accessit ad Dominum, eumque ita est percontatus: *Magister, quod primum mandatum est in lege?* & is illi respondit sic: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua, hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum* Matth. 22.

*sicut teipsum.* Ex quibus verbis sine dubio illud appâret, statuisse Dominum ordinem in mandatis suis, quippe qui primum illud ac maximum esse mandatum pronunciauerit, quod est de charitate aduersus Deum. Secundo autem loco, & simile illi primo, imò quod primi perfectionem in se cõtinet, & quod à primo dependet, nempe, hoc de diligendo proximo. Quocirca cum ex his, quæ modo citauimus, tum ex alijs etiam, quæ in sacris literis feruntur, ordo seriesque in omnibus Domini mandatis animaduerti potest.

INTERROGATIO II.

DE CHARITATE ADVERSVS DEVM.

AGè igitur, quando ita est, primo de charitate nobis edissere, quæ est aduersus Deum; nam quòd charitas haberi debeat, id iam audiuimus: at quonam pacto eam assequi & legitimè præstare possimus, hoc verò ex te scire desideramus.

RESPONSIO.

SAnè quæ ad Deum charitas est, ea non in doctrinæ præceptis posita est. Neque enim aut luce gaudere, aut vitã diligere aut eos charos habere, à quibus geniti, educatíve sumus, à quoquam didicimus. Sic igitur ac multo etiam magis, nulla charitatis in Deum externa est disciplina: sed simul atque constitit animal illud (de homine loquor) insita ei naturalis etiam quædam rationis est vis, quæ in seipsa amandi necessitudinis initia continet. Eam vbi schola diuinorum præceptorum excepit, & diligenter excolere, & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem vsque perducere consueuit. Quamobrem nos quoque studio vestro veluti ad finem, quem nobis proposuimus, necessario assensi, Deo permittente, vobisque vestris nos orationibus adiuuantibus, dabimus operam, vt intus occultam in vobis diuini amoris scintillam pro data nobis à Spiritu sancto facultate, excitemus. Verumenim illud scire nos conuenit, cum re ipsa hæc vna tantummodo virtus sit, eiusmodi tamen esse eius vim, vt cætera mandata omnia conficiat atque

atque comprehendat. *Qui enim diligit me*, inquit Dominus, *mandata mea seruabit*. Et item: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ*. Neque verò omnia quæ huc afferri possent, in præsentia nobis animus est subtiliter persequi. Siquidem si hoc facere vellemus, imprudentes omnia, quæcunque de diuinis dici præceptis possent, hanc vnam in partem aggereremus. Sed id tantummodo, quantum facultas nostra fert, & ad id, quod hoc tempore spectamus, facit, vos de ea, quam Deo debemus, charitate commonebimus: si prius illud dixerimus, ad omnia nos, quæ descripta nobis à Deo præcepta sunt consequenda, naturales etiam ab ipso facultates accepisse: idque ea re nimirum, ne aut grauatè illis pareremus, perinde quasi insolens aliquid à nobis exigeretur, néue contrà, causam haberemus, vnde animis efferremur, vt qui plusquam quantum nobis datum esset, ipsi conferremus. Sanéque facultates hæ eiusmodi sunt, vt si his rectè, & vt par est, vsi fuerimus, egregiè pietatem tenentes, ei, quæ cum virtute coniuncta est, vitæ satisfacere possimus: contráque, si earum deprauata à nobis virtus sit, proni in vitia delabamur, quandoquidem hæc est vitij definitio, prauus & à præceptis Domini abhorrens vsus earum facultatum, quæ boni causa datæ nobis à Deo sunt: quemadmodum contrà virtutis, quæ ex Deo est, earundem vsus, bona adhibita mente, præceptis Domini conueniens. Quod cum ita sit, sine dubio hoc idem etiam dici à nobis debet de charitate.

Ioan. 14.

Matt. 22.

Cum igitur præceptum nobis sit, vt charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio, vim quandam nanciscimur, per quam nostrapte sponte ad ipsum diligendum inpellimur: ad quam quidem rem confirmandam, nihil est cur argumenta foris petamus, cum per se quisque, atque adeò in seipso facillimè illud possit intelligere. Nam & rerum pulchrarum naturâ appetentes sumus: neque hoc impedit, quod inter homines de rerum pulchritudine

pulchritudine opiniones sint variæ: & item sponte nostra quicquid necessitudine aliqua, propinquitateque coniunctum nobis est, diligere, & ijs, quicunque bene de nobis meriti sunt, charitatem omnem præstare consueuimus sine præuia doctrina. Verùm quid est, quæso, pulchritudine diuina admirabilius? quæ notio, Dei maiestate, excogitari gratiosior potest? quod eiusmodi desiderium quis secum comminisci queat, cuiusmodi est illud, quod animæ vitijs omnibus perpurgatæ diuinitus ingeneratur? adeo vehemens, adeóve intolerandum? quæ verè syncereque dicere illud possit: *Ego amore langueo*. Et, *vulnerata charitate ego sum*. Inexplicabiles prorsus, nec vlli pro dignitate enarrabiles quæ è fulgurantissimo fonte illo diuinæ pulchritudinis intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio dignè repræsentet, nullus percipiat auditus, licet Luciferi prænitidum iubar, licet Lunæ splendorem, licet Solis radiantissimam claritatem dicas, obscura ista sunt, si cum eius fulgore comparentur, & nullius prorsus precij, si horum similitudine gloriam illam velis exprimere: plusque à vera luce distant, si cum ea conferantur, quàm distet profunda nox, & cæcæ noctis tenebræ à clarissima luce meridiana. Tantæ istius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari. Siquidem animo tantùm & cogitatione vtcunque apprehenditur. Ea si quando sanctorum virorum quempiam circunfulsit, intolerabilem illorum in animis defixum desiderij aculeum reliquit, quippe qui, cum vehementer eos vitæ huius tæderet, in voces illas erumpere soliti essent: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*! Et, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*? Et, *Dissolui, & esse cum Christo longè melius est*. Et, *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*. Et, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*; vehementer enim vitam hanc veluti tetrum quendam carcerem abhorrebant, vsque adeò difficiles ad cohibendum animos erant ij, quorum mentes Dei amor perstrinxerat. Cùm enim inexplebili intuendæ diuinę pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, vt æquata infinito

*Cant. 2.*
*Psal. 119.*
*Psal. 41.*
*Philipp. 1.*
*Psal. 41.*
*Luc. 2.*

nito sempiternæ vitæ curriculo, sibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur. Sic igitur, duce natura, sua spôte hominum animi ad rerum pulchratum experitionem excitantur. Illud autem propriè vereque pulchrum est atque expetendum & amabile, quicquid est bonum: at bonus est Deus: quod autem bonum est, id ab omnibus expetitur: ergo Deum expetunt omnia. Ex quo sanè colligitur, quicquid rectè facimus voluntate nostra, eius faciendi vim, nos naturâ etiam in nobis insitam habere, eos modò, quorum rectam rationem nõ penitus vitiositas deprauarit.

VT ÆS ALIENVM A NOBIS ERGA DEVM CHARITAS REQVIRITVR.

Quamobrem necessarium à nobis veluti æs alienum charitas erga Deum requiritur, qua carere, malum est malorum omnium longè grauissimum. Etenim alienatio à Deo, auersióque, cui modo ea contigerit, malum est, omnibus, quæ in gehenna exspectantur intolerabilius, veluti oculo priuatio luminis, etiam si dolor non adsit, itemque animanti ademptio vitæ. Quòd si ijs etiam, qui geniti sunt, naturalis erga eos, qui ipsos genuere, charitas inest, quod ex ea animi affectione comprobatur, quam cum brutas animantes, tum ipsos etiam homines, ipsa prima ætate aduersum mátres habere animaduertimus: ne quæso id committere velimus nos, vt aut rationis inopia pusiones istos, aut immanitate feras bestias antecedere videamur, qui & alieno scilicet ab eo, vnde conditi sumus, animo simus ac voluntate, nullaque aduersus illum charitate propensi: quem profectò, vt ex eius bonitate non nosceremus, at certè ob id vnum, quod is est, qui nos procreauit, mirabiliter diligere, & charitate summa complecti deberemus, perpetuóque de eius memoria non secus pendere, quàm de parentum suorum teneri infantes soleant. Inter eos autem, ad quos diligendos natura incitamur, sine dubio is præstat, qui bene etiam de nobis meritus est. Atque hæc animi affectio non hominum peculiaris est modò, verum ipsis etiam cum omnibus fere animantibus cæteris communis est, vt videlicet eos diligant, à quibus beneficium acceperunt.

DEVM A NOBIS MAXIMOPERE DEBERE DILIGI, CONFIRMAT EXEMPLIS.

*Cognouit enim*, inquit Esaias, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Nolim autem id dictum esse de nobis, quod sequitur, *Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit.* Nam de cane compluribusque eiusmodi alijs animalibus, quid attinet commemorare, quàm insignem beneuolentiam declarent & gratitudinem in eos, à quibus ipsis alimenta præbentur.

Quòd si naturâ nobis tributum est, vt ad complectendos beneuolētia atque amore eos excitemur, qui bene de nobis meriti sunt, neque labor est vllus, quem, vt illis pro collatis in nos officijs gratiam referamus, nō libenti animo excipiamus, quænam obsecro inueniri orationis facultas potest, quæ data nobis à Deo beneficia digne satis queat explicare? quæ quidem numero adeo sunt multa, vt numeri vim omnem effugiant: vi verò ac magnitudine tanta, vt vel vnicum modo ex ijs idoneum sit, propter quod nihil non subeamus, vt illius voluntati obsequamur. Ac nimirum hoc loco missa faciam cætera, quę quamuis, si per se singula considerentur, magnitudine, ac dignitate mirabiliter excellunt, illorum tamen, quæ ampliora sunt, claritate maiore, non secus ac stellæ eximio splendore radij solis offusæ, ab ea quam ipsa seorsum essent habitura, lucis suæ dignitate descíscunt. Neque enim vacat omissis ijs, quæ amplitudine præstant, ex ijs, quæ sunt minutiora, Dei erga nos benignitatem vt metiamur. Nulla sit igitur mentio Solis exortuum, missæ fiant Lunæ conuersiones, aëris multiplex contemperatio, quatuor temporum vicissitudines, aquæ cum cœlestes, tum etiam terrestres, mare ipsum vnà cum vniuersa tellure, terrestria, aquatiliaq́ue animantia, nihil de tot volucrum generibus dicatur, taceantur innumerabiles inter se animalium differentiæ. Quid quòd hæc omnia in famulitium obsequiumve hominis ordine decentissimo condita sunt? Illud quidem certè prætermitti, etiam si maximè velimus, non potest (quanquam beneficium est eiusmodi, vt cum à cordato modo, ac dicendi facultate prædito viro silentio præteriri non queat,

queat, tum multo minus ita verbis explicari, vt illius magnitudinem oratio consequatur ) quòd videlicet, cum ad imaginem ac similitudinem suam hominem Deus procreasset, eíque honorem illum habuisset, vt se ipsi noscendum tradidisset, ac rationis participem effectum mirabiliter vnum præ cæteris animantibus honestasset, eamque esset facultatem largitus, qua se incredibili rerum, quæ in paradiso essent, pulchritudine intuenda summa cum iucunditate oblectaret, eorumq; omnium, quæ in terris cernerentur, imperium detulisset, postea serpentis fraude delusum, atque in peccatum prolapsum, & ex peccato inde in mortem, & in ea deinceps quæ adiuncta sunt morti, neutiquam neglexit, sed legem, qua se tueretur, dedit, Angelos custodiæ ac defensionis causa adhibuit, prophétas ad vitia reprehendenda, ac magisterium & doctrinam virtutis, misit, malitiæ omnis impetus supplicijs denunciandis repressit, vicissimque rerum bonarum studia pollicitationibus alacritatemque vtriusque instituti excitauit, & exitus sæpenumero in diuersis hominibus ad reliquorum commonefactionem antè declarauit. Cumque hæc & huiusmodi omnia ab ipso nobis præstita essent, & nos tamen nihilominus obstinati eius imperio obsequi recusaremus, nequaquam eo tamen est aspernatus, nec auersari voluit. Ea enim diuina est bonitas, vt neutiquam nos potuerit destituere: neque illud ardentem eius erga nos charitatem restrinxit, quòd optimè de nobis meritum spretis delatis ab ipso nobis honoribus in contumelia habueramus. Sed contra *reuocati sumus à morte, & ad vitam* Philip. 2.
denuo ab ipso Domino nostro Iesu Christo restituti. Qua in re auget miraculi magnitudinem beneficij modus. Siquidem *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*: & infirmitates nostras tulit, & *languores portauit, & pro nobis vulneratus est, vt nos liuore eius sanaremur: & à maledicto nos redemit, factus ipse pro nobis maledictum*, & ignominiosissimam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam denuo vitam reuocaret. Neque

Esaie 53. Gal. 3.

V 2 verò

verò ſatis hoc illi fuit, quod ademptam nobis vitam reddidiſſet, quin & diuinæ naturæ conſortium dignitatemque eſt elargitus, locaque in quibus perpetua frueremur quiete, præparauit, vbi quæ futura eſt lætitiæ magnitudo, ea cogitatione à nemine poteſt comprehendi. Porro ipſe adeo bonus eſt, vt neq; gratiam ſibi pro his vllam referri poſtulet, ac ſatis habet, ſi pro ijs, quæ largitus eſt, à nobis modo diligatur.

Quæ omnia quandocunque mecum ipſe conſidero (vt planè quod euenire mihi in animo ſentio, apud vos etiam enunciem) terribilis me quidam cum mentis cõſternatione horror inuadit, metuentem videlicet, ne ſi aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus Chriſto dedecori ſim. Qui enim aſſiduè nunc ſuis nos artificijs circumuenire, & mundialis iſtius vitę illecebris ineſcans omni conatu efficere ſtudet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deique ipſius memoriã ex animis noſtris reuellat, is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum noſtrarum exitio nobis inſultans, vehementiſſimeque inſectans, contemptionem Domino noſtrã contumelioſè exprobrauit, contumaciaq;, ac defectione ab ipſo noſtra, gloriandi materia aduerſus illũ vtetur, quòd videlicet, cùm nos ipſe neque crearit, neq; pro nobis mortem ſubierit, ſibi tamen, ſpretis, contẽptiſq; Dei præceptis, obſequẽtes habuerit. Equidem iſtam ego futuram aduerſus Dominum contumelioſam opprobrationem ac dedecus, & inſolentem hoſtis gloriationem, grauiora longè eſſe ſtatuo, quàm ea, quæ ſunt in gehenna ſupplicia, materiam videlicet nos aduerſariò Chriſti, glorioſius ſeſe aduerſus illum efferendi extitiſſe qui conciliandæ nobis cauſa ſalutis & mortuus ſit & reſurrexit; cui etiam vel hac gratia maiorem in modum debitores ſumus, ſicut ſcriptum eſt. Sed hæc hactenus de ea quæ erga Deum eſt, charitate. Neq; enim vt ſuprà diximus, iccirco hæc à nobis ſuſcepta eſt oratio, vt omnia in præſentia, quæ de hac re dici poſſent, ſigillatim ſubtiliter perſequeremur (neque enim res patitur) ſed illud vnum ſpectauimus modo, vt breuem quendam,

& ſum-

& ſummatim capitibus quibuſdam comprehenſam admonitionem in animis veſtris relinqueremus, per quàm aſſiduè ad diligendum poſſetis Deum excitari.

## INTERROGATIO III.

QVando de charitate, quæ eſt in Deum, ſatis iam diſputatum eſt, conſequens nunc ſit, vt de ſecundo & vi & ordine, mandato diſſeratur. DE CHARITATE ERGA PROXIMVM

## RESPONSIO.

ENimuero legem quidem earum, quæ in animis noſtris naturaliter veluti ſemina quædam inſita ſunt, facultatum cultricem, atque altricem eſſe, ſuperiore iam diſputatione docuimus. Verùm quoniam proximum noſtrum iuxtà ac noſmetipſos diligere iuſſi ſimus, conſideremus, ſi placet, nunquid facultatem aliquam datam nobis habeamus à Deo, per quam hoc eius præceptum exequi poſſimus. Quæro igitur, quis eſt ex omnibus, qui neſciat hominem eſſe animal mite, & naturâ congregabile? non autem ſoliuagum, neque ferum? Siquidem naturæ noſtræ nihil eſt tam peculiare, quàm mutua inter nos communicatio, mutuaque alijs aliorum operæ indigentia, & in eos qui eiuſdem nobiſcum ſunt generis charitas. Eò fit vt Dominus eorum, quæ nobis largitus eſt, ſeminum, non iniuria etiam fructus à nobis requirat. Sic enim ille ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Ad cuius mandati conſeruationem cum animum ille noſtrum vellet excitare, non certiſſimum ille argumentum, quòd quis ipſius eſſet diſcipulus, illud voluit haberi, ſi prodigia ac ſtupenda miracula effeciſſet. Eſto horum quoque efficiendorum facultatem per Spiritum ſanctum gratuitò dediſſet: Sed quid dicit? *In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et ſic vbique præcepta hæc duo ſemper copular, vt quod proximo quiſque benignè fecerit, id habeat Ioan. 13. Ibidem.

 perinde

Matt. 25. perinde, ac si ipsi factum fuisset. *Esuriui enim*, inquit, *& dedistis mihi manducare, &c.* Tum addit: *Quatenus autem fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Ex quo sanè intelligi potest, qui primum seruet, eum secundum quoque per illud ipsum posse seruare, vicissimq́ue per secundi obseruationem, reditum aperiri ad primum, vt videlicet & qui Dominum diligat, consequens sit eum proximum etiam diligere. Ioan. 13. *Qui enim diligit me*, inquit Dominus, *mandata mea seruabit*. Idem autem, Hoc *mandatum meum est*, inquit, *vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*. Similiterq́ue vicissim in quo charitas aduersus proximum sit, eum quoque charitati satisfacere, quæ est aduersus Deum: quippe cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se proprie fuisset collatum.

Quare & fidelis ille Domini famulus Moyses vsque adeo magnam aduersus fratres suos charitatem præ se tulit, vt *de libro Dei*, in quo scriptus erat, deleri se petere non dubitarit, si Exod. 32. populo non condonatum esset delictum. Itemque Paulus apertè optare ausus est, vt ipse pro fratribus suis cognatis sibi secundum carnem, *anathema* esset *à Christo*; nempe qui exemplo Christi suam cum illorum salute cuperet commutare, & Rom. 9. illud tamen etiam simul nō ignoraret, non posse fieri, vt is alienaretur à Deo, qui ob charitatem eam, quam in illum haberet seruandi causâ maximi omnium mandati, Dei gratiā abiecisset, seq; ob eā causam multo plura accepturū, quàm quæ dedisset. Cæterum quòd in animis sanctorum charitas erga proximum hucusque progressa sit, ex his, quæ hactenus diximus, satis esse intellectum puto.

## INTERROGATIO III.

De timore Dei.

## RESPONSIO.

Atque ijs quidem, qui ab initio rudes modo ad pietatis veræ cultum inducuntur, ea, quæ per timorem fit, informatio

matio vtilior est, sicut sapientissimus vir Salomon admonet, cum dicit: *Initium sapientiæ est timor Domini*. Verùm vobis, *Eccle. 1.* qui ex ea iam, quæ in Christo est, infantia excessistis, neque lacte iam amplius egetis, sed quod ad interiorem hominem attinet, solido doctrinæ cibo ad perfectionem adolescere & prouehi potestis, præceptis sublimioribus opus est, iisque in quorum expletione vniuersa charitatis Christianæ veritas legitimè absoluitur. Qua in re illud videlicet est vobis cauendum, ne largissima in vos Dei beneficiorum copia causa sit, cur grauioribus postea supplicijs plectamini; qui scilicet aduersus tantopere bene de vobis meritum ingrati extiteritis. Cui enim *Luc. 12.* commendauerunt multum, plus repetent ab eo.

## INTERROGATIO V.

De cohibenda mentis, ad futiles cogitationes, euagatione.

## RESPONSIO.

CÆterùm illud nosse conuenit, nos cum nullius alterius mandati cuiusquam, tum ne charitatis quidem ipsius aduersus Deum ac proximum obseruationem posse præstare, huc illucque mentem temerè passi fuerimus aberrare. Neque enim artem vllam, scientiámve quisquam exactè discere oterit, qui ea relicta identidem modo ad hanc, modo ad illm transeat: quin ne vel vnam quidem modò quis consequi oteſt, qui quæ ad illius finem accommodata officia sint, ea erspecta non habeat. Siquidem consentanea fini officia & aiones sint, oporter. neque enim res est vlla earum modò quę a ac ratione tractantur, quæ si officia adhibueris, quæ ab ea it aliena, rectè vnquam confici possit. Siquidem natura non t, vt quod effecturum se fabrilis ferrariæ ars pollicetur, id r figulinæ artis opificium consequamur. Nec item ad corom decertanti athletæ propositam aliquando pertigeris, quanque tandem te addixeris studio tibiâ canendi, cum ad singulos

gulos singularum artium fines obtinendos accommodata peculiaris etiam illarum vnicuique industria quædam requiratur.

Quocirca ipsa etiam, quæ ex Euangelio est pietatis cultura, studiumque ineundę apud Deum gratiæ, in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsus mundi huius solicitudinibus auocarit, seseque funditus ab quauis re, vnde animo mentéve distrahi possit, abduxerit. Quamobrem Apostolus quoque licet matrimonium genere ipso esset concessum, & benedictione habitum dignum, occupationes tamen, quæ ex eo nascuntur, curis his, quæ propter Deum suscipiuntur, opposuit, perinde quasi hæ inter se cohærere non possent, his
1. Cor. 7. verbis: *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori*. Simili modo etiam Dominus discipulis suis, vbi synceram illam & ab omni distractionis intemperie expurgatam affectionem fuerant adepti, asseuerans
Ioan. 15. dicebat: *Vos de hoc mundo non estis*. Idemque è contrario etiam ijsdem asseueranter testificabatur, dicens, fieri non posse, vt Dei cognitionem mundus perciperet, aut Spiritum sanctum acciperet. *Pater*, enim, inquit iustè, *mundus te non cognouit*. Et: Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere. Animaduertimus itaque necesse esse, vt qui modò verè Deum sit secuturus, is à vinculis affectionum vitæ huius solutus sit: id quod non multo negotio assequimur, si & à superioris vitæ nos consuetudine penitus abducimus, eamque obliuioni funditus mandamus, quandoquidem nisi ab ea nos, quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, coniunctione alienauerimus, & à familiari congressu secularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum commigrauerimus, consentaneum in modum verbis illis Apostoli: *Nostra autem conuersa-*
Philipp. 3. *tio in cælis est*: nullo modo scopum animi attingemus Deo vi-
Luc. 14. Prouerb. 4. delicet vt placeamus, cũ præcisè Dominus dixerit: *Sic omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*.

Hæc

Hæc autem vbi præstiterimus, *omni custodia custodiendum fuerit cor nostrum*, neque patiendum, vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, néve eorum quæ mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur, per futiles & euanidas cogitationes: contráque illud agendum assiduè, vt ex perpetua ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri charitas consueuit, quæ simul cùm ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur. Quod ita esse docet Dominus ipse, qui quidem modo dicit: *Si diligitis me, mandata mea seruate*; modò vero: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Et, quid efficacius etiam possit commouere: *Sicut ego mandata patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione?* Quibus sanè verbis illud nos docet, debere nos, vt quodcunque faciendum nobis opus instituerimus, eius voluntatem, à quo illud nobis imperatum sit, veluti finem quendam nobis proponere, ad eamque omne studium nostrum dirigere, quemadmodū alio in loco etiā dicit: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris*. Vt enim artes hæ, quæ sunt ad parandum viaticum necessariæ, vbi fines sibi quosdam suos proposuerint, conuenientia ad eos obtinendos officia etiam postea sua quædam peculiaresque actiones accommodant: sic cùm eorum, quæ nos facimus operum omnium, vna sit REGVLA, normaque vna, nempe videlicet, vt Dei iussis ex Dei voluntate pareamus, fieri non potest, vt opus nostrum aliter perfectè efficiamus, nisi quamdiu illud in manibus nobis est, assiduè vsque voluntatem eius qui sciuit sanxitque legem mandatorum, semper spectemus.

Prouerb. 4.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Ioan. 6.

Porrò ex hac sedula operis nostri effectione ad voluntatem Dei accommodanda, illud consequetur, quòd ex recordatione illa cum Deo coniungemur. Vt enim faber ferrarius, verbi gratia, quandocunque dolabram aliquam siue asciam cudit,

ſi aſſiduè illius memor ſit, vnde inſtrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præſcriptam ſibi ab illo formam & magnitudinem animo verſat, & ad voluntatem eius qui condixit opus dirigit quod facit: alioqui ſi eius memoriam menti ſibi patiatur excidere, prorſus aut aliud quippiam omnino, aut longe diſſimile efficiet ab eo, quod facere inſtituerat: ſic Chriſtianis quoque, ſi actiones ſuas omnes, ſiue minores, ſiue maiores ad Dei voluntatem direxerit, is ſine controuerſia & egregiè opus illud perficit, & ſimul aſſiduam illius in animo ſibi memoriam conſeruat, à quo id iuſſus eſt facere: vereque
Pſalm. 15. illud dicere poterit: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſem-*
1. Cor. 10. *per, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.* Itemque Pauli præcepto illi ſatisfaciet: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quod ſi quis in eo, dum opus adminiſtrat, à perfecta illa præſcripti mandati norma deſciſcat, hunc perſpicuum eſt debilem Dei memoriam retinere.

Hier. 23. Quocirca memores aſſiduè verborum Domini illorum:
Ibidem. *Nunquid non cælum & terram impleo ego? dicit Dominus.* Et, *Deus*
Matth. 18. *appropinquans ego ſum, & non Deus de longe.* &, *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum ſum:* ſic omnia tanquam in oculis illius & agere debemus, & cogitare. Hac enim ratione & perpetuus in nobis timor permanebit, *o-*
Pſal. 118. *dio habens iniquitatem* (ſicut ſcriptum eſt) animique elationem, ac ſuperbiam, & vias improborum: & charitas conflabitur,
Ioan. 5. cumulatè efficiens illud, quod dictum eſt à Domino: ***Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Patris.*** Cum hæc firmiſſimè vſque in animis noſtris hæreat perſuaſio, & quæ rectè gerantur, ea iudici, ac remuneratori actionum noſtrarum placere, & quæ contra flagitioſe, ab eodem condemnari.

Ex quo quidem illud ego etiam neceſſariò exiſtimo ſequi, vt qui ita ſit animatus, is ne mandata quidem Domini ad gratiam hominum exequi poſſit. Neque eſt enim quiſquam, qui vbi verè præſtantiorem adeſſe aliquem ſibi perſuaſit, eo ſpreto ſe ad

ſed minus præſtantem conuertat. Quin contrà potius ſi aliquando inciderit, vt quæ facit, ea clarioris illius opinione ac iudicio approbentur, ab altero autem illo reprehēdenda videantur, haud dubiè ille ſpreta inferioris vituperatione, clarioris illius approbationem antiquiorem habebit. Quòd ſi hoc in hominibus contingit, quî tandem putādum ſit animū, qui modo ſanus ſit ac ſobrius, ſi verè Deū adeſſe ſibi perſuaſerit, omiſſis ijs quæ placere intelligat Deo conuerſum iri ad aucupandam ab hominibus ſui exiſtimationem? aut neglectis Dei præceptis, hominum eſſe cōſuetudini & ingenio ſeruiturum? aut de vulgari exiſtimatione pendens vinci ſe ſinet? aut vlla vllius dignitate exterritus de ſtatu dimouebitur? Hoc modo affecta mens erat illius, qui dixit: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua Domine*. Et item: *Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non commouebar.* Pſalm. 118.

## INTERROGATIO VI.

Quòd neceſſaria res ſit pietatem colere volēti, ſeorſum viuere.

## RESPONSIO.

Atque etiam ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet ac minimè neceſſarias cogitationes aberret, illud adiuuat, ſi quis ſeorſum à cæteris communem vitam ſectantibus viuat. Quandoquidem promiſcuè vitam agere cum ijs, qui ſecuri perfectam illam Domini præceptorum obſeruationem contemnunt, perniciosum eſſe etiam Salomon ipſe docet. Sic enim eſt apud ipſum: *Noli amicus eſſe homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioſo, ne forte diſcas vias eius, & ſumas laqueos animæ tuæ*. Et item illud: *Exite de medio eorum, & ſeparamini*, nimirum eodem pertinet. Vita ſecretior. Prouerb. 22. Eſa. 52.

Quocirca ad illud euitandum, ne oculis, auribúſve inſtigationes ad peccatum admittamus, eiſque imprudentes aſſueſcamus: néve earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, impreſſæ peſtilentes, capitaleſque in animis noſtris formæ,

ac veluti notæ quædam insideant: contraque vt animum in officio suo attentum tenere possimus.

Principio, quod ad habitationem attinet, separata ea à cæteris nobis quærenda est. Ita enim & superioris temporis consuetudinem poterimus euincere, in qua alienam à Christi præceptis vitam egerimus, non mediocri autem hoc eget contentione, vt consuetudinem suam aliquis peruincat; consuetudo enim vetustate firmata, naturæ vim solet nancisci & contractas ex superioribus peccatis labes, oratione assidua, & perpetua Dei decretorum conseruatione abstergere poterimus.

CONSVETVDO ALTERA NATVRA.

Eam autem nullo modo licebit euincere, si multa hinc inde habeamus, quibus temere huc illucque animus noster distrahatur, & vitæ huius negocijs implicetur. Illud autem: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, quomodo vnquam consequi poterit is, qui rebus sit istiusmodi distentus? Siquidem oportet, vt nos ipsos primum abnegemus, & crucem sustollamus, ac tum demum illum sequamur.

NOTA.

*Luc. 9.*

ABNEGATIO SVIIPSIVS.

Nihil est autem aliud suijpsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio: quam in vita communi assequi longè est difficillimum, ne dicam ab omni prorsus, vt fieri possit, facultate remotissimum.

Atque etiam ad tollendam crucem suam, & Christum sequendum officit commercium, quod cum istiusmodi vita habetur. Siquidem & animi ad mortem pro Christo subeundam alacritas, & membrorum quæ sunt super terram, mortificatio, & illud, quòd quis libenter se cuiuis impendenti periculo offerre pro Christi nomine paratus sit, & nulla de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere crucem suam. Porrò ad hanc rem magna nobis obijci impedimenta videmus à vita communi. Et præter cætera, quæ multa sunt, illud etiam, quòd magnum in ea diuinas leges violantium numerum intuens animus, peccata sua agnoscendi, & se per pœnitentiam affligendi spacium non habet. Quin potius facta sui

*Col. 3.*

TOLLERE CRVCEM SVAM.

cum

cum deterioribus de se comparatione, de virtute sibi nescio quomodo abblanditur. Tum deinde varijs tumultibus, occupationibusque, quæ vita solet communis afferre, à Dei memoria, cuius haberi ratio maior debet, abstractus, non in eo solùm detrimentum facit, quòd non exultat in Deo, delectaturve, neque voluptate, aut verborum Domini dulcedine vlla perfunditur, ita vt verè dicere illud queat: *Memor fui Dei, &* *delectatus sum.* &, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo:* Sed in eo etiam assuefit, vt iudicia ipsius penitus contemnat, obliuiscaturque, quo neque maius ei, neque capitalius malum vllum potest accidere.

Psalm. 34.
Psalm. 76.

## INTERROGATIO VII.

POstquam satis iam nobis oratione tua persuasisti rem esse minime tutam, promiscuè esse cum illis, qui præcepta Domini contemnunt: Libenter hoc nunc ordine ex te scire vellemus, nunquid, qui se ab istiusmodi hominum genere subduxerit, ipsum seorsum à cæteris solitariam vnum agere vitam oporteat, an verò cum fratribus, qui eiusdem secum animi sint, & idem cum eo sibi propositum vitæ finem habeant, viuere.

## RESPONSIO.

EQuidē ad multas ego res vtilius esse intelligo, si vno & eodem in loco plures viuant vnâ: ac primò quidem, quòd nostrum est nemo, in quo vno ad res sibi necessarias ad vitam parandas esse satis præsidij possit, quando in his inquirendis, vicissim alios aliorum videmus operâ indigere. Vt enim pes unam virtutem aliam habeat, alia caret, & neque sua vi ipse sine reliquorum membrorum adiumento ad diuturnum tempus incolumis posset permanere, neque aliunde illud, quo caret, nancisci: ita in vita soliuaga, & inutile nobis est quod superat, & quod abest, habere aliunde non possumus. Hoc autem

Cauē, putes hæc scripta esse a B. isto viro in suggillationem verissimæ anachoreseos, qualē exercuere Samuel, Helias, filij prophetarum, Baptista, Paulus, Antonius. Absit.



tem

In Sarabaitas detorquet hæc, quorū inex plebilem auaritiam schemate conuelatā anachoreticæ paupertatis eleganter pingit. Ioā. Cassian. c. 7 Col. 18. & item 8 de 4. genere.

tem nimirum, vt alij vicissim aliorum opera egeremus, eo cōsilio statutum est ab opifice nostro Deo, sicut scripsū est, vt officiorum permutatione, inter nos dando, accipiendoq;, hanc, ad mutuam vicissim coniunctionem, causam haberemus. quanquam est etiā lex Christianæ charitatis, quæ nullo modò patitur, vnumquenq; id modò, quod suū sit, spectare. Charitas enim inquit, non quærit, quæ sua sunt. At istud vitæ genus, quo seorsim se quisque ab aliorum cōmunione diremit, vnum tantummodo sibi propositum habet, nempe procurationem suorum cuiusque commodorum. Hoc autem apertè charitatis legi aduersatur, quam perfectè obseruasse Apostolum videmus, qui non suam ipsius vtilitatem quæreret, sed multorum, vt salui fierent. Ad hæc in huiusmodi vitæ à cæteris secessione, illud etiam erit incommodum, quòd neq; peccare se facile quis intelliget, quippe qui neminem habeat, à quo & arguatur leniter & clementer corrigatur. Siquidem fieri potest, vt facta criminis accusatio, etiam ab inimico, plerumque in animo alicuius, qui rerum modo æstimator sit æquus nec ingratus, voluntatem excitet petendæ medicinæ. Sine dubio autem, errati medicinam sciens ac prudens is faciet, qui charitatem syncerā habuerit. Qui enim diligit, inquit, diligenter corripit. Hunc autem in solitudine reperire nō licet, nisi nobiscum prius in vitæ fuerit communione coniunctus. Quo fit vt in eum illud conueniat: *Væ soli, quoniam cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Tum illud etiam accedit, quòd qui plures simul eodem in loco congregati sunt, ij pluribus etiam simul possunt præceptis satisfacere. Quod contra est in eo, qui solus sit: dum enim vnū exequitur, ab alio impeditur. Veluti ægrum visitans, hospitē recipere non potest: neq; in opere faciēdo studium retinere, qui in partiendis, distribuendisq;, ad vsū vitę necessarijs rebus occupetur, prę sertim quādo in ministerijs hisce obeūdis fratres diutius necesse sit distineri. Ex quo illud sequitur necessario, vt maximum, & ad salutem omnium maximè expeditū præceptum negligatur, cum videlicet neque esurienti cibus subministretur,

Eccle. 4.

tur, neque nudo vestimenta. Quæ cum ita sint, quis est, qui inertem, & infructuosam vitam ei velit anteponere, quæ & fructuosa sit,& præceptis Domini consentanea? Quòd si etiam omnes, qui in vna spe vocationis assumpti vnum corpus sumus, & caput Christum ipsum habemus, singuli autem vicissim alij aliorum membra: profectò nisi in hoc conspirauerimus, vt ad similitudinem compagis corporis vnius in Spiritu sancto nexi,aptique inter nos simus,ac non seorsum vnusquisque disiunctum sibi à reliquorum communione vitæ genus quoddam instituerit, neque communi vtilitati, vt Deo acceptus sit, inseruierit, sed suæ potiùs animi cuidam libidini obsequi maluerit: quî quæso fieri poterit, vt in istiusmodi auulsione distractioneque, mutuam inter ipsa membrorum conuenientiam, officiaque præstemus? aut qua ratione illud poterimus obtinere, vt capiti nostro,qui est Christus, subiecti simus? Neque enim res patitur in istiusmodi vitæ disiunctione vt congaudeat aliquis ei, qui glorificatur, aut qui patiatur, ei compatiatur: siquidem facit disiunctio, vt vicissim inter se aliorum alij notum statum habere nō possint. Ad hæc cum nemo vnus idoneus sit, qui dona spiritualia omnia suscipiat,cum secūdum rationem fidei, quæ est in vnoquoque, spiritus etiam suppeditatio fiat:illud vsu venit in vitæ consociatione,vt donum,quod in quoque est peculiare, id aliorum quoque commune sociorum fiat. *Alij enim datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij prophetia, alij gratia sanationum, &c.* Quæ singula qui habet, is non sua magis, quàm aliorum causa habet. Quamobrem necesse est in vitæ societate, quæ in vno aliquo est spiritus efficacia, eam in vniuersos simul peruadere. Igitur qui seorsum à cæteris vitam degit is vnum aliquod (si ita fors ferat) donum habet: & illud ipsum, eò quòd nihil exerceat, sed in seipso defossum detineat, inutile facit. Quòd facere quàm periculosum sit,profectò intelligitis omnes, qui Euangelia legitis. Contrà vero, vbicumque multorum societas viget, & quod suum est, eo fruitur quisque, & ex

*Rom. 12.*
*1. Cor. 12.*

& ex alienis nihilominus, vt ex suis, fructum capit. Plura prætereà in se commoda, hoc in communi viuendi institutum habet, quæ enumerare singula haud facile sit. Nam & ad conseruationem eorum, quæ data nobis diuinitus bona sunt, solitudine est longè prostabilior, & ad cauendas hostis insidias tutior expergefactio illa, quæ à vigilantibus fit, si modo alicui aliquando incitat, vt somnum illum, qui est in mortem, obdormiscat (quem vt deprecaremur, docuit nos Dauid, cùm dixit: *Psal. 12.* *2.Cor.2.* *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem*) & peccanti, qua resiliat à peccato, facilior est via: nimirum qui consentiens aduersum se multorum iudicium magis reuereatur, vt verè in eum illud possit conuenire: Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, & rectè & cum virtute aliquid agenti maior quædam in eo ipso animi fiducia accrescit, cum de eo quod agit, multorum secundum se habeat approbationem, atque consensum. *Deut. 19.* Si enim *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, multò, sine controuersia, stabiliùs is, qui bene aliquid & cum virtute agit, ex multorum testimonio confirmabitur. Adde, quòd periculum etiam istiusmodi solitariam vitam comitatur & assidet prçter iam dicta: primum quidem ac maximum, ne qui eam degat, is sibi veluti planè iam perfectionem adepto blandiatur. Cùm enim neminem in ea sit habiturus, qui iudicare possit de his, quæ ab ipso fiant, cumulatissimè mandato iam arbitrabitur se satisfecisse: ex quo illud sequetur, vt cum animi habitum quem habet ad virtutem, illum assiduè apud se compressum tenuerit, ac veluti introclusum, neque quibus rebus destituatur, intelligat, neque progressionem vllam, quam in virtutibus faciat, videat: nempe qui vndique materiam sibi exercendorum mandatorum omnem ademerit. Qua enim re humilitatis suæ documentum dabit, qui neminem habeat, quo seipsum humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios commiserationis, à plurium communione dissectus? cui cum nullo penitus commercium sit? Ad patientiam verò quomodónam tandem se exercebit,

exercebit, cum voluntatibus illius obsistat nemo? Quod si quis dicat, ad componendas animi sui affectiones moresque rectè instituendos, sufficere sibi diuinarum literarum doctrinam, is similiter facit, vt si quis disceret ædificare, neq; vnquam tamen ædificaret, & æs cudere, & quę didicisset, ea in actum nunquam educeret. Sine dubio autem in huiusmodi hominem probe Apostoli illud conueniat, si quis dixerit: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Rom. 2. Neque enim (vt videmus) Dominus ipse (quæ incredibilis eius in nos bonitas fuit) simplici modo verborum doctrina contentus fuit, sed vt expressè euidenterq; humilitatis nobis exemplum proderet, perfectè charitatis mandatum vt expleret, ipse seipsum linteo præcinxit, & discipulorum suorum pedes lauit. Tu vero, quem ablues? in quem officiosus eris? à quo vltimus numerabere, qui ab aliorum societate disiunctus degas? Bonum verò Psalm. 132. ac iucundum illud, fratrum videlicet eodem in loco habitatio, quam vnguento de capite summi sacerdotis suauè fragrāti & aspiranti Spiritus sanctus assimilat, qui tandem in solitaria vnius habitatione locum habebit vt impleatur? Concludendum est igitur certaminis curriculum, & progressionis ad virtutem facilitatem, & mandatorum Domini executionem assiduam, ac meditationem, fratrum habitationem esse vno & eodem in loco. quæ cum propositum sibi finem habeat gloriam Dei ex præcepto Domini nostri Iesu-Christi sic dicentis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus; vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est:* Matt. 5. tum eorum de quibus in Actis mentio est, sanctorum virorum pręcipuum insigne illud obtineat. Ita enim de illis scriptum est: *Omnes autem qui credebant, erant pariter in eodem loco, & habebant omnia communia.* Act. 2. Act. 4. Et item: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

## INTERROGATIO VIII.

DE NVNCIO REBVS VITÆ HVIVS REMITTENDO.

NVnquid homini omnia relinquenda sunt prius, atque ita postea ad eam quę secundum Deum est vitam accedendum?

## RESPONSIO.

CVm Dominus noster Iesus-Christus post multa, eaque multis ex rebus gestis firmissimè à se tradita documenta, ad omnes loquatur, ac dicat: *Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et item: Sic igitur *quicunque ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit: Nam & diabolo in primis renunciamus, itemque affectionibus carnis, qui abdicauimus occulta dedecoris, consanguinitatibusque ac familiaritatibus, quæ cum hominibus nobis sint: similiterque consuetudini etiam vitæ, quæ perfectioni Euangelij salutis aduersatur. Et, quod his omnibus magis necessarium est, quilibet sibimetipsi renunciat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Postremo affectionibus cunctis mundanis, quæ pietatis propositum valeant impedire, nuncium remittit. Ac nimirum, qui ita fecerit, is parentes veros esse illos existimabit, qui in Christo Iesu per Euangelium ipsum genuerint. Fratres verò qui eundem secum spiritum adoptionis acceperint, ad facultates omnes, vt ad alienas (sic vt etiam sunt reuera) animum adhibebit. In summa, denique cui propter Christum mundus totus crucifixus est, & ipse Christo, qui possit particeps esse amplius eorum quæ in mundo sunt? cum Dominus noster Iesus-Christus rem ipse ad summũ prorsus fastigiũ perducat, nẽpe odium animæ, & suimet ipsius abnegationem, quando dicit: *Si quis vult post me*

Matt. 16. Luc. 14.

Renunciationis formulæ.

Colo. 3.

Qui veri parentes, fratres. 1. Cor. 4.

*me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam,* tumque subiunxit: *Et sequatur me.* Et rursus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Perfecta igitur renunciatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quicquam affectus sit omnino, esto habeat mortis responsum, ita vt nihil sibi confidat. Porrò eiuscemodi renunciatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, inanis gloriæ, consuetudinis vitæ superioris, ad res inutiles affectionis, quomodo sanè vt faceremus exemplo suo admonuerunt nos sancti Domini discipuli, Iacobus quidem & Ioannes, relicto patre suo Zebedæo, ipsoque de quo tota illorum victus ratio pendebat, nauigio. Matthæus verò quando è Telonio ipso surrexit, & Dominum secutus est; qua in re non lucra modo reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ ipsi, totique ipsius familiæ à ciuitatis magistratibus imminebant, quòd redemptorum à se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset. Paulo verò etiam totus mundus crucifixus erat, ipseque vicissim mundo toti. Adeò qui vehementer Christum sequi desiderat, is de nulla omnino vitæ huius re curare amplius potest: idque eousque, vt ne parentum quidem ingenti amore moueatur, aut domesticorum, si quidem is aduersetur dominicis mādatis: (Tunc enim & illud locum habet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c.*) non humano terrore vllo de statu dimoueri, vt propterea in his quæ fieri animæ vtilitas suadeat, de animi præsentia quicquam remittat. Quod quidem tum animaduertimus sanctos fuisse illos viros assecutos, quum dicerent: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Non derisione denique vlla, qua auersi à pietate homines, ea quæ laudare ipsos magnopere oporteret, prosequi soliti sunt, commoueri, eaque re ipsorum vituperationi succumbere. Quòd si quis explicatiùs etiam diligentiusq; soliditatem vimque flagranti illorum desiderio coniunctam velit cognoscere, qui

Luc. 14.

2. Cor. 1.

Matthæus non facultates modo, sed & pericula contempsit

Act. 5.

qui Christum sectantur, enimuero hic repetere animo debet, quæ docendi nos causa de seipso Apostolus loquitur, cum dicit: Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis circuncisus octauo die ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Phariseus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela: *sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum stercora. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu-Christi Domini nostri, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror stercora esse, vt Christũ lucrifaciam*. Etenim si (vt audacter aliquid, at verè tamen eloquar.) Sed si Apostolus ijs, quæ fœdissima in corpore sunt, eiusmodique, quæ à nobis quàm fieri potest studiosissimè procul amandamus, concessa ad tempus legis priuilegia similia dicere non dubitauit, veluti quæ impedimento essent, ad cognitionem Christi, illiusque, quæ in ipso iustitia est, eiusque, quæ ad mortem ipsius fit conformationis, quidnam de ijs dicere oportebit, quæ sancita ab hominibus sint? Quanquam quod dico, quid aut rationibus à nobis inuentis, aut sanctorum virorum exemplis attinet confirmare? cum ipsa Domini nostri verba in medium liceat afferre, ijsque ipsis religiosum ac Dei timentem animum magnopere commouere, quibus ille palàm ac citra controuersiam testi-
Luc. 14. ficans, sic dicit: Sic igitur, *quicunque ex vobis non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Et alio in loco, cum post oblatam conditionem illam: *Si vis perfectus esse*,
Matth. 19. verba illa subiecisset, *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, pòst illud adiecit: *Veni sequere me*. Atque etiam similitudinem illam de negociatore huc quoque manifestè spectare
Matt. 13. nemo non (modo æquus interpres) intelligit. *Simile* enim *est*, inquit, *regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas: Jnuenta autem vna preciosa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*. Planum est enim preciosam margaritam cæleste regnum significare hoc in loco. Quod regnum

gnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul quæ habemus, diuitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum, quibus pleriq; ambitiosius inhiant, pro eo parando, neglexerimus. Deinde illud etiã fieri non posse, vt illud obtineatur, quod cupitur studiosius, si mens diuersis sit curis distracta, idem Dominus asseruit, cum dixit: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matt. 6.
Itemque: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Quæ cum ita sint, sine dubio vnum nos deligere thesaurũ conuenit, nempe illum cœlestem, in quo mentem habeamus defixam. *Vbi enim* Ibidem.
*est*, inquit, *Thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Ex quo intelligitur, quandocunq; vel peculiarẽ possessiunculam aut certe exuberantem opum copiam, terrenam quidem illam & corruptelæ expositã, nobis reseruamus, in his mẽte nostra veluti in cœno quodam cõsepulta, necesse sit, animo ad rerum diuinarum contemplationem aditum præcludi, eumq; ita iacere, vt de cœlestibus ac promissis nobis à Deo bonis cogitare nõ possit. Quę bona non possumus assequi, nisi ad ea petenda indiuulsa & vehemens nos quædam cupiditas inflãmet, ac rapiat, quæ susceptos pro ijs adipiscendis labores faciat leues. Est igitur, quemadmodum docuimus, renunciatio nihil aliud quàm vinculorum crassæ huius ac tẽporariæ cõuersationis absolutio, quę nos dum emancipat semel ac subducit anxijs & humanam vitam comitantibus negotijs, expromptiores ac magis idoneos reddit ineundæ viæ ad Dei contemplationem rectà prouehenti. Renunciatio eiusmodi citra vllius impedimenti remoram subsidio est nobis nec mediocri, ad parandam possessionem vsumque rerum preciosissimarum, nempe super aurum & lapidem preciosum multum, vtque breuiore compendio circunscribam renunciationem: est cordis ab humano viuendi ritu ad eum trãscriptio qui in cælis est, adeò vt iure optimo dicere possimus: *Nostra conuersatio in cęlis est:* &, quod omnium maximum Philip. 3.
est, similitudinis, quam cum Christo habere debemus, initium. 2. Cor.
qui ipse *cum diues esset, egenus factus est* propter nos: quam sine controuersia nisi prius consequemur, nunquã viuendi ex Euã-

gelio Christi institutum poterimus attingere. Quando enim aut cordis contritio, aut proprij sensus humilis demissio aut iracundiæ, mœrorisve, ac solicitudinum, vtque concisius absoluam omnium pestilentium animi perturbationum liberatio in diuitijs, & vitæ huius angoribus, intemperantiq; mentis ad res istiusmodi alias applicatione poterit obtineri? In summa cui ne de ipsis quidem necessarijs ad tuendam vitam præsidijs solicito esse concessum est, veluti victu atque vestitu, huic quæso quænam ratio permittit, vt prauis diuitiarum causa susceptis solicitudinibus, veluti spinis, quæ iactam ab animarum nostrarum agricola sementem ad vberem vsque fruticationem emergere & emicare non sinunt, suffocatus teneatur? cum Dominus noster Iesus Christus dixerit: *Hi sunt, qui seminati sunt in spinis, qui à solicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.* (*Luca 8.*)

## INTERROGATIO IX.

QVi adiungi vult Deo consecratis & in eorum transire sodalitium, debétne sui iuris facultates cedere, & citra delectum permittere ingratis familiaribus ac domesticè sibi notis.

## RESPONSIO.

(*Matth. 19. Luc. 12.*) CVM Dominus noster Iesus Christus dixerit: *Vende quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Et item, *Vendite quæ possidetis & date eleemosynam:* Equidem ex hoc colligo, qui hac mente à suis discedat, hunc huiuscemodi curã de parte patrimonij sua nullo modo oportere negligere, contraque illud accuratè, vt cum eam omnem diligentissimè secum abstulerit, eam veluti rem iam Domino consecratam summa cum religione distribuat, vel ipse per se, si huiuscemodi muneri scienter administrando esse ipse par possit, vel per alios, quos antè maximâ adhibitâ diligentiâ

ligentiâ delegerit, quiq; certissima dederint documenta, posse se illam fideliter ac prudenter distribuere, cum illud persuasum sit, non vacare periculo, siue propinquis suis illam relinquat, siue in ea distribuenda, cuiusuis, nullâ adhibitâ delectione, opera vsus sit. Etenim si, qui præfectus est procurandæ regiæ pecuniæ, esto de rebus ijs, quæ partæ iam sunt, nihil interuerterit omninò, ad seque transtulerit: is tamen, si quæ præterea acquiri potuerant negligentia sua non acquisiuerit, sed passus sit deperire, nihilominus tamen vtiq; in crimine est: quàm graue tandem censere debemus iudicium illis imminere, qui in rebus Dei nomini iam consecratis, vindicandis, lente ac negligenter se gesserint? An non in eadem cum illis iudicij causâ futuros, de quibus scriptum est; *Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter?* Illud autem vbique nobis tenendum est, vt ne, dum præcepto vni volumus satisfacere, ab altero videamur discedere. Neque enim conueniens est decoro nostro, si cum iniquis hominibus contendere videamur, aut litigare. Siquidem seruum Domini non oportet litigare, sed contrà potius aduersus quem iniquius se naturales cognati gerunt, is tenere memoria debet, Dominum dixisse, esse neminem, *Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros*, non quauis de causa, simpliciter, sed *propter ipsum*, & Euangelium, qui non centies tantum recipiat in tempore hoc, & in seculo futuro vitam æternam. Admonendi sunt tamen qui tales sunt, seduloque testificandum, sacrilegij scelere se ipsos obstringere, idque vt pareamus præcepto Domini, qui dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, &c.* Porrò de his rebus experiri apud iudices extrarios, vetat nos idem Dominus, cùm dicit: *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et Paulus similiter; sic enim est apud ipsum: *Audet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Atque apud hos ipsos etiam in iudicium citabimus, si quando citabimus, maiore habita ratione

Hiere. 48.
2. Tim. 2.
Mar. 10.
Matth. 18.
Matth. 5.
1. Cor. 6.

ne fraternæ salutis, quàm facultatum, quæ ex pecunia possint proficisci. Etenim Dominus cum antè dixisset: *Si te audiuerit:* postea addidit, *Lucrâtus es*, non pecuniam, sed *fratrem tuum*. Est tamen quum clarius aperiendæ causa veritatis sæpenumero ipsi ab ipso illo, qui nobis infert iniuriam, vocati ad dietam vtrique parti communiter indictam, ad nos purgandos debemus descendere, non lacessentes ipsi, sed lacessiti: idque ita facere, vt manifestè appareat nos neque iracundia, neque contentiosa pertinacia vlla adductos eos descendisse, sed ea re solùm, vt veritas illustrior reddatur cæteris, atque conspicua magis. Sic enim & illum etiam inuitum, è malis, in quibus eatenus versatus fuerit, eximemus, & nos à præceptis Domini non discedemus, si videlicet tanquam Dei ministri non contentionis studio, aut auaritia vlla adducti, constanter pro illustranda veritate propugnabimus: neque omnino vsquam maius quàm quantum permissum sit, studium in re istiusmodi adhibebimus.

## INTERROGATIO X.

NVnquid qui ad religiosam vitam accedent, promiscuè omnes conueniat admitti, an aliqui tantummodo? Nunquid item confestim recipi debent, an probandi primùm? Si probandi, ecqua tandem illa esse debet probatio?

## RESPONSIO.

CVm benignus hominum amator Deus, idemque autor salutis nostræ, Dominus noster Iesus-Christus prædicet, ac dicat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* non fit sine periculo, si qui ad Dominum per nos accedere in animo habent, & suaue ipsius iugum, ac præceptorum onus, quo ad cœlum extollimur, subire parati sunt, ij à nobis reijciantur. Verum neque illud tamen permitti debet, vt quiuis illotis pedibus in sanctimoniam Domini

*Matth. 11.*

mini

mini mandatorũ ingrediatur. Sed quemadmodum Dominus noster Iesus-Christus adolescentem illum, qui ad ipsum accesserat, de superiore eius vita percontatus est, cumque rectè actam fuisse illam comperisset, quod ad perfectionem amplius præterea desiderabatur, id illum iussit adiungere, quod vbi fecisset, tum demum sequendi se, ipsi potestatem fecit. Sic quoque faciendum nobis est, vt videlicet illorum, qui ad nos mansuri nobiscum, accedant, diligenter quæ superior vita fuerit, inquiramus. Et si quidem aliquos inuenerimus, qui aliquos iam in ea progressus ad virtutem fecerint, ijs ad perfectionem propius pertinentia præcepta commendemus. Quos verò ab eo vitæ genere quod aut vitiosum sit, aut quod inter bonum malumque medium sit, ad illud quod perfectum in Dei cognitione positum est, animaduerterimus se velle transferre, eos exquiramus, qui ipsorum mores sint, non consilio instabili, & ad constituendum quiduis in vtramlibet partem præcipiti. Siquidem in ijs, qui istiusmodi sunt, magnopere suspecta haberi inconstantia debet, qui præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inueniunt, cæteris etiam sunt detrimento, quòd institutum viuendi nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament. Verumenim quando in rerum natura nihil est, quod non diligentia corrigatur, neque vitium est vllum adeo graue, quod non Dei timore peruincatur, qui huiusmodi sunt, ij nullo modo à principio statim sunt desperandi, sed ad idoneas duci exercitationes debent: ibique & adhibendo temporis spatio, & grauioribus imponendis laboribus periculum faciendum de illorum natura constantiaque, vt videlicet, si quid inesse in ipsis stabilitatis cognouerimus, eos tuto admittamus: sin minus, dum adhuc extrà sunt, repudiemus, neque ex istiusmodi periclitatione detrimentum vllum in fratres redundet. Porrò illud etiam animaduerti debet, nunquid præoccupatus aliquis in delictis, abiecta omni verecundia, palàm enunciet occulta dedecoris, ipseque seipsum accuset, simulque num superioris vitæ peccatorum suorum socios Galat. 6. 1. Cor. 4.

Psal. 6. præ pudore defugiat, eosque ab sese procul submoueat, velut ille, qui dicebat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem:* seseque hoc modo ad id, quod sibi reliquum sit vitæ, antè præmuniat, ne in similia de reliquo flagitia delabatur. Cæterum communis illa est ratio vnumquemque pertentandi, si illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententia periculum fiat, paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missa omni verecundia, ita videlicet, vt sordidissima etiam quæque artificia suscipere non recuset, quandocunque illorum exercitationem vtilem esse ratio consuadeat. Vbi verò facta iam omnibus in rebus diligens ab ijs exploratio fuerit, qui res istiusmodi callide sciant peruestigare, isque veluti vas quod per appositum & accommodum Domino, & ad omne opus bonum paratum, compertus fuerit, tum verò ad illorum
2. Tim. 2. numerum debet ascribi, qui seipsos Domino consectarunt. Maxime autem ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere, ad imitandũ modestissimæ humilitatis Domini nostri Iesu Christi exemplum festinat, munera quædam præscribi debent de
1. Tim. 6. numero eorũ, quæ illi sordida existimant, qui in ciuili vita versantur, obseruandũq;, num in ijs cum omni animi alacritate nõ erubescentem & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.

## INTERROGATIO XI.

De Seruis.

## RESPONSIO.

QVicunque verò sub iugo sunt serui, ij si ad fratrum conuentum profugiant, admoniti, ac meliores effecti, remittendi dominis sunt: & in hoc Paulus imitandus, qui Onesimum, quem per Euangelium ipse genuerat, Philemoni remisit, cum quidem & illi persuasisset iugum seruitutis, si eo quis ex Dei voluntate vteretur, dignum esse quod ad regnum cœleste

ſte promoueret, & hunc eſſet hortatus, vt non minas modò remitteret, quas aduerſus illum intenderat, memor eorum, quæ dicta eſſent à Dominò, *Si dimiſeritis hominibus delicta eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra*: verùm etiam vt benigniorem erga ipſum animum gereret, ſic ſcribens: *Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam, vt æternum illum reciperes, iam non vt ſeruum, ſed vt pro ſeruo fratrem chariſſimum*. Verùm enimuero, ſi forte dominus improbus ſit, vt qui flagitioſa quædam imperet, & adhibita vi ſeruum cogat eius, qui verus eſt herus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, præcepta violare, hîc contendere debemus, ne nomen Dei blaſphemetur, propter ſeruum illum, qui fecerit aliquid, quod non placeat Deo. Porrò huiuſmodi contentio in eo conficitur, ſi aut ſeruo illi perſuaſum ſit, eum grauiſſimas quaſque, quæ ſibi inferantur, acerbitates perferre debere, vt Deo magis obediat, quàm hominibus, ſicut ſcriptum eſt: aut ſi qui illum receperint, libenti animo tentationes omnes, quæ ſibi propter illum inferuntur, ſuſcipere parati ſint, eo modo, quo placet Deo.

Matth. 6.

Philip. 1.

Act. 5.

## INTERROGATIO XII.

Quomodo recipi debeant, qui matrimonio iuncti ſint.

## RESPONSIO.

ATque ij etiam, qui matrimonio coniuncti, ad huiuſmodi vitæ genus accedunt percontandi ſunt, num conſentiente altera parte hoc faciant, ex præcepto Apoſtoli. *Vir enim*, inquit ille, *ſui corporis poteſtatem non habet*. Et ſi hoc ita ab ipſis fieri compertum ſit, tum multis adhibitis teſtibus admitti debet, qui accedit. Si quidem nihil eſt, quod Dei iuſſis potius haberi debeat. Si verò diffidens ſit altera pars, & aſſiduè vſq; ex aduerſo cũ altera contendat, quòd videlicet minus ſolicita ſit, quomodo placeat Deo, hîc ea cõuenit meminiſſe, quæ

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. dicta sunt ab Apostolo: *In pace autem vocauit nos Deus*. Et sic
Luc. 14. parendum præcepto Domini qui dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, &c. non potest esse meus discipulus*. Neque enim est, quod haberi antiquius debeat, quàm vt Dei iussis pareatur. Cæterùm nos plerosque nouimus, sæpe qui ex intenta oratione, assiduoque ieiunio, ad finem, quem optabant, vitæ cum castitate peruenerunt, quippe cum Dominus videlicet eos qui vsquequaque sunt obstinati, sæpenumero etiam per corporalem necessitatem adigat sensim, vt recto alterius partis iudicio consentiant.

## INTERROGATIO XIII.

QVòd ijs qui nouicij primis pietatis rudimentis imbuuntur, vtilis taciturni silentij etiam exercitatio sit.

## RESPONSIO.

ATque ijs etiam, qui rudes adhuc ad pietatis culturam accedunt, vtilis est ea quæ per taciturnitatem exercitatio fit, quandoquidem in eo, quòd linguæ moderentur, hoc satis magno erit argumento, continentiam ab ipsis coli: & in assiduo ac perpetuo silentio, de ijs, quos loqui scienter audiuerint, exemplum sument, quemadmodum & proponi quæstiones debeant, & item quomodo vnicuique oporteat respondere. Est enim & vocis moderatio, & in sermone modus quidam, itemque occasionis apta maturitas, ac verborum proprietas, quæ propria ac peculiaria sunt pietatis cultorum: quæ quidem nullo modo doctrina is potest percipere, qui non quæ ex superioris vitæ consuetudine impressa habeat, ea antè dedidicerit, quippe cum taciturnitas simul & obliuionem ex desuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt, discenda, ocium suppeditet. Quamobrem nisi aut peculiaris causa aliqua vel ad salutem

tem animæ, vel ad operis alicuius, quod tum in manibus sit, confectionem summe necessaria, aut istiusmodi posita quæstio aliqua vrgeat, tenendum assiduè vsque silentium est, excepta videlicet psalmorum modulatione.

## INTERROGATIO XIV.

DE ijs, qui cùm per professionem Deo seipsos deuouerint, tum professionem illam conantur rescindere.

## RESPONSIO.

CÆterum horum vnusquisque, si postea quàm intra reliquorum fratrum societatem adscriptus fuerit, factam iam ab se professionem resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solenni se voto obligarit. *Si verò in Deum quis peccauerit*, inquit, *& quis orabit pro eo?* Etenim qui seipsum Deo semel deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiuerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit. Porrò huiuscemodi hominibus rationi quidem consentaneum fuerit vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ, ne si prætereuntes quidem ea re modo, vt tecto recipiantur, ad ipsos diuerterint. Perspicua est enim regula Apostoli, qua iubemur subtrahere nos ab omni inordinato, neque vllo modo cum illo commisceri, vt confundatur.

1. *Reg.* 2. NOTENT HOC HÆRETICI. 2. *Thes.* 3.

## INTERROGATIO XV.

QVænam idonea haberi ætas debeat, in qua permittatur alicui, vt per professionem Deo se dedicet: itemque quo tempore facta virginitatis professio rata habenda sit?

## RESPONSIO.

CVm Dominus dicat, *Sinite paruulos venire ad me*. & Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset:

*Matth.* 19. 2. *Tim.* 3. *Ephe.* 6.

idemque alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplina & correptione Domini: prorsus ad eos, qui ad nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autē sub parētibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem, ijs qui volunt occasionem: sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis hac etiam in parte præcisa sit. Atq; in illis quidem recipiendis hæc, quam dixi, teneri à nobis ratio debet: non ij tamen continuo propterea ad reliquum fratrum corpus aggregandi, aut cum his simul cēsendi sunt: ne videlicet, si illi propositum suum minus fuerint assecuti, eorum postea probra in omnes promiscuè pietatis sectatores redundent. Sed educandi illi quidem sunt cum omni charitate, non secus ac si cōmunes totius fratrum collegij filij essent, seorsumque ipsis & locus in quo habitent, & victus ratio quā teneant, assignari debet, tam masculis, quàm fœmellis à se diuerso domicilio disparatis: vt ne se Superiores cōpellandi maiorem sumant fiduciam præfidentiores facti, quin potius vt raritate congressus reuerentiam aduersum ipsos retineant, néve ex multis, quę ijs, qui adultiore ætate sunt, imponūtur, qui in exequendis officijs suis non ita interdum diligentes fuerint (si modo, vt assolet, inciderit aliquādo, mentem ipsorum temere aliud agentem aberrasse) procliuitas quædā maior ad peccandum in animis illorum nascatur, aut sæpenumero etiam sentire de se elatius incipiant, cum in quibus ipsi rectè se gerant, in ijs natu grandiores labi animaduertāt: Neq; enim interest, vtrū sapientiâ quis, an ætate puer sit. Itaque nihil est mirum eadem plerunque in vtrisque animi vitia reperiri. Simulque ex huiuscemodi separatione & habitationis, & victus, illud etiam prouidebitur, ne quibus in rebus, natu maiores, si eas gerant (decorum propter ætatem seruatur) ad eas adolescentuli, ob assiduum cum ipsis vsum, indecorè ante

tempus

tempus assiliant. Quocirca cùm huius, quē dixi, ordinis, tū reliquæ etiam seruandæ disciplinæ, ac sanctimoniæ causa, separata esse loca illa oportet, in quibus & pueri, & natu grandiores versentur. Qua ex re illud etiam cōmodum sequetur, quod in prçceptorum cōmentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui monachi non offendentur. Verumenim precationes, quæ statis interdiu horis descriptæ sunt, ac præfinitæ, communes illæ quidē & pueris esse, & natu maioribus debent. Si quidē hoc modo & parui ex grandiorum æmulatione ad compunctionē assuefiunt, & qui ætate antecedunt, in orationibus à pueris non mediocriter adiuuantur.

Cæterum quod ad somnum, ad vigiliam, ad cibi sumendi tēpus, eiusq; cum modum, tum genus pertineat; seorsim pueris præcepta, ac regulæ quædam, adhibita tamen ea pro ætatis decoro, moderatione, describūtur. His autem, qui tales sint, præficitor is, qui cùm ætate, tum vsu etiam rerum cæteris antecedat, cuiusq; omnibus testata morum facilitas sit, quo videlicet cùm paterna lenitatę, tum prudenti etiam sermone errata corrigat adolescentulorum, appositis ad singula errata remediis adhibendis, eiusmodiq; quibus vno eodem tempore & noxa castigetur, & animus ad tollendas perturbationes, vitiaque assuefiat. Veluti iracundia aliquis elatus est aduersus æquæuum fratrem? hunc ille pro magnitudine delicti sibi cōciliare cogitor, ac ministrare. Si quidem hæc huiuscemodi ad humilitatem exercitatio, iracundiæ veluti neruos elîdit, quando animi elatio illa est, quæ iracundiam plerunque in nobis ingenerat. Alieno tempore cibum assumpsit? ad multā diem ieiunus permaneto. Inter vescendum se immodeste gessisse animaduersus est, & indecorè? ieiunus ipse accumbentes, ac cibum cum decoro capientes cæteros spectare cogitor. Hoc enim modo & abstinētia ille castigabitur, & quod in huiusmodi pars est, decorum discet retinere. Verbum emisit ociosum? contumeliam in proximum? mendacium, aut aliud quippiam de iis, quæ minus licent? inedia ventris ac silentio plectitor. Atq; illud quoq; cōsiderandum

derandum eſt, vt literarum commentatio inſtituto noſtro conueniens ſit, vt & magiſtri ſcilicet vocabulis in ſacris literis vſitatis apud ipſos vtantur, & loco fabularum, hiſtorias ipſis rerum mirabiliter à Deo geſtarum denarrent, itemque ſumptis ex prouerbijs ſententijs ad virtutem erudiant. Profuerit illis, ſi proponentur præmia memoriæ cum rerum, tum etiam verborum. Siquidem fiet hac ratione, vt quæ volumus, ea iucundius, ac facilius ſint percepturi, nulla cum moleſtia, nullaque offenſione: atque etiam qui iſta ætate ſunt, ij rectè educti, & mente eſſe attentiores, & cogitatione minus temere aberrare conſueſcent, ſi à magiſtris identidem interrogentur, quò dirigant mentem, quid ſecum verſent cogitationis. Etenim ætas illa vtpote ſimplex, maximeque ab aſtutijs remota, & ad mendacium fingendum nō ſatis idonea, animi arcana facilè enunciat. Porrò qui eiuſmodi eſt, is reprehenſionem metuens, operam dabit, vt abſurdas iſtiuſmodi cogitationes fugiat, ſeſeque ſubinde, ne in illis frequenter deprehendatur, reuocabit. Quamobrem animus, dum tener eſt adhuc, & ritu ceræ, quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcunque faciliimè recipit, molliſſimè cedit, confeſtim ab ipſo initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet, vbi poſtea rationis vſus acceſſerit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate aſſuetus, nullo impedimento, curſu vtatur faciliore, cum & ratio quid expediat, admoneat, & ad id aſſequendum facilitatem præbeat conſuetudo.

Quo ſanè tempore admittenda eſt virginitatis profeſſio, tanquam firma iam, & eiuſmodi, quæ à proprio conſilio, iudicioque proficiſcatur, ratione iam probè adulta. Poſt quod tempus & præmijs & ſupplicijs à iuſto iudice afficiuntur ij, qui vel bene vixerint, vel malè, pro meritis videlicet eorum, quæ geſſerint. Porrò ſententiæ eiuſmodi teſtes aſſumendi eccleſiarum antiſtites ſunt, quò videlicet per ipſos & ſanctificatio corporis, veluti res ſacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorum

rum testimonium confirmatio sit: *In ore enim duorum vel trium*, inquit, *stabit omne verbum*. Sic enim & studium fratrum, maledicta, maximè euitabit, & qui seipsos Deo palàm dedicauerint, si professionem postea rescindere conati fuerint, ijs nulla ad impudentiam causa reliqua fiet. Qui vero vitam cum virginitatis professione suscipere nolit, is tanquam qui res Domini accurare solicitè non possit, ipsis ijsdem adhibitis testibus dimittitor. Verùenim qui iam professus fuerit, idque diligenti habita quæstione, animaduersioneque (ad quam plurium ipsi dierum dari spatium debet, quibus secum seorsum deliberet, ne quid astutè repentino per raptum fieri à nobis videatur) is tum demum sic recipi debet, & ad reliquorum fratrum numerum ascribi, cōmunem deinceps cum cæteris & locum ad habitandum, & victus rationem habiturus. Cæterum, quod penè nos fugerat dicere, id haud quaquam alienum sit, si nūc etiam adiungatur, nos videlicet, quando sunt quædam artes, quas à paruulo exercere statim conueniat, simul ac iam ad eas perdiscendas de puerorum numero habiles aliqui visi fuerint, neutiquam prohibere, quo minus continenter interdiu illi apud artis illius magistros sint. Nam noctu necessario illos ad æquales suos transmouemus, quibuscum necessario etiam vnà capere cibum debent.

*Matth. 18.*

Ad virginitatis professionem quanta moderatione vtebantur, attendat Lector.

## INTERROGATIO XVI.

NVnquid pietatem in vita colere volenti, necessaria continentia sit?

## RESPONSIO.

AC quòd necessaria quidem sit continentia, perspicuū est: Primum quidem, quòd ab Apostolo ea inter fructus spiritus cōnumerata est, tum quòd ex hac etiam illud assequi nos affirmat, vt ministerium nostrū reprehensione careat, quando dicit: *In laboribus, & vigilijs, in ieiunijs, in castitate*. & itē alibi; *In*

2. Cor. 11. 1. Cor. 9. *labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs.* Similiterque alio in loco: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Castigatio præterea corporis, & in seruitutem illa redactio, nulla re tantopere efficitur, quàm continentiâ. Siquidem feruor ille, qui vigere in iuuenibus solet, itemque difficilis ille ad coërcendum, ad libidines impetus, continentiâ veluti quodam fræno cohibetur: *Non enim*, vt ait Salomon, *inutiles sunt stulto deliciæ.* Quid autem carne, quæ molliter acuretur, & iuuentutis æstu temere, huc illucq; Rom. 13. agitetur, fingi stultius potest? Iccirco Apostolus dicit: *Et carnis* 1. Tim. 5. *curam desiderio ne feceritis.* Et. *Quæ in delitijs est, viuens mortua est.* Adde quòd exemplum diuitijs illius luxu ac delicijs diffluentis, necessariam esse nobis continentiam declarat, ne scilicet Luc. 16. quod ille audiuit, nos quoque audiamus: *Recepisti*, videlicet, *bona tua in vita tua.* Quàm verò metuenda intemperantia sit, etiam Apostolus docet, qui inter ea, quæ illorum propria sunt, 2. Tim. 3. qui desciscunt à Deo, illam enumeret, *In nouissimis enim*, inquit, *diebus, instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes.* Et pluribus enumeratis vitiorum generibus, po-Genes. 25. stremo adiunxit, *Criminatores, incontinentes.* Atque Esau etiam Ab exemplo commendat abstinentiā vitio, quasi maximum malorum omnium, data incontinentia est, qui vno ferculo primogenita sua vendidisset. Incontinentia etiam illa fuit, propter quam à Deo præceptis homo primùm Exod. 33. discessit. Contra verò sancti viri omnes, quotquot vnquā fuere, continentiæ laude sunt commendati. Ad hæc omnis sanctorum ac beatorū vita, ipsiusque adeo Domini nostri Iesu Christi, quamdiu ille cum corpore apud nos fuit, exemplum, ad hanc vtiliter nos adhortatur. Ac Moyses quidem longinquam illam in ieiunio ac precatione assiduitatem, legem accepit, & verba Dei audiuit, tanquam si quis loqueretur, inquit, amico suo. Helias verò tum demum dignus habitus est visione Dei, cum ipse quoque ad parem continentiæ magnitudinem peruenisset. Quid autem Daniel? quomodo res admirabiles illos vidit? an non post vigesimum ieiunij diem? Quid tres adolescentuli

centuli illi, qua ratione alia ignis impetum extinxere, nisi continentia? Ioannis præterea totum vitæ institutum, hinc sumpsit exordium. Hæc illa etiam fuit, à qua seipsum ostendere Dominus cœpit. Continentiam autem appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat: quando hoc violenta quædam vitæ dissolutio est: sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis causa, pietatis ergò de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam. Atq; vt semel finiā, quarum rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitam degunt, expeti solitæ sunt, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum. Proinde nequaquam in vna tantum escarum fugienda voluptate, continentiæ culturam consisistere existimandum est, sed eam ad omnem etiam rem, quæcunque proposito nobis fini aduersaria sit, & impedimento, pertinere. Ex quo intelligitur, qui hanc perfectè virtutē tenuerit, eum nullo modo, cum ventrē in potestatē redegerit suam, humanam sibi passurum gloriā dominari: aut cum obscœnam voluptatē deuicerit, opū cupiditatem: aut aliam quamuis degenerem animi affectionem, veluti iram, ægritudinémve, aut quæcunque imperitis animis dominari consueuerunt, non superaturum. Ferme enim quod in omnibus præceptis animaduertimus, ea videlicet inter se connexa esse, neque fieri posse, vt vllo modo vni separatim ab altero satisfiat, hoc præcipue in continentia cernitur. Nam & demisse de se sentit verè humilis qui in gloria continentiā adhibet, & Euangelicæ inopiæ mensuram explet, qui in congerendis opibus continentiam seruat: & ab ira tranquillus est, qui animi elationem atq; iracundiam in officio cōtinet. Ea denique absolutæ cōtinentiæ ratio est vt linguæ, vt oculis limites præscribat, vt auribus minime curiosam indulgeat auscultationem, & singulis his cancellos ipsorum officij quasi quosdam circumscribat atq; circumdet, extra quos qui egressus, is incontinens ac petulans est. Animaduertis quemadmodum circum hoc vnum præceptum, reliqua omnia, veluti in choro coniunctim inter se connexa cohæreant?

Continentiæ nomine quid intelligat, vide.

Psal. 6. præ pudore defugiat, eosque ab sese procul submoueat, velut ille, qui dicebat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*: seseque hoc modo ad id, quod sibi reliquum sit vitæ, antè præmuniat, ne in similia de reliquo flagitia delabatur. Cæterum communis illa est ratio vnumquemque pertentandi, si illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententia periculum fiat, paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missa omni verecundia, ita videlicet, vt sordidissima etiam quæque artificia suscipere non recuset, quandocunque illorum exercitationem vtilem esse ratio consuadeat. Vbi verò facta iam omnibus in rebus diligens ab ijs exploratio fuerit, qui res istiusmodi callide sciant peruestigare, isque veluti vas quod per appositum & accommodum Domino, & ad omne opus bonum paratum, compertus fuerit, tum verò ad illorum 2. Tim. 2. numerum debet ascribi, qui seipsos Domino consecrarunt. Maxime autem ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere, ad imitandũ modestissimæ humilitatis Domini nostri Iesu Christi exemplum festinat, munera quædam præscribi debent de 1. Tim. 6. numero eorũ, quæ illi sordida existimant, qui in ciuili vita versantur, obseruandũq;, num in ijs cum omni animi alacritate nõ erubescentem & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.

## INTERROGATIO XI.

De Seruis.

## RESPONSIO.

QVicunque verò sub iugo sunt serui, ij si ad fratrum conuentum profugiant, admoniti, ac meliores effecti, remittendi dominis sunt: & in hoc Paulus imitandus, qui Onesimum, quem per Euangelium ipse genuerat, Philemoni remisit, cum quidem & illi persuasisset iugum seruitutis, si eo quis ex Dei voluntate vteretur, dignum esse quod ad regnum cæleste

ste promoueret, & hunc esset hortatus, vt non minas modò remitteret, quas aduersus illum intenderat, memor eorum, quæ dicta essent à Domino, *Si dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra*: verùm etiam vt benigniorem erga ipsum animum gereret, sic scribens: *Forsitan enim ideo discessit ad horam, vt æternum illum reciperes, iam non vt seruum, sed vt pro seruo fratrem charissimum*. Verùm enimuero, si forte dominus improbus sit, & qui flagitiosa quædam imperet, & adhibita vi seruum cogat eius, qui verus est herus, Dominus noster Iesus Christus, præcepta violare, hîc contendere debemus, ne nomen Dei blasphemetur, propter seruum illum, qui fecerit aliquid, quod non placeat Deo. Porrò huiusmodi contentio in eo conficitur, si aut seruo illi persuasum sit, eum grauissimas quasque, quæ sibi inferantur, acerbitates perferre debere, vt Deo magis obediat, quàm hominibus, sicut scriptum est: aut si qui illum receperint, libenti animo tentationes omnes, quæ sibi propter illum inferuntur, suscipere parati sint, eo modo, quo placet Deo.

Matth. 6.

Philip. 1.

Act. 5.

## INTERROGATIO XII.

Quomodo recipi debeant, qui matrimonio iuncti sint.

## RESPONSIO.

Atque ij etiam, qui matrimonio coniuncti, ad huiusmodi vitæ genus accedunt percontandi sunt, num consentiente altera parte hoc faciant, ex præcepto Apostoli. *Vir enim*, inquit ille, *sui corporis potestatem non habet*. Et si hoc ita ab ipsis fieri compertum sit, tum multis adhibitis testibus admitti debet, qui accedit. Si quidem nihil est, quod Dei iussis potius haberi debeat. Si verò diffidens sit altera pars, & assiduè vsq; ex aduerso cũ altera contendat, quòd videlicet minus solicita sit, quomodo placeat Deo, hîc ea cõuenit meminisse, quæ

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. dicta sunt ab Apostolo: *In pace autem vocauit nos Deus*. Et sic
Luc. 14. parendum præcepto Domini qui dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, &c. non potest esse meus discipulus*. Neque enim est, quod haberi antiquius debeat, quàm vt Dei iussis pareatur. Cæterùm nos plerosque nouimus, sæpe qui ex intenta oratione, assiduoque ieiunio, ad finem, quem optabant, vitæ cum castitate peruenerunt: quippe cum Dominus videlicet eos qui vsquequaque sunt obstinati, sæpenumero etiam per corporalem necessitatem adigat sensim, vt recto alterius partis iudicio consentiant.

## INTERROGATIO XIII.

QVòd ijs qui nouicij primis pietatis rudimentis imbuuntur, vtilis taciturni silentij etiam exercitatio sit.

## RESPONSIO.

ATque ijs etiam, qui rudes adhuc ad pietatis culturam accedunt, vtilis est ea quæ per taciturnitatem exercitatio fit, quandoquidem in eo, quòd linguæ moderentur, hoc satis magno erit argumento, continentiam ab ipsis coli: & in assiduo ac perpetuo silentio, de ijs, quos loqui scienter audiuerint, exemplum sument, quemadmodum & proponi quæstiones debeant, & item quomodo vnicuique oporteat respondere. Est enim & vocis moderatio, & in sermone modus quidam, itemque occasionis apta maturitas, ac verborum proprietas, quæ propria ac peculiaria sunt pietatis cultorum: quæ quidem nullo modo doctrina is potest percipere, qui non quæ ex superioris vitæ consuetudine impressa habeat, ea antè dedidicerit. quippe cum taciturnitas simul & obliuionem ex desuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt, discenda, ocium suppeditet. Quamobrem nisi aut peculiaris causa aliqua vel ad salutem

rem animæ, vel ad operis alicuius, quod tum in manibus sit, confectionem summe necessaria, aut istiusmodi posita quæstio aliqua vrgeat, tenendum assiduè vsque silentium est, excepta videlicet psalmorum modulatione.

## INTERROGATIO XIV.

DE ijs, qui cùm per professionem Deo seipsos deuouerint, tum professionem illam conantur rescindere.

## RESPONSIO.

CÆterum horum vnusquisque, si postea quàm intra reliquorum fratrum societatem adscriptus fuerit, factam iam ab se professionem resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solenni se voto obligarit. *Si verò in Deum quis peccauerit*, inquit, *& quis orabit pro eo?* Etenim qui seipsum Deo semel deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ genus transiuerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit. Porrò huiuscemodi hominibus rationi quidem consentaneum fuerit vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ, ne si prætereuntes quidem ea re modo, vt tecto recipiantur, ad ipsos diuerterint. Perspicua est enim regula Apostoli, qua iubemur subtrahere nos ab omni inordinato, neque vllo modo cum illo commisceri, vt confundatur.

1. Reg. 2. NOTENT HOC HÆRETICI.

2. Thess. 3.

## INTERROGATIO XV.

QVænam idonea haberi ætas debeat, in qua permittatur alicui, vt per professionem Deo se dedicet: itemque quo tempore facta virginitatis professio rata habenda sit?

## RESPONSIO.

CVm Dominus dicat, *Sinite paruulos venire ad me*. & Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset: idem-

Matth. 19. 2. Tim. 3. Ephe. 6.

idemque alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplina & correptione Domini: prorsus ad eos, qui ad nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autē sub parētibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem, ijs qui volunt occasionem: sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis hac etiam in parte præcisa sit. Atq; in illis quidem recipiendis hæc, quam dixi, teneri à nobis ratio debet: non ij tamen continuo propterea ad reliquum fratrum corpus aggregandi, aut cum his simul cēsendi sunt: ne videlicet, si illi propositum suum minus fuerint assecuti, eorum postea probra in omnes promiscuè pietatis sectatores redundent. Sed educandi illi quidem sunt cum omni charitate, non secus ac si cōmunes totius fratrum collegij filij essent, seorsumque ipsis & locus in quo habitent, & victus ratio quā teneant, assignari debet, tam masculis, quàm fœmellis à se diuerso domicilio disparatis: vt ne se Superiores cōpellandi maiorem sumant fiduciam præfidentiores facti, quin potius vt raritate congressus reuerentiam aduersum ipsos retineant, néve ex multis, quę ijs, qui adultiore ætate sunt, imponūtur, qui in exequendis officijs suis non ita interdum diligentes fuerint (si modo, vt assolet, inciderit aliquādo, mentem ipsorum temere aliud agentem aberrasse) procliuitas quædā maior ad peccandum in animis illorum nascatur, aut sæpenumero etiam sentire de se elatius incipiant, cum in quibus ipsi rectè se gerant, in ijs natu grandiores labi animaduertāt: Neq; enim interest, vtrū sapientiâ quis, an ætate puer sit. Itaque nihil est mirum eadem plerunque in vtrisque animi vitia reperiri. Simulque ex huiuscemodi separatione & habitationis, & victus, illud etiam prouidebitur, ne quibus in rebus, natu maiores, si eas gerant (decorum propter ætatem seruatur) ad eas adolescentuli, ob assiduum cum ipsis vsum, indecorè ante
tempus

tempus assiliant. Quocirca cùm huius,quē dixi,ordinis,tū reliquæ etiam seruandæ disciplinæ, ac sanctimoniæ causa, separata esse loca illa oportet,in quibus & pueri,& natu grandiores versentur.Qua ex re illud etiam cōmodum sequetur,quod in præceptorum cōmentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo,qui illam solet comitari, reliqui monachi non offendentur. Verumenim precationes, quæ statis interdiu horis descriptæ sunt,ac præfinitæ, communes illæ quidē & pueris esse, & natu maioribus debent. Si quidē hoc modo & parui ex grandiorum æmulatione ad compunctionē assuefiunt, & qui ætate antecedunt, in orationibus à pueris non mediocriter adiuuantur.

Cæterum quod ad somnum, ad vigiliam,ad cibi sumendi tēpus, eiusq; cum modum, tum genus pertineat; seorsim pueris præcepta, ac regulæ quædam, adhibita tamen ea pro ætatis decoro,moderatione,describūtur.His autem,qui tales sint,præficitor is,qui cùm ætate,tum vsu etiam rerum cæteris antecedat, cuiusq; omnibus testata morum facilitas sit,quo videlicet cùm paterna lenitate, tum prudenti etiam sermone errata corrigat adolescentulorum, appositis ad singula errata remediis adhibendis, eiusmodiq; quibus vno eodem tempore & noxa castigetur,& animus ad tollendas perturbationes, vitiaque assuefiat. Veluti iracundia aliquis elatus est aduersus æquæuum fratrem? hunc ille pro magnitudine delicti sibi cōciliare cogitor, ac ministrare. Si quidem hæc huiuscemodi ad humilitatem exercitatio, iracundiæ veluti neruos elîdit, quando animi elatio illa est, quæ iracundiam plerunque in nobis ingenerat. Alieno tempore cibum assumpsit?ad multā diem ieiunus permaneto. Inter vescendum se immodeste gessisse animaduersus est, & indecorè?ieiunus ipse accumbentes,ac cibum cum decoro capientes cæteros spectare cogitor.Hoc enim modo & abstinētia ille castigabitur, & quod in huiusmodi pars est, decorum discet retinere. Verbum emisit ociosum? contumeliam in proximum? mendacium, aut aliud quippiam de iis,quæ minus licent? inedia ventris ac silentio plectitor. Atq; illud quoq; cōsiderandum

derandum eſt, vt literarum commentatio inſtituto noſtro conueniens ſit, vt & magiſtri ſcilicet vocabulis in ſacris literis vſitatis apud ipſos vtantur, & loco fabularum, hiſtorias ipſis rerum mirabiliter à Deo geſtarum denarrent, itemque ſumptis ex prouerbijs ſententijs ad virtutem erudiant. Profuerit illis, ſi proponentur præmia memoriæ cum rerum, tum etiam verborum. Siquidem fiet hac ratione, vt quæ volumus, ea iucundius, ac facilius ſint percepturi, nulla cum moleſtia, nullaque offenſione: atque etiam qui iſta ætate ſunt, ij rectè educti, & mente eſſe attentiores, & cogitatione minus temere aberrare conſueſcent, ſi à magiſtris identidem interrogentur, quò dirigant mentem, quid ſecum verſent cogitationis. Etenim ætas illa vtpote ſimplex, maximéque ab aſtutijs remota, & ad mendacium fingendum nō ſatis idonea, animi arcana facilè enunciat. Porrò qui eiuſmodi eſt, is reprehenſionem meruens, operam dabit, vt abſurdas iſtiuſmodi cogitationes fugiat, ſeſéque ſubinde, ne in illis frequenter deprehendatur, reuocabit. Quamobrem animus, dum tener eſt adhuc, & ritu ceræ, quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcunque faciliimè recipit, molliſſimè cedit, confeſtim ab ipſo initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet, vbi poſtea rationis vſus acceſſerit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate aſſuetus, nullo impedimento, curſu vtatur faciliore, cum & ratio quid expediat, admoneat, & ad id aſſequendum facilitatem præbeat conſuetudo.

Quo ſanè tempore admittenda eſt virginitatis profeſſio, tanquam firma iam, & eiuſmodi, quæ à proprio conſilio, iudicióque proficiſcatur, ratione iam probè adulta. Poſt quod tempus & præmijs & ſupplicijs à iuſto iudice afficiuntur ij, qui vel bene vixerint, vel malè, pro meritis videlicet eorum, quæ geſſerint. Porrò ſententiæ eiuſmodi teſtes aſſumendi eccleſiarum antiſtites ſunt, quò videlicet per ipſos & ſanctificatio corporis, veluti res ſacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorum

rum

rum testimonium confirmatio sit: *In ore enim duorum vel trium*, inquit, *stabit omne verbum*. Sic enim & studium fratrum, maledicta, maximè euitabit, & qui seipsos Deo palàm dedicauerint, si professionem postea rescindere conati fuerint, ijs nulla ad impudentiam causa reliqua fiet. Qui vero vitam cum virginitatis professione suscipere nolit, is tanquam qui res Domini accurare solicitè non possit, ipsis ijsdem adhibitis testibus dimittitor. Verũenim qui iam professus fuerit, idque diligenti habita quæstione, animaduersioneque (ad quam plurium ipsi dierum dari spatium debet, quibus secum seorsum deliberet, ne quid astutè repentino per raptum fieri à nobis videatur) is tum demum sic recipi debet, & ad reliquorum fratrum numerum ascribi, cõmunem deinceps cum cæteris & locum ad habitandum, & victus rationem habiturus. Cæterum, quod penè nos fugerat dicere, id haud quaquam alienum sit, si nũc etiam adiungatur, nos videlicet, quando sunt quædam artes, quas à paruulo exercere statim conueniat, simul ac iam ad eas perdiscendas de puerorum numero habiles aliqui visi fuerint, neutiquam prohibere, quo minus continenter interdiu illi apud artis illius magistros sint. Nam noctu necessario illos ad æquales suos transmouemus, quibuscum necessario etiam vnà capere cibum debent.

Matth. 18.

Ad virginitatis professionem quanta moderatio ne vtebantur, attendat Lector.

## INTERROGATIO XVI.

NVnquid pietatem in vita colere volenti, necessaria continentia sit?

## RESPONSIO.

AC quòd necessaria quidem sit continentia, perspicuũ est: Primum quidem, quòd ab Apostolo ea inter fructus spiritus cõnumerata est, tum quòd ex hac etiam illud assequi nos affirmat, vt ministerium nostrũ reprehensione careat, quando dicit: *In laboribus, & vigilijs, in ieiunijs, in castitate.* & itẽ alibi; *In*

centuli illi, qua ratione alia ignis impetum extinxere, nisi continentia? Ioannis præterea totum vitæ institutum, hinc sumpsit exordium. Hæc illa etiam fuit, à qua seipsum ostendere Dominus cœpit. Continentiam autem appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat: quando hoc violenta quædam vitæ dissolutio est: sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis causa, pietatis ergò de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam. Atq; vt semel finiã, quarum rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitam degunt, expeti solitæ sunt, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum. Proinde nequaquam in vna tantum escarum fugienda voluptate, continentiæ culturam consistere existimandum est, sed eam ad omnem etiam rem, quæcunque proposito nobis fini aduersaria sit, & impedimento, pertinere. Ex quo intelligitur, qui hanc perfectè virtutẽ tenuerit, eum nullo modo, cum ventrẽ in potestatẽ redegerit suam, humanam sibi passurum gloriã dominari: aut cum obscœnam voluptatẽ deuicerit, opũ cupiditatem: aut aliam quamuis degenerem animi affectionem, veluti iram, ægritudinémve, aut quæcunque imperitis animis dominari consueuerunt, non superaturum. Ferme enim quod in omnibus præceptis animaduertimus, ea videlicet inter se connexa esse, neque fieri posse, vt vllo modo vni separatim ab altero satisfiat, hoc præcipue in continentia cernitur. Nam & demissè de se sentit verè humilis qui in gloria continentiã adhibet, & Euangelicæ inopiæ mensuram explet, qui in congerendis opibus continentiam seruat: & ab ira tranquillus est, qui animi elationem atq; iracundiam in officio cõtinet. Ea denique absolutæ cõtinentiæ ratio est vt linguæ, vt oculis limites præscribat, vt auribus minime curiosam indulgeat auscultationem, & singulis his cancellos ipsorum officij quasi quosdam circumscribat atq; circumdet, extra quos qui egressus, is incontinens ac petulans est. Animaduertis quemadmodum circum hoc vnum præceptum, reliqua omnia, veluti in choro coniunctim inter se connexa cohæreant?

Continentię nomine quid intelligat, vide.

## INTERROGATIO XVII.

Quòd in risu etiam continentiam adhibere conueniat.

## RESPONSIO.

ATque illud etiam, quod à plerisq; negligitur, non mediocriter caueri ab ijs debet, qui colendæ pietati student, ne in risum videlicet præter modum effusi sint, quandoquidē non abesse à se intemperantiam significat is, qui profuso nimis, petulantique risu teneatur, seseque animi sui motus nequaquam sedatos eiusq; molliciē, ac veluti laxitatem nequaquam ratione seuera habere compressam declarat. Verumenim modicè rictum diducere, eoq; modo animi sui diffusionem leniter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur, quod scriptum est: *Cor gaudens exhilarat faciem*. Illud autem, in immanes cachinnos prorumpere, & corpore, contra animi voluntatem, sussultare, nequaquam est eius, qui animo composito sit, aut planè probo, & compote suijpsius. Porrò hoc ita esse, vir sapientissimus Salomō confirmat his verbis: *Fatuus in risu exaltat vocem suā, vir autem sapiens vix tacitè ridebit*. Huiusmodi genus risus etiam Ecclesiastes damnans, tāquam rem animi constantiæ & grauitati maxime contrariam, sic dicit: *Risum reputaui errorem*. Et item: *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti*. Atque hoc ipsum etiam ita esse, Dominus ostendit, qui susceptis cæteris, quæ necessario corpus sequuntur, affectionibus, ijsque omnibus, quæcunque virtutis testificationem habēt, veluti lassitudinem, & misericordiam aduersus calamitosos, risu, quantū Euangeliorum historia cognosci potest, vsus nunquam sit. contraq; omnes quotquot ab eo tenerentur miseros appellauerit.

Prou. 15. Eccle. 21. Eccle. 2. Eccle. 7. DOMINVS SVSCEPIT AFFECTIONES QVÆ VIRTVTIS HABENT TESTIMONIVM.

Neq; verò vocabuli nos ambiguitas fallat: quādoquidē familiare est scripturæ sæpenumero lætitiam & festiuitatē illā, quæ ex re-

ex rebus bonis in animo exoritur, risum appellare, vt ait Sarra: *Risum fecit mihi Deus*, Et illud item: *Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis*. Et quod est in historia Iob: *Os autem verax implebit risu*. Si quidem omnibus his in locis vocabulum hoc pro hilaritate, quæ ex prorumpente animi gaudio nascitur, vsurpatũ est. Quamobrẽ qui omnibus animi sui affectionibus moderatur, neque voluptatis titillatione vlla promouetur, contraq; fortiter constanterq; aduersus quãcunq; paruam libidinẽ animatus est, hic perfectè continens est. Porrò qui est eiusmodi, is sine dubio liber est ab omni peccato. Atque etiam est cùm interdum ab rebus ijs conuenit abstinere, quæ alioqui genere ipso concessæ ac necessariæ ad vitę vsum sunt, quotiescunque abstinẽtia illa fratrum nostrorum salutis causa à nobis suscipitur; quemadmodum est apud Apostolum: *Si esca scandalizat fratrem meum, non comedum carnes in æternum*. Qui etiam cum haberet potestatem viuendi ex Euangelio, ea potestate vsus non est, ne quod offendiculum daret Euangelio Christi.

RISVS IN SACRIS. Genes. 21. Luc. 6. 1. Cor. 8. 1. Cor 9.

Est ergo continentia, peccatorum sublatio, vitiosarum affectionum amandatio, corporis ad naturales etiam vsque passiones, cupiditatesque mortificatio, principium vitæ spiritualis, sempiternorum bonorum conciliatio, voluptatis aculeum in seipsa abolens. Si quidem Voluptas nihil est aliud, quàm esca illa maligni, per quam nos homines ad peccatum valde procliues sumus. Ab ea omnis anima non secus atque ab hamo quodam ad exitium pertrahitur. Quòd si quis adhibita continentia, ab ea se neq; effœminari passus sit, neq; inflecti, hic sine controuersia quodvis penitus peccatũ effugerit. Si verò cùm à pluribus euaserit, tamen sub vnius adhuc dominatu sit, nequaquã is haberi in continentibus debet: quẽadmodum neque sanus, qui vno aliquo corporis vitio laborat, neque cui tantũ vnus dominatur, liber. Ac reliquæ quidẽ virtutes, cùm in occulto exerceantur, minus sæpe illustres apud homines existunt; Continentia autem, in quo inest, eum vel primo ipso aspectu tantum natum facit.

CONTINENTIÆ VERISSIMA DEFINITIO. VOLVPTAS INESCATIO ET ILLECEBRA DIABOLI.

nent à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus: singula (quando tempus inciderit) attingenda nobis sunt, quatenus ijs, qui nos cernunt, ostendamus *omnia esse munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipiatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. Videndum est tamen, vt ea in re ab instituto continentia nostræ non discedamus, vt videlicet de ijs, quæ viliora sunt, & ad necessitatem solam parata, eatenus sumamus, quoad necessitati factum sit satis, atque in his ipsis saturitatis etiam malum declinemus, & ab his quæ voluptuaria sint, penitus nos abstineamus. Hoc enim modo & voluptuariorum hominum libidinem excidemus, & eos qui cauteriatam habent conscientiam suam, quantum in nobis erit, curabimus, à nobisque suspicionem illam, quæ in vtramque partem posset existere, amouebimus. *Vt quid enim libertas mea*, inquit, *ab alia conscientia iudicatur?* Sanè continentia illa est, quæ hominem mortuum esse simul cum Christo, ac membra sua, quæ sunt super terram, mortificasse declarat. Hanc scimus esse temperantiæ matrem, sanitatis conciliatricem: ab hac egregiè, quicquid, id est, quod Christianarum virtutum fœcunditati officiat, extirpari. Si quidem (vt dictum est à Domino) solicitudines vitæ huius, voluptatesque, ac reliquæ cæterarum rerum cupiditates eæ sunt, quæ verbum Dei suffocant, & infœcundum efficiunt. Ab hac dæmones profugiunt, cùm ipse nos Dominus docuerit esse eorum genus quoddam, quod in re alia nulla exeat, nisi in oratione & ieiunio.

*Ibidem 1.4.*

1. Cor. 10.

Continentia quàm efficax.

## INTERROGATIO XIX.

Qui modus seruari in continentia debeat.

## RESPONSIO.

Atque in vitijs quidem animi vnus continentiæ modus est, summa earum rerum, quæ ad pestiferam voluptatem

tem

tem ferunt, à nobis alienatio. In cibis autem quemadmodum alij alijs necessarij sunt, pro ætate videlicet cuiusque ac studijs, ijque apposité ad corporis cuiusq; habitudinem distincti: item quoque diuersa sunt, vsus illorum, modus, ratioque; quo fit vt nequaquam omnes vni & eidem Regulæ subijci possint. Verumenim ea præscripta semel à nobis Regula, quam ab ijs, qui valetudine integra pietati operam dant, seruari conueniat, ab ea licere volumus ijs, quibus tradita est prouincia cæteros gubernandi, habita nouorum cuiusque temporum ratione, immutare quantum velint. Quæ enim vnumquemque sigillatim attingunt, ea oratio complecti non potest, sed ea tantummodo quæ in vniuersum à communi quadam doctrina dependent. Nam quemadmodum refici escis ægroti debeant, aut vehementibus alioqui laboribus defatigari, quomodóve agi cum illis par sit, qui se ad grauem aliquem laborem, veluti iter, aut aliud quodvis laboriosum munus accingant, antistites ipsi iudicabunt, & ad necessitatem vniuscuiusque rem totam attemperabunt, illudque, quod est in Actis, imitabuntur, vbi dicitur: Quòd *diuidebantur illa singulis, prout vnicuique opus erat.* (Actor. 2.) Ex quo sanè intelligimus neutiquam omnibus, neque idem cibi sumendi tempus, neque modum eundem, Regulámve eandem posse describi.

Verumenim cõmune illud propositũ sit, videlicet, vt nequid cuiquam desit eorũ, quæ necessitas cuiusque desideret. Nam illud immodicè ventrem distendere, & immoderatis se epulis onerare, præterquam quod detestabilis, atque execratione digna res est, cùm Dominus dixerit: *Væ qui saturi estis nunc:* (Luca 6.) corpus etiam ipsum ineptum prorsus reddit ad labores, & procliue in somnos, & morbis magis expositum facit ac peruium. Neque verò suauitate metiendus est finis aut spectandus cibi sumendi, sed necessario tantum vsu ad vitæ conseruationem experi debet, reiecta voluptatiş libidine. Quando voluptatibus seruire, nihil est aliud, quàm ventrem Deum suum efficere. Quoniam enim corpus nostrum, quod assiduè singulis momentis

mentis

mentis exinanitur, ac defluit, ea re subinde opus habet, vt repleatur (quæ etiã causa est, cur cibi appetitiones naturales sint) sanè recta ratio vsus ciborum, id replendũ admonet, quod exinanitum sit, quo videlicet constare animal possit, siue aridũ, siue humidum illud alimentum sit, quòd natura desideret. Proinde quod minore negocio à naturalis nos desiderij molestia liberet, illud adhibendũ nobis est. Hoc autem ita fieri cõuenire, facto illo DOMINUS declarauit, cum delassatam illam ingentem multitudinem epulo illo accepit, ne deficerẽt in via, sicut scriptum est. Etenim cum miraculi vim magnifico excogitando epularũ apparatu in solitudine ei liceret exaugere, adeò simpliciter, adeoq́; frugaliter illos accepit, vt (quod quidem est apud Ioannẽ) ad panẽ, qui ipse etiam erat ordeaceus, frustũ tantummodo piscis adiectũ sit. Nam de potione prorsus nulla mentio, *Ioan. 6.* quippe tanquã videlicet aqua sponte sua ex humo scaturiens, omnibus esset in promptu, quæ naturale vniuscuiusq; desiderium affatim posset explere. Extra quam tamen si sit aliquis, cui propter imbecillitatem valetudinis noceat huiuscemodi potio: tunc enim ex cõsilio Pauli ad Timotheũ ea reijci deberet, neq; hæc modo, sed illa etiam omnia, in quibus euidẽs esse nocumentum. Neq; enim cohæret hoc, vt cum tuendi corporis caussa escas assumamus, per easdem ipsas ei rursum bellum inferamus, impedimentoq́; simus, quominus præcepta Dei exequi possit. Atque hoc idem etiam exemplo nobis est, vt animũ nostrũ ea assuefaciamus fugere, quæ ipsi nocent, esto alioqui illa voluptatẽ habeant. Verũenim eæ omnino nobis præferendæ epulæ sunt, vt quæq; minore possunt negocio comparari, ne prætextu continẽtiæ, ex his eas quę nobiliores sint, ac maioris precij, exquiramus, nempe qui magno partis condimentis epulas nostras apparemus. Sed quod in quaque regione, & haberi facile potest & vile est, & quo passim populus vtitur, eo est nobis vtendum, ijsque tantummodo importatis, quæ ad vitam summe sint necessaria, veluti oleo, & alijs generis eiusdem, & si quid est præterea, quod ad necessarium ægrotantium

solatium pertineat. Atque hoc ipsum ita procuretur citra curiositatis notam. Absit, item tumultuosa omnis & importuna distractio.

## INTERROGATIO XX.

Quæ ratio tenenda sit in accipiendis hospitibus.

## RESPONSIO.

AM cum inanis gloria, & humani fauoris captatio, & quælibet prorsus in quacunque re ostentatio interdicta Christianis hominibus sint (quando qui ipsa etiam mandata iccirco exequitur, vt spectetur ab hominibus, eaque re apud illos in gloria sit, debitam alioqui studio illi mercedem amittit) tum verò ijs, qui seruandi causa præcepti Dominici ad omne sese humilitatis genus abiecerunt, mirabiliter quælibet fugienda inanis gloriæ significatio est. Sed quoniam videmus eos, qui in ciuili vitæ genere versantur, humilitatem paupertatis fugere, veluti rem ignominiosam, ob eamque causam quotiescunque, aliquis ipsis suscipiendus hospes sit, epularum & copiam & magnificentiam studiosius consectari: equidem metuo ne ad nos quoque furtim se istiusmodi pestis insinuet, néve planè ij esse conuincamur, quos tantopere commendatæ à Christo paupertatis pudeat. Vt igitur, si vasa argentea, velâue purpura prætexta, aut mollia stragula, & pellucida amicula foris arcessita comparamus, ex decoro nostro non esset: sic indecorum prorsus fuerit, si noua, & à communi victus nostri ratione longè abhorrentia escarum genera excogitare velimus. Illud enim circuncursare nos, vt ea peruestigemus, quæ non ad necessarium vitæ vsum requiruntur; sed ad explendam miseram libidinem, ambitionemque anxiè solita sunt inueniri: præter quàm quòd fœdum ac turpe est, & ab instituto nostro alienum, exemplo etiam apprimè nocet: quando videlicet, qui luxu diffluunt ac delicijs, & vitam beatam ventris voluptatibus finiunt,

finiunt, nos quoque in earundem rerum, quibus inhiant ipsi, curis solicitudinibusque versari animaduertant. Si enim res damnanda ac fugienda indulgentior ille est deliciarum luxus, nullo eas pacto amplecti ac deligere debemus. Si quidem de ijs, quæ iudicata sunt praua, nullo vnquam tempore videri nobis debet expediens & commodum. Qui luxuriosè viuunt, & optimis vnguentis delibuti incedunt, & vinum per colatum bibunt, incusantur à scriptura. Et vidua in delicijs viuens, mortua dicitur. Et diues ille propter delicias, quas in hac vita fuerat sectatus, delicijs paradisi priuatus est. Quid ergo nobis cum apparatibus sumptuosis? Accessit ad nos hospes aliquis? si frater est, & idem nobiscum vitæ institutum habet, is domesticam suam mensam agnoscet: quippe cū, quæ domi reliquerit, ea inuenturus sit apud nos. at defatigatus ex itinere? catenus cum eo prolixius liberaliúsue agatur, quatenus ad recreandam eius lassitudinem sit satis.

Accessit alius à communi vulgarique viuendi consuetudine? hic discat ex factis, quæ ratio illi persuadere non potuit, formulam & adumbrationem hinc mutuetur vitæ frugalioris. Insideant in eius animo monumenta, quæ ipsi memoriam excitent mensæ Christianorum, neque pudendæ propter Christum paupertatis. Quod si his minime ille permouebitur, ac potius ridiculo habebit, prorsus iterum nobis molestus non erit. Verùm enimuerò nos, quandocunque diuites aliquos animaduertimus, ex ijs, qui summum bonum in voluptatibus ponunt, vehementer admodum illorum vicem dolemus, deploramusque, quòd totum vitæ tempus in futilibus, ac nullius precij rebus consumant, nempe qui voluptates suas Deum sibi suum constituerint, nec ipsi sentiunt vt partem bonorum suam in hac vita recipiant & per hasce delicias, ad sibi paratum ignem & illius æstuantissimum ardorem hinc emigrent. Ac si quando nacti occasionem fuerimus, hæc longiore oratione apud illos persequi non dubitemus. Quòd si futurum est vt nos quoque in ijsdem, in quibus ipsi, criminibus simus, & ea

quæ voluptaria sunt, inquiramus & ad ostentationem ea apparemus equidem metuo, ne quæ destruximus, ea ædificare videamur, illis etiam iisdem rebus, per quas cæteros iudicamus, nempe quorum vita assimulatio sit, qui videlicet modò in hãc, modò in illam formam pro varia temporum ratione transeamus, nisi forrè vestitus etiã demutandus nobis sit, quotiescunque casus tulerit, vt in superbos, ac fastidio elatos aliquos inciderimus. Quòd si hoc facere minus instituto nostro conueniat, illud certè multò ab honesto alienus, si ob istos delicatulos à mensæ nostræ solito ritu recesserimus. Constans atque vniusmodi est vita germanè Christiani, eaque vnum modo sibi propositum habet, gloriam Dei. Siue enim manducatis, siue bi-
1. Cor. 10. bitis, omnia ad gloriã Dei facite. Verba Pauli sunt hæc, ex cuius ore Christus loquebatur. Contraque eorum, qui à vera pietate sunt alieni, inconstans ac varia: nempe quæ sese modo in hãc, modo in illam formam per simulationem transmutet, & ad illorum, quibuscum est, lididinem accommodet. Quamobrem tu quoque cum largiore epularum copia, & exquisita nimis in illis ad voluptatem apparandis solertia in fratre accipiendo, mensæ tuæ solitum ritum immutas, sine controuersia ipsum veluti hominem voluptatibus deditum accusas, & apparatu illo ei contumeliam infligis, nimirum qui ventris illi libidinem obijcias. An non sæpenumero & genere ipso, & modo apparatus animaduerso, coniecturam consueuimus facere quis, aut cuiusmodi ille sit, qui expectetur? Nequaquam Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quod in apparitione rerum multarum
Luc. 10. occuparetur: sed, *Solicita es*, inquit, *& turbaris circa plurima.* Porrò paucis est opus, vel vno potius, ac paucis quidem, quod pertinet ad apparatum: vno verò, nempe fine ipso, vt videlicet necessitati fiat satis. Ipse autem Dominus, prorsus non nescis, cuiusmodi mensam quinque illis milibus apposuerit, neque non similiter votum Iacob ad Deum scis: *Si dederis mihi panem,*
Genes. 28. inquit, *ad vescendum, & vestimentum ad induendum:* non autem dixit: *Si dederis mihi affluentiam opum, aut magnificentiam.* Quid vero

vero sapientissimus vir Salomon? *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi*, inquit. *sed tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè repletus, mendax efficiar, & dicam; Quis me videt? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei*. Sic ille diuitias saturitatem, egestatem verò summam rerum ad vitam necessariarum inopiam definiuit: nimirum ex eo, quod dicit necessaria, medium quid inter egestatem & abundãtiam rerum ad vsum necessariarum declarãs. Porrò alijs rebus est opus, pro dissimilitudine videlicet naturæ corporis cuiusque, & propositæ rei gerendæ necessitate. *Prou. 10.*

Si quidem huic largiore & validiore opus est cibo, propter defatigationem laboris, ilia contra tenuiore, leuioreque, & ad corporis ipsius imbecillitatem accommodato. In communi autem hoc statuẽdum est, vt cibaria, quæ promiscuè omnibus apponantur, eiusmodi sint, quæ cum vili precio, tum paruo etiam negocio comparentur. Adhibenda tamen in mensa necessario vbique mundicia est atq; elegantia, ita tamen, vt nusquam extra fines nostros egrediamur: atque hoc vnũ in acceptione hospitum nostra spectemus modo, vt eorum cuiusque, quos acceperimus, necessitati satisfiat. *Qui enim vtuntur hoc mũdo*, inquit, *sint tanquam non abutentes*. Porro abusus nihil est aliud, quàm sumptus ille, qui vltra necessarium vsum fit. Non sunt nobis pecuniæ? nec sint. Nõ sunt referta penora, quid tum? Viuimus enim in diẽ, & in labore positus nobis est victus. Cur igitur escam à Deo esurientibus datam, peruersè in istorum delicias ac voluptates insumimus? & peccamus vtrinque, qui & illis egestatis angustias intendimus, & his saturitatis incommoda exaugemus. *1. Cor. 7.* *Psal. 145.*

# INTERROGATIO XXI.

QVÆ ratio in sessionibus, & accubationibus teneri debeat, quandocunque ad prandium, cœnámue ventum sit.

## RESPONSIO.

QVONIAM præceptum est Domini ( qui vbique nos ad humilitatem assuefacit ) vt in prandijs etiam accumbentes nouissimum locum præoccupemus: haud dubiè ne hoc quidem præceptum ab eo negligi debet, qui in eo studeat, vt omnia agat ex mandato. Quamobrem si vulgaris ac communis vitæ sint qui nobiscum accumbant, danda nobis sedulo opera est, vt hac etiam in parte exemplo nostro illi discant se intra modestiæ fines continere, neque prima subsellia appetere. Sin qui in vnum simul conueniunt, eorum omnium vnum est, atque idem vitæ propositum, vt videlicet quouis tempore suæ humilitatis edant specimen: hîc enim vero ex præcepto Domini æquè ad omnes pertinet, nouissimum locum occupare. Veruntamen pugnax nimis ea de re damnanda contentio est: nempe vt quæ modestiæ inimica ordinem tollat, & perturbationem ac tumultum inducat. Quin etiam si in eo peruicaces simus, neque sit qui alteri cedat, peruicaciterque inter nos velimus contendere, simile quidam eueniet plane, ac si, de principe loco pugnaremus. Proinde hic quoque considerandum est, vt cognito diligenter, quid nos facere addecens sit, vbi id facere studuerimus, loci posteà in accubatione assignationem arbitrio permittamus illius, apud quem simus: Sicuti Dominus etiam videtur admonuisse, quando dixit pertinere ad patremfamiliâs huiuscemodi locorũ distributionem. Hoc enim modo
Ephes. 4. 1. Cor. 14. & inter nos vicissim supportabimus in charitate, honestè omnia, & secundum ordinem facientes: & illud demonstrabimus, omissa vehementi, atque obstinata illa contentione, neutiquam nos ostentationis, aut captandæ causa gloriæ popularis, humili-

humilitatem consectari. Quin cedendo potius, parendoque ad veram humilitatem perueniemus: quando maius superbiæ signum est, nimis præfractè contendere, quàm principem locum in subsellijs tenere, quandocunque id facere iussi obtemperemus.

## INTERROGATIO XXII.

Qui vestitus conueniens sit homini Christiano.

## RESPONSIO.


RORSVS & humilitatem, & in victu cultuque tenuitatem, & omnibus in rebus frugalitatem ac parsimoniam necessarias esse superius demonstratum est, si multitudinem velimus occupationum præcidere, quibus dum necessitatibus corporis famulatur, varijs modis distrahi animus consueuit. Nimirum ad eosdem quoque fines dirigendum nobis est, quicquid ad vestitum etiã pertinet. Si enim in eo studendũ est nobis, vt omnium infimi simus, sine dubio, & quod in hoc genere indumẽtorum infimũ est, id summopere nobis est amplectendum. Vt enim qui studiosi gloriæ sunt, ex amictu etiam vestimentorum, gloriam sibi soliti sunt aucupari, nempe qui ex illorum magnificentia splendoreque spectabiles se, & in admiratione esse cupiant: sic videlicet qui ob vitę humilitatem in infimum seipsum abiecerit, in his quoq; quod omnium infimum est, consectari debet. Quemadmodum enim in publica cœna Corinthijs vitio dabatur, quod magnifico suo epularum apparatu, egentibus inopiam viderentur exprobrare ac pudore aspergere, eodem modo in forensi quoque & conspicuo omnibus vestimentorum vsu, is qui à populari consuetudine elegantior recedit ornatus, ex quadam veluti comparatione, eos dedecorat, qui tenuiores sunt. Cum autem Apostolus dicat: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes:* exquirat seipsum quisque, vtrine magis assimilem esse Christiano homini conueniat, iisne, qui habi- Rom. 12.

tant

tant in aulis regum, & mollibus vestiuntur, an nuncio & præconi aduentus Domini, quo in natis mulierum nullus surrexit maior, de Ioanne loquor filio Zachariæ, cuius vestimentum *ex setis camelorum* erat. Quin & veteres sancti illi viri *circumibant in melotis & pellibus caprinis.*

Ma'th. 11. Idem 16. Heb. 11.

Porrò ad quem finem vsus is dirigi debeat, docuit nos Apostolus vnico verbo, cum dixit: *Habentes victum, integumentaque, his contenti simus.* Quippe tanquam solo nobis integumento sit opus, neque iam amplius propter varietatem, eamque, quæ ex illa consequitur, exquisitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitium (ne quid dicam grauius) incidamus. Siquidem hæc postea ab inutilibus minimeque necessarijs artibus in hominum vitam sunt importata. Atque etiam perspicuum est quis nam primus integumentorum vsus fuerit, qui à Domino ipso eo indigentibus est datus. *Fecit* enim *illis*, inquit, *Deus tunicas pelliceas*: quandoquidem ad ea in corpore contegenda, quæ aspectu ipso minus fuerant honestatis habitura, satis erat etiam huiuscemodi tunicarum vsus.

1. Tim. 6 Genes. 3.

Sed quoniam in vestimentis non hoc quæritur tantummodo, sed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incōmoda depellantur, necessario ad vtramque rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ ab cæli inclementia afferuntur, incommoda propulsentur.

Iam quando in his quoque quædam sunt, quæ ad plures, quædam quæ ad pauciores vsus aptantur: consentaneum videtur ea à nobis pluris fieri oportere, quæ ad plures possint vsus accommodari, quo videlicet nihil quicquam contra susceptum à nobis summæ in victu paupertatis institutum fiat. Neque alia ad forensem ostentationem, alia ad domesticum vsum parta habeamus, atque ex his ipsis item ad diurnum quædam, quædam ad nocturnū tempus distributa, sed eiusmodi quoddam nobis vestimenti excogitandum est genus, quo ad omnia vti commodè possimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pari-

ter honeſtati, & nocturnæ etiam neceſſitati faciamus ſatis. Ex quo quidem illud cõtinget, & communem omnium noſtrum inter nos in veſtitu ornatum eſſe, & veluti inſignem quandam ac peculiarẽ ex ipſo amictu etiam homini Chriſtiano impreſſam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem ſpectant, illa vt plurimum inter ſe conueniunt.

Vtilis etiam præterea in hoc peculiaris hæc amictus ratio eſt, quòd ea, qualis ſit vnuſquiſq;, antè indicat, & vitæ, quæ ex Deo eſt, profeſſionem antè veluti teſtificatur: quæ res facit, vt ab ijs, qui nos viderint, actiones etiam iſti profeſſioni cõſentaneæ requirantur. Neque enim ſi quid indecorum inhoneſtúmve geritur, id ſimiliter & in obſcuris hominibus & in ijs qui illuſtres magna quædam profitẽtur, animaduerti perinde ſolet, aut propalam eluceſcit. Nã de vulgo aliquẽ, aut alioqui obſcurum, ſi in publico is aut pulſet aliquẽ, aut aliunde ipſe pulſetur, & obſcœnas voces emittat, aut frequens in ganeo verſetur, & alia generis eiuſdem flagitioſè agat, haud facilè quiſquam attenderit, quippe cũ id exiſtimet quiſque, eius facta illa vniuerſo vitæ ipſius inſtituto reſpondere. At, qui vitæ genus ab omni parte abſolutam profiteatur, hunc, ſi vel latum vnguem ab officio ſuo recedere viſus ſit, omnes confeſtim obſeruant, ipſíque probri loco illud obijciunt, & id quod in Euangelio ſcriptum eſt, faciunt: *Conuerſi dirumpent vos.* Quò fit, vt imbecillioribus, veluti pædagogi diſciplina ſit quædã, qua inuiti etiã à rebus flagitioſis prohibentur; hæc quæ in veſtitu foris appãret profeſſio. Vt igitur peculiaris quidam in veſtitu eſt ornatus militis, alius ſenatoris, itemque aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum cuiuſque capitur coniectura: ſic decorum quoque eſſe, ac conſentaneum videtur, hominem Chriſtianum in veſtitu etiam præcipuum aliquid à cæteris ſeruare oportere, per quod traditum ab Apoſtolo modeſtum ornatum illum conſeruet. Qui quidem modo cenſens ſtatuit *Epiſcopum ornatum* eſſe debere, modò mulieribus, vt *in habitu ornato* incedant, præcipit, ita tamen, ſcilicet vt ornatus

Matth. 7.
1. Tim. 3.
Ibid. 2.

Cc ille

ille cum vita Christiani hominis congruere intelligatur. Eadem mihi quoque in calceamentis ratio est, vt videlicet, quod quàm minimum præferat curiositatis, minimoque sumptu parari possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis. Hic canon perpetuo tenore seruetur.

## INTERROGATIO XXIII.

### De Zona.

### RESPONSIO.



IAM zonæ vsum necessarium esse, & qui ætate nobis superiores fuerunt, sancti viri declarant. Ioannes quidem, qui zona pellicea solitus esset præcingere lumbos suos, & ante ipsum etiã Helias, quando de eius veluti peculiari quodam insigni scriptum est illud.
4. Reg. 1. *Vir pilosus, & zona pellicea circa renes eius*. Quin Petrus etiam zona ostenditur vsus fuisse, quemadmodum ex verbis Angeli
Act. 12. ad ipsum apparet, sic dicentis: *Præcingere, & calcea te calligas tuas*. Similiterque beatum Paulum, ex Agabi in ipsum vati-
Ibid. 21. cinio, zona constat vsum fuisse: *Virum enim*, inquit, *cuius zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem*. Et præter hos etiam videmus à Domino præcipi Iob, se vt præcingat. Perinde enim quasi hoc animi strenui & ad rem gerendam expediti signum
Iob. 38. sit, sic eum alloquitur: *Accinge*, inquit, *sicut vir, lumbos tuos*. Sane que discipulis etiam Domini familiarem fuisse zonæ vsum, ex eo etiam intelligitur, quòd interdictum ipsis fuerit, ne æs haberent in zonis: alioqui cum necesse sit, vt qui per se ipse aliquod est opus tractaturus, succinctus sit, & ad omnes corporis motiones expeditus, ei necessaria sit zona, qua tunica restringatur, & corpori pressius adhærescat. Quin etiam ea in sinus collecta, complicataque naturalem calorem impendio magis fouebit, tolletque quicquid naturales corporis motus posset impedire: quando etiam Dominus, quo tempore parabat se, vt
Ioan. 13. discipulis ministraret, *sumpto linteo præcinxit se*.

De-

De multitudine autem veſtimentorum, nihil ſanè nunc attinet dicere, cùm hac de re ea in parte, quæ eſt de rerum omnium poſſeſſione abijcienda, ſuperius diſputatum à nobis ſit. Etenim ſi qui duas tunicas habet, is ei qui nullam habeat, alteram iubetur impartiri, haud dubie huic plurium retentio, ipſius cauſa, interdicta eſt. Quod ſi ita eſt, quibus habere tunicas duas vetitum eſt, his quid attinet de illarum vſu legem ſancire?

## INTERROGATIO XXIIII.

HIs abs te ſatis abunde nobis explicatis, iam conſequens fuerit, vt rationem diſcamus, quam in vita communi tenere inter nos debeamus.

## RESPONSIO.



CVM Apoſtolus dicat: *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant:* equidem illam ego exiſtimo honeſtam, & ex ordine eſſe viuendi in communi fidelium ſocietate rationem, in qua membrorum inter ſe corporis ſimilitudo conſeruatur, vt videlicet alius ſit, qui oculi locum obtineat, cui ſcilicet regendæ totius ſocietatis delata procuratio ſit, quiq; & quæ iam facta ſint, aut probet, aut improbet, & quæ facienda, antè prouideat, diligenterque conſideret. Alius item, qui aurium, ac manus, in ijs audiendis, tractandiſque, quæ audiri, ac tractari conueniat: qua in re ſinguli ex ordine, ſingulorum inter ſe membrorum ſimilitudinem attingant. Noſſe igitur oportet, quia quemadmodum in corpore, munus ſuum ſine periculo deſerere vnumquodque membrum non poteſt, aut non alio vti ad eam rem, cuius cauſa ab ipſo conditore Deo fabricatum eſt (quandoquidem ſi aut manus, aut pes oculum habere ducem recuſent, neceſſario & illa res ſibi perniciosas cum vniuerſi corporis interitu attre-

1. Cor. 14.
RATIO VITÆ COMMVNIS.

tu attrectabit, & hic aut impinget, aut in præceps etiam defe-retur. Siue contra oculus ita se operuerit, vt nihil aspiciat, necessario ipse quoque vnà cum reliquis membris, quibus ea vsū veniant, quæ diximus interibit.) sic nihilo minus intelligendū est, non esse extra periculum, qui cæteris præsit, si negligenter se gerat, cum futurum sit, vt omnium ipse in iudicio causam sustineat. Similiterque qui est sub alterius ditione, eum scire conuenit, se, si contumax fuerit, neutiquam id impune laturum: in maiore autem periculo versari, si alios etiam præterea scandalizet. Quamobrem debet vnusquisq; eo in loco, in quo est, studium suum, abiecta prorsus omni cunctatione, alacriter præ se ferre. Si quidem hoc modo obtemperans præcepto A-
Rom. 12. postoli, qui dicit: *Studio non pigri*, animi parati, prōptique, laudem nanciscetur. Contraque, si lentescens ignauia neglexerit officij sui munia, hoc est miseri appellationem incurret, au-
Hier. 48. dietque illud, væ: *Maledictus enim*, inquit, *qui facit opus Domini negligenter.*

## INTERROGATIO XXV.

Qvàm terribile Antistiti iudicium imminet, si fratres delinquentes non arguat?

## RESPONSIO.

NOTENT HÆC PRÆLATI.



VAMOBREM cui communis totius regendæ societatis data prouincia est, is ita esse animo affectus debet, quasi qui intelligat reddendam sibi de vnoquoque rationem: illudque sibi persuadere, si de fratribus aliquis in aliquod peccatum inciderit, quem prius ipse de iudicio Dei non præmonuerit, vel si iam lapsus, in eo perstiterit, ac non rationem ipsam, quâ sanari possit, do-
Ezech. 3. cuerit; fore *vt sanguis eius requiratur de manibus ipsius*, sicut scriptum est, præsertim si non ex inscitia aliquid tacens præterierit eorum, quæ Deo non placent, sed ex assentatione, quòd se demittens ad cuiusque vitia accommodet, exactam sibi creditæ

ditæ Reipublicæ disciplinam dissoluerit. *Qui enim beatos vos dicunt*, inquit, *ipsi vos decipiunt, & viam pedum vestrorum disturbant. Qui autem turbat vos, ipse iudicium portabit quicumque ille est*. Quod ne vsu nobis eueniat, in ijs, quæ agenda nobis cum fratribus sunt, exemplum Apostoli imitari debemus. *Neque enim aliquando*, inquit, *fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Quamobrem qui à vitijs planè istiusmodi est alienus, hic sit fortasse, qui iter rectum cum sibi, tum cæteris, qui ipsum sequantur, & fructuosum, & salutare possit commonstrare. Etenim qui neque studiosè humanos honores consectatur, neque pro deuitanda apud delinquentes offensione laborat, ea re, vt iucundus apud illos gratiosusq; sit, prorsus hic syncere, vereque charitate ac præsentia animi adhibitis, Dei verbum tractabit; neque ob rem vllam animum inducet, vt veritatem adulteret: eaq; merito in eum conuenient, quæ dicta sunt deinceps: *Sed facti sumus indulgentes in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras*. Qui verò in auditores non hoc pacto afficitur, is dux cæcus est, & seipsum agit in præceps, & sequentes se etiam inducit.

*Esa. 3.*
*Gal. 5.*
*1.Thes. 2.*
*1.Thes. 2.*

Quantum autem malum sit illud pro recto itinere, erroris cuipiam fratrũ ducẽ esse, hoc ex ijs, quæ dicta sunt signa, intelligi potest. Ex hoc porrò significatio fit etiã, neutiquã esse illum charitatis præceptum cõsecutũ, quandoquidẽ nullus est pater, qui in eo conniueat, si filium in foueam lapsurũ prouideat, aut delapsum iam, in ea iacere patiatur. Quantò autem illud sit grauius, animam, quæ in profundum malorum deciderit, pati in interitu illo diutius iacêre, quid hoc vero attinet dicere? Necessario igitur ei pro totius fratrũ societatis animabus vigilandum est, & quæ ad salutem cuiusque conducant, omnia solicitè accuranda, vt qui de ipsis rationẽ sit redditurus: & eatenus solicitè accurãda, vt se pro testando suscepto illorum salutis causa stu-

 dio,

dio, morti exponere non dubitet: Neque id ex eo, quod omnibus à Domino promiscuè dictum est de charitate, vt videlicet *animam suam ponat quis pro amicis suis:* sed ex eo etiam,

Ioan. 15.

quod singulariter dictum est ab eo, cuius verba sunt hæc: *Desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras.*

## INTERROGATIO XXVI.

QVàm omnia etiam cordis arcana à fratribus cum Antistite communicari debent.

## RESPONSIO.

DEBET autem vicissim vnusquisque eorum, qui inferiores sunt, si quidem memorabilem vllam facere progressionem studet, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini nostri Iesu-Christi est consentanea, peruenire, cum nullum animi sui motum apud seipsum celatum retinere, tum in sermone nihil non diligenti antè cura consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus ijs, quibus datum illud negocium sit, vt adhibitis facilitate ac misericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur, & quod minus probandum congruo remedio sanetur: atque ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine, per modicas accessiones ad perfectionem perueniamus.

IN-

## INTERROGATIO XXVII.

QVòd ipse quoque admoneri Antistes debet, per eos qui inter fratres eminent, si quando incidat vt aliqua in re etiam ipse labatur.

## RESPONSIO.

RATIO MONENDE PRÆLATOS SVOS.


ERVM enimuerò quemadmodum necessario ijs, quibus præest, omnibus in rebus recti itineris dux esse Antistes debet, item quoque vicissim reliquorum officium est, si qua vnquam minus laudabilis de Antistite orta suspicio sit, ipsum admonere. Verumenim ne qua constanti disciplinæ ordini iniuria fiat, huiusmodi admonitio ad eos est deleganda, qui cùm ætate, tum prudentia in Societate, reliquis præstent. Ita enim fiet, vt siue quid fuerit, quod emendationem desideret, & fratrem ipsum nostrum iuuemus, simulque vna atque eadem opera nos ipsos etiam, qui videlicet ipsum, qui vitæ nostræ veluti norma sit quædam, suaque ipse rectitudine prauitatem nostram arguere debeat, distortum, ad rectum reuocemus. Quòd si temerè quidam secus de ipso suspicati non nihil turbelæ adierint ij cognita veritate eorum, propter quę in falsam suspicionem illam venerant, certi de eo, amplius iam dubitare desistant.

## INTERROGATIO XXVIII.

QVo esse omnes animo affecti debent aduersus contumacem, siue inobedientem?

## RESPONSIO

MODVS TRACTANDI CONTVMACEM ET SÆPIVS ADMONITVM.


ÆTERVM qui ita animo affectus sit, vt ad exequenda Domini mandata cunctabundus accedat & lentescens eius primo simul misericordiam capere reliqui omnes debent, veluti membri grauiter affecti, ipseque priuatis admonitionibus Antistes operam dare, vt morbum ab eo illum

lum depellat: permanentem autem in obstinatione, neque ipsum seipsum emendantem, acrius coram cunctis fratribus redarguere, eique medicinam summa cum lenitate & verborum exhortatione adhibere. Porrò is, si postquam admonitus sæpius fuerit, nihilominus tamen inuerecundè in vitio perseuerare, neque subeundis alacriter laboribus, segnitiem suam emendare contendere, animaduersus sit, hunc perinde, vt ipsum suimetipsius corruptorem (vt est in prouerbio) non sine multis quidem lachrymis, lamentationibusque, vt membrum tamen penitus vitiatum, inutileque, medicorum more à reliquo corpore præcidere conuenit. Etenim illi quodcunque tandem in aliquo membrum insanabili morbo correptum inuenerint, ne vitium latius proserpat, néve ex contage se diffundente contiguas partes corrumpat, illud secando, vrendóve tollere funditus soliti sunt.

Hanc autem eorum consuetudinem necessariò nos quoque in ijs debemus imitari, qui præceptis Domini aduersantur, impedimentoque sunt, ita enim iussit ipse cum dixit: *Si oculus tuus dexter scãdalizat te, erue eum, & proijce abs te,* quãdo clemẽtia illa, qua quis aduersum istiusmodi homines vtitur, stultæ illi Heli indulgentiæ facilitati assimilis est, qua præter Dei voluntatem erga filios suos ille vsus fuisse animaduertitur. Proinde veritatis proditio, & communis noxa & ad nullum prorsus bonorum malorumque habendum delectum assuefactio, est hæc in speciem aduersus istos de industria peccantes homines lenitas atque clementia, cum nec iam illud fiat, quod scriptum est: *Cur non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit?* & necessario tamen illud contingat, quod ascriptum est, Quòd scilicet *modicum fermentum totam massam corrumpit. Peccantes autem*, inquit Apostolus, *coram omnibus argue*: causamque cur ita iubeat, confestim adiungit, *vt & cateri timorem habeant*.

Matth. 5.

1. Cor. 5.

1. Tim. 5.

In summa autem, qui adhibitam sibi à fratre medicinam recusat, hic sine controuersia etiam à semetipso dissentit. Etenim si parêre

si parêre alteri non vult, ac voluntatem ipse vindicat suam, quid est tandem cur cum ipso amplius moretur? Quamobrem vitæ suæ moderatorem illum appellat? Verumenim, vbi quis semel se in reliquum fratrum corpus coaptandum tradiderit, is si membrum postea ad ministrandum aptum iudicatum fuerit, esto quod ipsi impositum sit, vires ipsius videatur superare, de iudicij periculo prorsus illum esse solicitum finito, qui ea imperet, quibus vires suæ pares esse non possint: ipse autem parendo, obediendoque, alacritatem pro virili declaret studij sui vsque ad mortem memoria assiduè Dominum tenens, qui *factus fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Illud autem Antistitis imperium detrectare, & verbis aduersum iussa ipsius litigare, magno indicio est, eum qui id faciat, multis vitijs laborare, si dei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia morum, atque superbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam esse quisquam recusat, nisi prius ipsum sibi consilij auctorem apud seipsum despexerit: neque qui sibi certa fide persuasit, vera esse promissa Dei, deque ipsorum spe nihil dubitat, etiam si laboriosa sint, quæ sibi imperentur, grauatè ad illa vnquam accedet, vt qui certo nouerit, *non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: Neque non, cui illud persuasum est, verum esse, Quòd *qui se humiliat, exaltabitur*, studio suo imperantis sibi aliquid, exspectationem superabit: quippe qui nihil addubitet, hoc quod in præsenti est *momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari*.

Philip. 2. | Memorabilis γνώμη. | Rom. 8. | Luc. 14. | 2. Cor. 4.

## INTERROGATIO XXIX.

De ijs qui cum elatione, murmuratione've opus faciunt,

## RESPONSIO.

CÆTERVM si quis murmurasse, aut plus æquo extulisse se animaduersus fuerit, huius opus nequaquam cum il-

OPVS RELIGIOSI MVRMVRANTIS INGRATVM DEO.

lorum commisceri operibus debet, qui humiles sint, spirituque contriti, neque id vllo modo in pietatis veræ cultorum vsus erogari. Si quidem quod altum est hominibus, id abominabile est apud Deum: eoque magis, quòd hac de re est præceptum Apostoli, qui quidem sic dicit: *Neque murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Itemque alio in loco: *Non ex tristitia, aut ex necessitate.* Ingratum est igitur istiusmodi hominum opus, veluti sacrificium immundum, eoq; neutiquam fas sit mistum aliorum inseri pijs operibus. Si enim qui alienum ignem altari admouerunt, ea re grauem adeo in se Dei iram experti sunt: quî non obsecro periculosum sit, opus quod ab animi affectione Deo inuisa proficiscatur, ad exequenda mandata ipsius admittere? *Quæ enim,* inquit, *participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fideli cum infideli?* Iccirco scriptum est in lege: *Qui immolat mihi vitulum, quasi qui interficiat canem: Et qui offert Semidalim, quasi qui sanguinem suillum offerat.* Ex quo intelligitur, necessariò pigri & contumacis hominis opera à fratrum conuentu amandari oportere. Summeque hac in parte aduigilare Antistites conuenit, vt neque ipsi decretum violent illius qui dixit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabat in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Neque id agant, vt eum, qui mandato peccatum admiscet, & opus quod facit, siue laboris segnitie, siue elatione propter maiorem industriam, contaminat, in ea quasi prauitate confirment, qui ex eo, quod illud admittunt, persentire illum non sinant, quantis in malis versetur. Oportet itaque & Antistitem ipsum illud sibi persuasum habere, se nisi, vt debet, fratris saluti in munere fungendo suo cõsuluerit, grauissimas atq; ineuitabiles pœnas daturum. Si quidem *sanguis illius requiretur de manibus eius,* sicut scriptum est. Et vicissim, qui est sub illius imperio, ita se animo comparasse, vt nulla res sit quamlibet difficilis quæ sibi imperetur, ad quam suscipiendam grauatè accedat, aut cunctetur, vt cui sit persuasum, mercedem sibi præsto esse copiosam in cœlis. Proinde

Luc. 16. 1. Cor. 10. Leuit. 10. Esa. 66. Psalm. 110. Ezech. 3.

inde quicunque subest alterius imperio, is gloriæ spe oblectare se debet, vt in omni gaudio & patientia opus Domini fiat.

## INTERROGATIO XXX.

CVIusmodi cum animi affectione curam reliquorum fratrum gerere Antistites debent?

## RESPONSIO.


NTISTES ipse neutiquam dignitate illa extolli debet, ne ipse quoque à beatitudine illa excidat, quæ promissa est humilibus, vel etiam *inflatus incidat in iudicium diaboli.* Si quidē illud habere sibi persuasū debet, vt quo præsit pluribus, hoc necesse sit, pluribus vt ministret. Vt igitur qui saucijs multis ministrat, & saniem de singulis eorū vulneribus abstergit, & pro natura vniuscuiusq; mali remedia ei adhibet accōmodata, munere illo neutiquā ad animorum elationē vti consueuit, sed ad demissionem potius, & solicitudinē, ac maiorem quandā curam: itidem, ac multò etiā magis, is, cui totius Fratrum societatis sanandæ prouincia est delegata, perinde vt qui omniū minister sit, & rationē de vnoquoq; illorum redditurus, sic secum agitare animo, & contendere anxiè debet. Hoc enim modo, & illud assequetur, quod propositum est à Domino sic dicente: *Si quis vult esse inter vos primus erit omnium nouissimus, & omnium minister.*

Matt. 5. 1. Tim. 3. Mar. 9.

## INTERROGATIO XXXI.

QVòd nequaquam recusare inferiores debent, quo minus interdum sibi ab Antistite ministretur.

## RESPONSIO.


TQVÈ officia etiam ad corpus pertinentia, quæ ab ijs adhibeantur, qui Principes in ordine existimantur, admittere cæteri debent, qui inferiores sunt. Nam & superiorem humilitatis ratio admonet, vt ministret: & inferiorē, si ministrari sibi patiatur, nequa-

Audienda est hîc S. Augustini cautio ineius Regula Ne apud eos quos oportet esse subiectos dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.

quam facere contra officium, declarat. Hoc enim ita fieri conuenire Domini exemplo, ac discipulorum eius docemur: ac Domini quidem, qui discipulorum suorum pedes lauare ipse dedignatus non sit: discipulorum verò, qui nequaquam contra hoc ausi sint repugnare. Quin qui initio propter eximiam quandam, ac pietatis plenam erga Dominum suum reuerentiam hoc recusauerat Petrus, confestim vbi certior factus est de periculo, quod ijs immineret, qui obedientiam abiecissent, mutatâ sententiâ, obedientiā auidissime est amplexus. Quamobrem non est cur metuere debeat is, qui subiectus est, ne ab humilitate discedat, si quando contingat, vt ipsi ministret, qui Maior sit ipso, quando docendi causa sæpe, & exempli in animis cernentium altius infigendi, potius, quàm quod necessitas id vlla desideret, huiuscemodi officia ab eo solita sunt adhiberi. Obediendo igitur, imitandóque humilitatem suam probet vnusquisque: non autem altercando, per humilitatis simulationem superbiæ, arrogantiæúe munere fungatur. Contradictio enim indicio est, ve lle qui repugnat, eum sui iuris esse; neque alteri parêre. Itaq; superbiæ potius ac contumaciæ signum est, quàm humilitatis, & perfectæ omnibus in rebus obedientiæ. Quapropter necessariò parendum est illi, qui dixit: *Supportantes inuicem in charitate.* Ephes. 4.

## INTERROGATIO XXXII.

QVomodo nos adfectos esse conueniat aduersus propinquos nostros, & cognatos?

## RESPONSIO

NOXIA MONACHIS EST PROPINQVORVM ET CONSANGVINEORVM VISITATIO.



ATQVE illud etiam cauendum est, ne qui intra reliquorum semel recepti fratrum ordinem fuerint, ijs ab Antistite permittatur, vt mente distracti huc illucque cogitatione temere rapiantur, simulatione ve propinquorum visendorum suorum à reliquis fratribus discedant, ac vitam in obscuro sine vllis testibus agant, aut

certè

certè vt curam suscipiant cognatorum secundum carnem, prætextu quouis illis patrocinandi. Si quidē verba hæc MEVM & TVVM in vniuersum à fratribus vsurpari ratio vetat. *Erat* Actor. 4.
enim, inquit, *multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Sanè si cui naturales aut fratres sunt, aut parentes, & eorum vita ex Deo est, ijs à cunctis pariter, tanquam communibus parentibus consuli debet. *Quicunque* enim, inquit, *Dominus, fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, hic frater meus, & soror, & mater est.* Matt. 3.
Porrò huiusmodi curam peculiariter arbitramur ad Antistitem pertinere. Si verò in communi ij, ac vulgari viuendi consuetudine sunt implicati, sine dubio nulla nobis est cum illis societas, quorum studium omne huc ab initio spectauit, vt honestati maxime seruiremus, & sine vlla distractione Deo assiduè cohæreremus. Præter id enim quòd visitatione nostra, vtilitatis ipsis nihil afferimus, incommodum etiam illud accedit, quòd vitam nostram sexcentis curis ac perturbationibus exponimus, eaque re ipsi ad peccandum nobis multiuariam occasionem accersimus. Quin etiam ne si ipsi quidem, qui mandata Dei contemnunt, & pietatis officium pro nihilo ducunt, aliquando ad visendos apud nos propinquos olim accesserint suos, ij recipi intro videntur oportere, veluti qui Dominum non diligant, qui dixit: *Qui non diligit* 2. Cor. 6.
*me, sermones meos non seruat. Quæ autem participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et quod in eo summe est elaborandum, vt ijs, qui se adhuc in veræ pietatis spatijs exercent, omnes ab omni parte ad peccandum causæ circuncidantur: in quibus illa est maxima, recordatió vitæ superioris, nequando id illis vsu veniat, quod dictum est: Quòd *cordibus suis conuersi sunt ad Ægyptum*, quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem ac familiarem congressum solet accidere.

In vniuersum autem nemini est permittendum, neque propinquo, neque alieno, sermonem cum fratribus de re vlla

instituere, nisi de illis id planissimè nobis sit persuasum prius, quibus de rebus collocuturi illi inter se sint, eas ad ædificationē & tranquillam animarum sedationē conducere. Quòd si omnino ad eos, qui se aliquando intro semel ingesserint, necessariò adhibēdus sit sermo, huiusmodi ad eos delegari munus debet, quibus creditum est donum loquendi, tanquam ijs qui scienter ea possint & loqui & audire, quæ ad fidei ędificationem pertineant, cum manifestè Apostolus doceat neutiquam adesse omnibus rectè loquendi facultatem: sed raros esse, quibus datum sit huiuscemodi donum. Sic enim ait: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ*, & alio in loco: *Ut potens sit exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere.*

1.Cor. 12. Ad Tit. 1.

## INTERROGATIO XXXIII.

QVæ ratio tenenda sit in congressionibus cum SORORIBVS faciendis.

## RESPONSIO.



OMNINÒ qui semel iam matrimonium abnegauit, hunc sine dubio solicitudines illas quoq; multò magis par est, abnegaturū fuisse quibus eum angi solere Apostolus ait, qui in matrimonio est; qua ratione videlicet placeat vxori, omnemque prorsus ab sese curam illam ablegaturum, quæcunq; ineundæ causa ab vxore gratiæ suscipi solet, nimirum quia sententiam formidet illius, qui dixit, *Dissipauit Deus ossa eorum, qui hominibus placent*. Ita, ne cum mare quidem, alliciendæ sibi causa voluntatis illius, congredi animum inducet, sed propter studium illud, quod ex mādato Dei vnusquisque proximo debet, si necessitas postulabit, cum eo in colloquium veniet.

Psalm. 52.

Neque verò omnibus tamen nullo delectu quicunq; velint, libera hæc fieri colloquij potestas debet, neq; ad eam rē quoduis tempus, aut locus quiuis aptus existimari: sed si quidem, vt Aposto-

Apostolus præcipit, *sine offensione* futuri sumus cum apud Iudæos, tum apud Græcos, tum apud Ecclesiam Dei, omniaque decenter, ac secundum ordinem facturi, & ad proximi animæ vtilitatem omnia relaturi, necessario personæ, temporis, vtilitatisque, ac loci seruato decoro, haberi delectus debet, quibus simul omnibus & omnis, quæ secus oriri posset praua de nobis suspicionis vmbra depellatur, & documentum certissimũ morum, sanctitatis, pudicitiæque in ijs vbique appareat, qui idonei fuerint iudicati, qui mutuo se conuenirent, & de rebus placentibus Deo, tam ad necessarium corporum vsum, quàm ad animarum etiam culturam pertinentium inter se cõmunicarent.

1. Cor. 10. Ibidem 14. Huius documenti punctualis obseruator fuit Augustinus, vt patet in eius vita.

Porrò hi ab vtraque parte neque pauciores esse debẽt, quàm duo. Si quidẽ & qui vnus est, facilè is causã ad suspicionem dat (ne quid dicã grauius) ad ea quę dicuntur, confirmanda, minus habet auctoritatis, manifestè asserẽtibus sacris literis, *In ore duorum, vel trium stare omne verbum*, neq; plures item quàm tres, ne susceptæ exequendi causa mandati Domini industrię sedulitas retardetur. Cæterum si necessitas postulauerit, vt de ijs, qui in societate sint, aliqui alii aut dicant aliquid, aut audiant, quòd ad illorum quempiam nominatim pertineat, hi nullo modo ipsi inter se in colloquium veniunto: sed qui ætate prouectiores fuerint delecti, ii apud eas, quæ similiter delectæ ætate grandiores sint, quę ab illis tractanda acceperint, tractanto, & his internunciis quicquid necessariò transigendum sit, transigitor. Huiusmodi autem disciplinæ seueritas, non in fœminis modò ad mares, aut vicissim maribus ad fœminas, sed inter eos etiam qui eiusdem sint sexus, conseruator. Porrò hi præter reliquam in rebus omnibus religiosam circumspectionem, vitæque sanctitatem, in percontando etiam ac respondendo prudentiam adhibento, & in iis quæ vltro citroque perferri oporteat, fideles, intelligentesque sunto, vt videlicet, qui se ipsorũ fidei committunt, & voti compotes efficiantur, & quibus de rebus inter se communicauerint, de iis, quin syncerè perlatæ tractatæque sint, omnino nihil addubitent.

Matt. 18.

A QVIBVS ET QVOMODO MVNERA RECIPI DEBEANT. Atque etiam in muneribus ijs, quæ corporis necessarios vsus attingunt, deligi certi debent, qui ijs præficiantur: & hi similiter cum delectu, qui scilicet & ætate cæteris præstent, & cum in gestibus, tum etiam in moribus grauitatem conseruent, ne conscientiam alicuius ad suspicionem prauam percutiant. 1.Cor.10. *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia.*

## INTERROGATIO XXXIV.

CViusmodi esse debent ij, qui res in conuentu vsibus FRATRVM necessarias dispensant?

## RESPONSIO.



ATQVE etiam ijs, qui intus res ad fratrum vsum necessarias distribuunt, prorsus in singulis ordinibus aliqui erunt, qui illos possint imitari, de quibus est Act. 4. in Actis, Solitos eos fuisse singulis distribuere, *prout vnicuique opus erat:* Diligenterque illud circunspiciant, vt faciles se ad omnes, & clementes præbeant, neque suspicionem alicui aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationísve animi propẽsioris, quemadmodum 1. Timo. 5. Apostolus præcipit, sic dicens: *Nihil faciens in alteram partem declinando*, aut contrà simultatis, contentionisq; (quod vitium tanquam ab hominibus Christianis alienum, 1. Cor. 11. idem Apostolus reijcit, cum dicit: *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*) vt ob eam causam, & ijs, quibus infensiores sint, necessarias res subtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius quàm quantum sit opus, largiantur: quorum alterum fraterni est odii, alterum amoris vitiosi, quod est vitium maxime infame. FAVOR QVO QVIS IN ALTERVTRAM PROPENDET ET INCLINAT, VITANDVS ANTISTITI. Quibus ex rebus illud nobis vsu venit, vt mutua & concors conspiratio, quæ ex charitate nasci consueuit,

consueuit, ea distrahatur, & in eius locum suspiciones prauæ, æmulationesque, atque obtrectationes clam arrepunt, & ad labores in operibus administrandis subeundos lentescentis animi cunctatio. Quamobrem cum ob ea quæ dicta sunt, tum ob alia etiam eiuscemodi multa, quæ illa comitantur, ab hac praua animi propensione, ac fauore studioque contentionis, necesse sit, se vt liberrimos atque expurgatos reddant, qui res intus ad fratrum vsus necessarias distribuunt.

Saneque cum ij, tum reliqui omnes, qui aliud quoduis vtile, ac necessarium fratribus munus administrant, eiusmodi & animum adhibere, & studium debent, proinde quasi non hominibus, sed Domino ipsi ministrent, qui pro incredibili sua bonitate delata ijs qui se ipsi cõsecrarunt, honorem ac studium, perinde habet, quasi ea ipse accepisset, & pro his cœlestis se regni hæreditatem daturum promittit. *Venite* enim, inquit, *benedicti Patris mei, hæredes estote parati vobis regni à constitutione mundi, quia quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Similiterque ex contrario, imminens ijs qui negligentes fuerint, periculum intelligere, ac memoria verba illa tenere: *Maledictus omnis, qui facit opus Domini negligenter*, neq; enim à regno excluduntur modo, sed horroris etiam, ac terroris plenissimam Domini aduersus istiusmodi homines latam sententiam illam expectant: *Discedite à me maledicti in ignem æternum paratum diabolo & angelis eius.*

*Matt. 25.*

*Hiere. 48.*

Quòd si qui curam & administrationem adhibent, ij studij sui fructum adeo magnum adipiscuntur, & contra, negligentiæ horribile adeo iudicium expectant: quantâ tandem animi contentione eniti debent ij, qui huiuscemodi munus suscipiunt, vt dignos se præbeant, qui *Fratres Domini* appellentur? Idquod vòce eiusdem Domini doctrice astruitur dicentis: *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, hic* FRATER *meus, &* SOROR, *&* MATER *est*, quando quicunque non totius vitæ suæ actiones ita instituit, vt eas ad Domini voluntatem referat, vt videlicet, & cum integrâ sit vale-

Ee tudine,

tudine, tenendæ causâ charitatis, studiosè se in laboribus, & faciendis operibus exerceat; & cũ ad aduersa laboret, summam tolerantiam, & cum gaudio patientiam adhibeat, hic primo in eo periculo, eoq; maximo versatur, quod alienatus est à Domino, & dum voluntati eius nõ obtemperat, seipsum auulserit à fratrum suorum consortio. Deinde in illo etiam, quod ea indignè audet cõmunicare, quæ parata idoneis sunt. Quocirca necessariò in hoc quoque illorum meminisse nos conuenit, quæ
2. Cor. 6. dicta sunt ab Apostolo, his verbis: *Adiuuantes autẽ exhortamur ne in vacuum gratiã Dei recipiatis*, & operã vt detis, ne, qui vocati in locum fratrum Domini simus, eiusmodi Dei donum in contumelia habeamus: néve magnam adeo dignitatem dum omnimodam eius voluntatem cũctamur explere, prodamus. Sed potius eidem Apostolo pareamus, dicenti: *Obsecro vos ego*
Ephes. 4. *vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.*

## INTERROGATIO XXXV.

NVnquid in vno & eodem pago plures constitui FRATRVM CONVENTVS conueniat?

## RESPONSIO.

SANE huiuscemodi Quæstionem, membrorum similitudo, quam ad res plerasq; commodè vsurpamus, dilucidè nobis explanat: Quoniam igitur superius declaratum est, corpori, quod ad omnia mẽbrorũ officia ex decoro, ac ratione habile futurum sit & articulatim compactũ, opus esse oculis, & linguâ, & cæteris, quęcunq; necessaria, ac præcipua in corpore sunt, mẽbris: arduamq; rem esse, inuentuque difficilimũ, animũ nancisci, qui pluribus præditus esse oculis possit (etenim absoluta seueræ disciplinæ ratio moderatorem CONVENTVS & prouidum, & nec parum eloquentem requirit, & prætereà vigilantem ac mitem, & eiusmodi,

di, qui perfecto corde Dei iustificationes exquirat) quî quæso fieri potest, vt plures tales in vno atque eodē pago reperiantur? Quòd si omninò fors ferat aliquādo, vt duo, trésve reperti sint tales (quod quidem neque factu facile est, neque factum vnquam cognouimus) sanè longè esse videtur præstabilius, si hi gubernandi inter se prouinciam ac solicitudinem cōmuniter partiantur, vicissimque alter alterius laborem subleuet: videlicet vt peregrè profecto altero, aut occupatione aliqua distento, aut alio quolibet casu impedito, quemadmodum vsu venire solitum est plerumque, vt Antistes absit à reliquis FRATRIBVS, præstò sit alter, qui eius desiderium sentiri non sinat. Hoc si non est, ad CONVENTVM alium se conferat, cui opus sit moderatore. Atque etiam magnopere ad id, quod nobis proposuimus, prodesse exēplum potest earum rerum, quas vulgo quotidie cernimus fieri. Vt igitur artium earum, quæ in communi vita versantur, periti, ijs soliti sunt obtrectare, æmulatione quadam mutua qui eiusdem secum sunt artificij, quod res videlicet ipsa naturaliter sensim eorum in animis mutuam inter ipsos parere solita sit: item plerunq; idem ferè in huiusmodi vita solet accidere. Initio enim contentionem à rebus honestis auspicantes, cum inter se certatim alij alios studeant superare, aut hospitibus recipiēdis, aut numero eorū augendo, qui se aggregant exercēdæ pietati, aut muneribus huiusmodi honestis quibusdam fungendis, dū progressus maiores faciūt, postremo in simultates cōtentiosas delabuntur. Quæ res cùm aduenientibus peregrè fratribus magnam & ancipitē curam afferat, & difficultatē (nēpe quibus cum ex labore itineris fessis capienda requies esset, animus necessario sit distrahendus, dubitantibus ad vtros potius diuertant, quādo & hos illis anteponere odiosum est, & tamen vt simul satis vtrisq; fiat, res ipsa non patitur, eoque magis, si fortè necessario ipsis iter vrgere festinantius conueniat) tum ijs etiam, qui tenendæ causa eiusdem cum ipsis vitæ, initio ad ipsos se conferunt, haud mediocrem afferunt animi anxietatem: quandoquidē necessario coguntur addubitare,

CONTENTIONES EX ÆMVLATIONE ALIENÆ VIRTVTIS.

vtrorum magis disciplinæ vitam cõmittant suam, cum id omnino animaduertant fore, vt si se ad hos certa destinatione applicuerint, alios improbasse videantur. Ipso igitur mox initio eos lædi necesse est, quod elatius de seipsis sentiant, quippe qui non se penitus tanquam prorsus rudes, aliorum disciplinæ instituendos, ac veluti formandos tradunt, sed iam tum ordinum iudices, & ceu æstimatores esse assuefiunt. Quocirca cum illud intelligatur, in huiusmodi separata aliorum ab alijs habitatione, certum prorsus & confessum nullum bonum inesse, contraque incommoda manifesta contineri tam multa: sine dubio statuendum est, inutilem esse penitus hanc inter se aliorum ab aliis contubernalium disparationem. Quod si fortè aliqui aliquando in ea reperti fuerint, antequam, ne essent, prouideri potuerit; adhibenda est quamprimum correctio, & maximè, postquã quæ inde incõmoda nascantur, re ipsa experti didicerint. Nam illud, in suscepta semel sententia præfractè velle permanere, manifestæ est peruicaciæ. Si quis autem videtur contentiosus esse, inquit Apostolus, *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Quam enim causam afferent, quominus in vnius corporis compagem agglutinari possint? an eam fortasse, quod necessariarum ad vsum rerum inopia laboraturi minus sint, si disiunctim quilibet vixerint, quàm si coniunctim? Atqui ex longè ipsis, si vnà inter se viuant parabiliores sunt, quibus & lucerna vna, & focus vnus, & si quæ sunt huiusmodi, singula quæque cunctis simul satisfaciant: quando (si qua alia in re) summè in hoc ipso debemus adniti, vt facilitati maximè consulamus, omniique ratione contendamus, vt necessarias ad vitam copias quàm maximè in angustum deducamus. Atque ad hoc illud etiam accedit, quod qui res Fratrum vsibus necessarias externe quæsitas important, iis disiunctis ordinibus, pluribus est opus, coniunctis vero, dimidio paucioribus. Quàm autem difficile sit, virum aliquem nancisci, qui Christi nomen non aliquo pacto dedecoret, & cum foris sit, cum iis, qui communis vitæ consuetudinem

CONCLVDIT VNIRI DEBERE FRATRVM COLLEGIA.

1. Cor. 11.

dinem

dinem tenent, ita congredi sciat, vt cum sua ipsius professione congressio illa aliqua ex parte non discrepet, id me tacente, etiam per vos intelligitis. Ad hæc, qui in huiusmodi distractione permanent, ij quî fieri poterit, vt doctrina cæteros ædificent, qui in cœnobio versantur, illis, si quando vsus fuerit, vel ad concordiam conciliandis, vel ad reliqua conseruanda præcepta cohortandis? qui quòd nolint in vnam inter se ipsi societatem concurrere, prauas in se suspiciones commoueāt? Quin & videmus, quæ ad Philippenses Apostolus scribat. Sic enim ait: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*, sed humilitate alii alios superiores se inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & quæ aliorum. Verumenim quod maius afferri humilitatis exemplum potest, quàm si Conuentuum Antistites vicissim alii aliorum imperio subiiciantur? Si enim spiritualibus donis ambo æquè sunt ornati, præclarius sit, si ambo pariter in certamen descendant vter alterum humilitate vincat, quod à nobis fieri oportere Dominus exemplo illo nos docuit, qui Apostolos miserit binos. Prorsusque ex ipsis alter lætabundus vltro se alteri subiiciet, cum meminerit dictum esse à Domino, exaltatum iri, quicunque seipsum humiliauerit. Sin hic plura habuerit, ille pauciora, præstabilius est, vt qui imbecilior sit, is à valentiore assumatur. Deinde nisi ita fiat, quî non manifestè contra præceptum Apostoli fit? quo iubemur vt non res nostras singuli consideremus, sed & quæ aliorum. Neque enim hoc in eiusmodi distractione existimo posse legitime perfici: quippe videlicet cum ordines singuli, seorsum quisque suorum sibi curam vendicet, aliorum vero minimè ad se putent pertinere. Quæ res manifestè (vt dixi) præcepto Apostoli aduersatur. Neque vero (cum de sanctis illis viris, de quibus est mentio frequens in Actis, testimonia illa proferuntur, quod videlicet *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, & quod omnes credentes *erant simul in eodem loco*,

*Philip. 2.*

*Luc. 18.*

NON IN VEROSANACHORETAS, SED IN SARABAITAS HÆC DETORQVET. *Lege Cassianum.*

*loco, & habebant omnia communia*) est quamobrem dubitare quisquam debeat, vllam in tota illa multitudine disiunctionem fuisse, aut ex ipsis quemlibet seorsum, more suo, solitum degere, quin potius id existimare debet, sub vna & eadem cura vniuersos fuisse solitos gubernari, atque hæc in pleno numero quinque millium. In quibus fortasse non pauca erant, quæ mutuæ eorum inter se coniunctioni hominum ritu ac iudicio viderentur obsistere. Cæterùm cum qui nunc in singulis vicis reperiũtur, adeo inferiores illis numero sint: quæ permittit ratio, hos vicissim alios ab alijs esse disiũctos? Vtinam autem fieri posset, vt non modo, qui in eodem vico, eodemque in loco sunt congregati, huiusmodi, quem dico, statum tenerent, sed plures etiam, qui diuersis in locis constituti sunt, Fratrum Conuentus, ab vna tantum cura, eorũ, qui in offensè, sapienterque rebus omnium possent consulere, in vnitate spiritus & vinculo pacis regerentur.

*Ephes. 4.*

## INTERROGATIO XXXVI.

DE ijs qui à reliquorum Fratrum societate se separant ac secedunt.

## RESPONSIO.

VERVM ENIMVERO, inter quos certis conditionibus & ex professo semel conuenit, vt vnà inter se vno & eodem in loco vitã agerent, ijs nequaquam licitum sit nullo discrimine & inconsulto à communi reliquorum Fratrum corpore auellere se: quando illud quòd quis in suscepta semel sententia non permaneat, duabus de causis contingit, vel ex detrimento videlicet, quod ex necessitudine contubernij nascitur, vel ex mentis instabilitate illius, qui sententiam mutet. Qui igitur fugiendi causa detrimẽti, quod illi ex contubernio nascatur, se ab reliquis fratribus segregat, is nullo modo discessionis suæ causam tenere apud seipsum

ipſum occultam debet, ſed eo modo, quo docuit Dominus, illam detegere, quando dixit: Si peccauerit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, & cętera. Ita enim ſi ſecuta ea, quam quærebat, emendatio fuerit, & fratres lucrabitur, & ſocietatem illorum non aſpernabitur. Sin contrà, in vitio eos perſeuerare, neq; correctioni locum dare animaduerterit, hæc iis nota facere debet, ad quos iudicium huiuſcemodi pertineat. Quod vbi fecerit, tum demum, adhibitis multorum teſtimonijs diſcedat. Neque enim iam à Fratribus ſe ſegregabit, ſed ab alienis: cum Dominus, eum, qui in peruerſitate ſua perſeueret, ethnico aſſimilet ac publicano. Sit enim tibi, qui eiuſmodi eſt, inquit, ſicut ethnicus & publicanus. Qui vero ad relinquendam cæterorum Fratrum ſocietatem à propria animi ſui leuitate impellitur, is ſuam ipſius curare imbecillitatem debet. Alioqui ſi medicinam noluerit admittere, ipſe excluſus à nemine admittatur. Cæterum ſi tenendi cauſa mandati dominici, alius alio diſtrahatur, talis diſtractio neutiquam pro ſegregatione habenda eſt, ſed aſſignati potius vnicuique muneris adminiſtratio exiſtimanda. Aliam præterea cauſam, propter quam quis ſe à reliquorum Fratrum conſortio ſegreget, ratio nullam admittit: Primùm quidem quod nomini Domini noſtri Ieſu-Chriſti, à quo congregati ſumus, infligitur contumelia: deinde quod viciſſim alterius aduerſus alterum conſcientia pura eſſe non poteſt, quod ſcilicet mutuo inter ſe, alter alterum ſuſpectum habeat. Hoc autem manifeſtè repugnat præcepto Domini qui dixit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd Frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vadens, prius reconciliare Fratri tuo, & tunc reuerſus offer munus tuum.* Matth. 5.

IN-

## INTERROGATIO XXXVII.

NVnquid per simulationem orationum, psalmodiæ negligi opera debeant? & quæ sint ad orationem apposita tempora, & primo an oporteat laborare.

## RESPONSIO.



VM Dominus noster Iesus-Christus dicat; Dignus est, non simpliciter, neque sine vlla exceptione, quilibet, sed operarius cibo suo: cumque Apostoli præceptum sit, qui fatigari & laborare nos iubet *proprijs manibus* quod bonum est, vt sit nobis, vnde egentibus tribuamus: sanè, quin studiosius sit laborandum re ipsa liquet, neque enim causa ad inertiam, aut laboris fugam spectante, vita secundum pietatem instituta existimari debet, sed materia potius subeundi certaminis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantiæ: vt nobis quoque vere liceat dicere, *In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti*: Cum non ad corporis castigationem modo, vtilis nobis huiusmodi vitæ ratio sit, sed ad charitatem etiam erga proximum: si videlicet de fratribus nostris, ijs, qui valetudine aduersa laborent, necessaria per nos Deus vitæ subsidia subministret, conuenienter exemplo illi, quod propositum nobis in Actis est ab Apostolo. Sic enim ille ait: *Omnia ostendi vobis, quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Et alio in loco: *Vt habeat vnde tribuere possitis necessitatem patienti*, quò scilicet digni habeamur, illud audire: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere.* Verumenim quantum ex otio mali sit, quid attinet memorare, cum Apostolus apertè præcipiat, vt qui non laborat, is nec manducet etiam. Sicut igitur vnicuique ad vitæ sustentationem necessarius est cibus quotidianus, item nihilominus vnicuique in opere faciendo necessaria industria est. Neque enim temere

Marginal notes: *Matt. 10.* *Ephes. 4.* — γνώμη multis paradoxa. — *2. Cor. 11.* — *Actor. 20.* *Ephe. 4.* — *Matt. 25.* — OTIVM RELIGIOSO MAXIME VITANDVM.

temere laudis loco positum fuit illud à Salomone, *Panem otiosa non comedit*. Itemque ab Apostolo de seipso dictum est illud: *Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes*. Atqui tamen licebat ei, cum Euangelium prædicaret, de Euangelio viuere, si voluisset. Quin Dominus etiam ipse pigritiam cum malitia coniunxit, cum dixit: *Serue male & piger*. Idem præterea vir sapientiæ gloriâ excellens Salomon, non solùm ex ijs, quę à me memorata sunt modò, virum gnauum laudat, sed ignauum etiam castigat, illâ ex tenuissimarum bestiolarum comparatione, cum dicit: *Vade ad formicam ô piger*. Proinde metuere debemus, ne aliquando nobis hoc in die iudicij obijciatur: quum qui ad excipiendos labores idoneas nobis vires suppeditauerit, is parem quoque illis à nobis in laborando industriam reposcet. Quoniam cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

*Prou. 31.* *2. Thess. 3.* *Matth 25.* *Prou 6.* *Luc. 12.*

Verumenim quia sunt nonnulli, qui orationum prætextu, psalmodiæ ve, necessarios in exercendis artificijs labores defugiunt: illud est intelligendum, certis quidem alijs quibusdam in rebus esse certam vnicuique temporis tempestiuitatem, vt est apud Ecclesiasten, qui omni negocio suum esse tempus dicit: Orationi verò, & psalmorum modulationi, sicut in alijs etiam plerisque nullum non esse tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam (quandocunque id fieri potest, aut expedit potius, & ad fidei ædificationem conducit) munere hoc fungi possimus: Sin id minus, corde certe in *Psalmis & Hymnis, & canticis spiritualibus* Deum collaudemus, sicut scriptum est, atque ita orationi satisfaciamus: interim dum laboramus, gratias agentes Deo, qui ad opera facienda manuum vires nobis suppeditauerit: itemque ad percipiendam artium singularum cognitionem, ingenium largitus sit: materiamque donauerit, ex qua instrumenta conficerentur, tum eam etiam, quę artibus ijs esset subiecta, quam in manibus habeamus operantes: simulque etiam ipsum orantes, vt opera manuũ nostrarum

*Eccles. 3.* *Col. 3.*

dirigantur ad eum finem, vt ipsi placeamus. Hoc modo etiam mentem à futilibus cogitationibus cohibemus, quandocunque in singulis, quæ administramus, operibus, conficiendi felicitatem à Deo postulamus, & ei gratias agimus, qui ad ea administranda vires nobis tribuerit, & à proposito ineūdæ gratiæ illius non aberramus, sicut ante dictum est. Etenim nisi hæc ita se habeant, qui fieri potest, vt inter se illa concordent quæ
Col. 1. 2. Thes. 3. dicta sunt ab Apostolo? & illud videlicet, *Sine intermissione orantes*, & illud, *Nocte & die laborantes.*

De Horis Canonicis. Neque vero tamen, quanquā hanc assiduè, atque adeo omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa præcepit, & nos eam vitæ nostræ necessariam esse, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas obseruari in conuentibus solenne est & quotidianum. Si quidem ea re à nobis necessariò huiusmodi tempora delecta sunt, quòd, in eorum singulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum est
MATVTINAE HORAE CVR INSTITVTAE. commemoratio. Ac matutinum quidem, vt primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque vllius rei curæ ante aditum ad nos demus, quàm nos in cogitatione de Deo
Psal. 76. Prima. oblectauerimus: sicut scriptum est, *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quàm illud fecerimus, quod dictum est: *Orabo ad te Domine: mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi.*
Psal 5. Tertia. TERTIA verò HORA, vt in ea ad orationem surgatur, Fratresque omnes in vnum congregentur, licet diuersis in locis, alij in alijs operibus sint occupati: idque ea re, vt admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc ipsam horam Apostolis datum fuit, vno eodemque animo cuncti illum venerentur, ab eoque petant, vt & ipsi digni sint, qui sanctificatione suscipiant: simulque vt salutaris sibi doctrinæ, & recti itineris dux esse, & auctor velit, illum imitantes, qui dixit: *Cor mundum crea in me*
Psal. 50. *Deus, & spiritum rectū innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi*

*mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Et *Psal. 141.*
alio in loco: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, atque ita denuo ad intermissa opera redeatur.

Quòd si fors aliquos vel propter operum, vel propter locorum naturam eo tempore abesse longius contigerit, quàm vt vnà cum reliquis præsto esse possint, ij vbicunque fuerint, ea necessariò ibi exequi debent, quę communiter statuta sunt, nihil hæsitantes omnino. Quia *vbi sunt duo vel tres congregati in* *Matt. 18.*
*nomine meo*, inquit Dominus, *ibi in medio eorum sum*. Porrò SEXTA HORA, sanctorum exemplo, necessariam esse orationem *SEXTA.*
iudicauimus, apud quos est: *Vespere & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. In qua quidem, *Psal. 54.*
vt liberemur ab incursu & dæmonio meridiano, nonagesimus etiam psalmus reciterur. De NONA verò, quòd ea ad oratio- *NONA.*
nē nobis necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, quòd *Petrus & Joannes ascendebant in templum* *Actor. 3.*
*ad Horam orationis Nonam*. Completo verò iam die, pro ijs *VESPERAE.*
omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis euenerint, gratiarum actio succedet: eorumque, quæ vel per consensum aut secus contra animi sententiam prætermissa sint, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibúsve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Si quidem ad similia peccata iterum euitanda, valde vtilis est præteritorum consideratio. Iccirco Dauid dicit: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*. Tum autem primis se *Psal. 4.* *COMPLETORIUM.*
iam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, vt quies, *Psal. 90.*
quam sumus capturi, inoffensa & ab omni perturbatione ac vitio libera sit: qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari psalmus debet. De tempore autem dimidiæ noctis, quod id *HORA MEDIAE NOCTIS.*
ad orationem necessarium sit, traditum nobis est à Paulo & Sila in Actis. Scriptum est enim sic: *Circiter autem mediam noctem* *Actor. 16.*
*Paulus & Silas laudabant Deum*. Atque hoc quidem etiam concentor psalmorum confirmat, sic dicens: *Media nocte* *Psal. 118.*

*surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ*. Pòst anteuertendum diluculũ est, & ad orationem surgendum, cauendumq́; ne dies nos in lectulo dormientes opprimat: & ille imitandus, qui dixit: *Præuenerunt oculi mei diluculũ, vt meditarer eloquia tua*. Porrò ex his omnibus, quæ diximus, statis tẽporibus, nullũ ab ijs prætermitti debet, quorum vitæ propositum est, vt quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei, & Christi eius referant. Atque vtilis etiam, meo quidem iudicio, hæc in orationibus, & psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas est, atque varietas, ob eam causam, quòd in perpetua similitudine & æqualitate rerum animo nescio quo modo torpedo quædam plerumque oboritur, atque tædium, eaque re aliud agens, ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateq́ue cum psalmodiæ, tum singularum horarum rationis & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur.

## INTERROGATIO XXXVIII.

HActenus sermone tuo nos docuisti, & orationem, nullo pacto omittendam & in operibus laborem necessariũ esse: reliquum est iam, vt doceamur, cuiusmodi artificia professioni nostræ conueniant.

## RESPONSIO.


OMNINO etsi artes quasdam præcisè statuere, in quibus nos versari conueniat, haud facilè est, quod aliæ alijs magis sunt oportunæ: quemadmodùm videlicet cum locorum, tum negociationum, quæ in singulis regionibus tractãtur, & natura & commoditas desiderat: in vniuersum tamen harum describi & consignari delectus quidam potest. Ac nimirum eæ videntur esse, quæcunque vitæ nostrę & quietem, & tranquillitatem conseruent, quarum scilicet neque materia magno labore quæratur, neque opera, magna solicitudine diuendantur: similiterq́ue illæ omnes, per quas

quas neque virorum, neque mulierum indecoros congressus nobis conciliant & noxię. Si quidem omnibus in rebus illud peculiariter debemus spectare, vt simplicitatem ac frugalitatem teneamus: & illud summopere fugiamus, ne inseruiamus stultis ac planè noxijs hominũ cupiditatibus, ijs efficiendis, quæ in studio apud ipsos esse animaduerterimus. Quocirca & in telis texendis, in ea modo opera, nostra à nobis industria conferetur, quæ in quotidiano communiq; vitæ vsu apud omnes sint: ijs penitus reiectis, quæ libidinosis mulierculis inuenta sunt, ad captandos, ac laqueis irretiendos miseros adolescentulos. Similis quoq; in consuendorum calceamentorum artificio tenenda à nobis ratio erit, vt videlicet earum rerum in illa arte ministri simus, quæ ad necessarium modo hominum vitæ vsum requiruntur.

QVALIA ESSE DEBEANT OPERA MONACHORVM.

Cæterum & ædificandi ars, item fabrilis lignaria & æris cudendi, & agri colendi disciplina, etsi suapte natura ad vitam necessaria sunt, & magnam vtilitatem adferunt, ac ne suopte quidem genio sunt à nobis repudiandæ: tamen quandocunq; aut quietem nostram perturbare, aut Fratrum vitę coniũctionem videbuntur distrahere, tum necessario à nobis semper declinari debent: maioreq; in precio habendæ sunt artes illæ, quarum exercitatio eiusmodi sit, quæ neque nos distrahat, neq; impedimẽto sit, quominus Deo assiduè cohæreamus, & quæ neque à temporibus psalmodiæ, orationisve aut reliquæ disciplinæ constantia eos auocent, qui studio pietatis operã dant. Si quando autem eiusmodi in ijs nihil inesse animaduersum sit, quod præcipuum vitæ nostræ propositũ impedire videatur aut hinc nihil noxæ contrahere, multis sine dubio hæ alijs anteponi debent, & maxime agricultura, quando ex ea facillimè res ad vitæ vsum necessariæ haberi possunt: & qui in ea versantur, nullas hi sursum, ac deorsum cursitationes coguntur subire, modo, vt diximus, ea nobis neque à vicinis, neque ab accolis tumultus afferat, aut turbas.

## INTERROGATIO XXXIX.

QVæ ratio teneri debet in vendendis mercibus, quomodoque peregrinatio suscipi?

## RESPONSIO.

ATQVE illud etiam studendum est, ne quæ fecerimus opera, ea in longinquas quasdam regiones exportemus: néve venditionis causâ, temere nos in publicum demus. Si quidem honestior est ea, quæ fit vno & eodem in loco permansio, vtiliorque cum ad mutuam ædificationem, tum ad perfectam quotidiani victus conseruationē. Itaq; vt quieti consulamus, detrahendū est aliquid de precio potius, quàm modici lucri causa peregrè lōgius abeundum. Cæterum si hoc fieri non posse vsus ipse docuerit, ne suscepta huiuscemodi de causa peregrinatio infructuosa nobis accidat, deligere nos & ciuitates & loca oportebit hominum religiosorum, eóque statis nundinarum temporibus plures vnà simul Fratres concurrere, nobiscumque quisque, quas elaborauerimus, merces afferre, communiterque cuncti iter inire, viamque psallendo, orandoque, nosque vicissim alter alterum ædificando, conficere: ac postremò vbi ad locum iam peruenerimus, quem petebamus, eadem communiter cuncti hospitia capere, idque cum mutuæ custodiæ causa, tum vt nullum nos orationis tempus neque diurnum, neque nocturnum effugiat: tum etiam, vt improborum ac fraudulentorum hominum congressus minore noxa euadamus, si in multorum societate simus, quàm si soli tantummodo, quando etiam qui iniuriosissimi sunt, iniuriarum suarum testes habere multos recusant.

INTER-

## INTERROGATIO XL.

De nundinis illis, quæ in sanctorum celebritatibus fiunt, quid?

## RESPONSIO.


ERVM ENIM VERO, neque nundinationes illæ, quæ ad sepulchra sanctorum martyrum celebrari solitæ sunt, conuenire nobis putandæ sunt: neque enim vllam aliam ob causam adesse decet Christianos ad martyrum conditoria aut istis contigua loca inuisere, quàm orandi causa, & vt sanctorum constantiæ admoniti, in qua illi ne pietatem amitterent, ad necem vsque fortiter perseuerarunt, ipsi quoque ad similis fortitudinis æmulationem incitentur. Nimirum memoriâ tenendum est illud, quàm terrifica & formidabili ira olim exarserit Dominus, qui cùm semper & vbique mansuetus & humilis corde fuisset, in eos tamen solos flagellum intendit, qui circum Templum vendendis emendisque, mercibus operam dabant, quippe quasi nundinatio illa *orationis domum in latronum speluncam* conuerteret. Neque verò quod alij ante nos fuerint, à quibus solita olim in diebus sanctorum festis obseruari consuetudo, violata sit (quique cum inter se alij pro alijs orare deberent, & vnà cum pluribus Deum adorare & lachrymas offerre, ab eoque cum peccatorum veniam poscere, tum de acceptis beneficijs gratias agere, sese que mutuis vicissim cohortationibus in pietate vera confirmare & ædificare; id quod etiam memoria nostra vsurpari fuisse solitum scimus, pro his omnibus forum, ac nundinas, & communem mercatum & tempus illud & locum efficiunt) ob hoc statim nos quoque illos imitari par est, & hoc modo auctoritate nostra prauam illorum consuetudinem confirmare: sed conuentus illos exprimere potius, de quibus in Euangelijs mentio est, præsente Domino nostro Iesu-Christo solitos celebrari, & in his, quæ ab Apostolo descripta sunt, veluti.

CONSVETVDO PRAEIVDICANS PIETATI ABROGANDA.

veluti huiuscemodi vitæ instituto conuenientia, facere. Scribit autem sic: *Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.*

1. Cor. 14.

## INTERROGATIO XLI.

### De auctoritate Superiorum, & Obedientia, quid?

## RESPONSIO.



ÆTERVM in his, quæ concessa sunt artificijs, neutiquam permittẽdum est vnicuique vt arbitratu suo discat quod velit: sed illud tantummodo, ad quod aptum esse illum Antistites iudicauerint. Qui enim seipsum abnegauit, seseque voluntatibus suis omnibus spoliauit, is non quod vult, facit, sed quod docetur. Neque verò ratio permittit, eum sibi ipsi quod expediat deligere, qui gubernationem sui alijs tradiderit. Si quidem hi esse debent, qui ad quamcumque rem habilem esse illum iudicauerint, arbitratu suo in nomine Domini ipsum instituant. Qui autem ipse in deligẽda sibi aliqua arte munerève cupiditati suæ obsequitur, is planè sibi notam inurit, seque prodit, primo se sibi ipsi placere, documento est inde artem illam cæteris anteponere, aut propter gloriam vitę huius, aut lucri spem, aut aliud aliquid id genus in eam artem propensiore sit affectu, aut postremo propter ignauiam, pigritiámve, quod ea videlicet laboris sit leuioris. In quo autem hæc insunt, ab hoc planissimè intelligi potest, nondum absterſas esse omnes animi morborum labes. Sed neque semetipsum abnegauit, qui suis ipse affectibus perficiundis obsequitur, neque rebus vitæ huius nuncium verè dici potest remisisse, si eum adhuc vel compendij, vel gloriæ admiratio tenet: itemque nullo modo membra sua, quæ sunt super terram mortificauisse, ille qui necessarium in faciendis operibus

QVI SE PRIVATA VOLVNTATE EXVIT, NON QVOD VVLT SINENDVS EST FACERE.

operibus laborem non ſuſtinet, quin potius is eſſe ſe arrogantem & pertinacem declarat, qui ſuum, qui vnus eſt, iudicium melius eſſe arbitretur quam aliorum, qui plures ſunt. Quamobrem ſiue quis artem aliquam tenet, eaque cæterorum Fratrum iudicio non improbatur, nequaquam is eam confeſtim abijcere debet (eſt enim animi inconſtantis, & infirmi iudicij, temerè aſpernari quæ habeas) ſiue non habet, non ſibi ſua ſponte aſſumito ipſe: ſed quæ probata à maioribus fuerit, ad illam ſe accommodato, idque ea re, vt vbique obedientiam conſeruet. Quemadmodum autem vnumquēque ſua ſponte quod ipſi placitum ſit, eligere, indecorũ eſſe docuimus: item quoque pari ratione putandum eſt in vitio eſſe, ſi quis quæ alij probauerint, ipſe recuſet. Quin potius, ſi quis etiam artem aliquam habeat, cuius tractatio cõmunitati Fratrum non placeat, æquiſſimo animo abijcere illam debet: illudq́ue declarare, nulla ſe rei vllius vitæ huius cupiditate adductum teneri, quãdo perficere voluntates cogitationum, eſt illius, qui ſpem non habet, vt eſt apud Apoſtolum: contraq́ue, exprompta vbique omnibus in rebus obedientia, laudi ſemper tribuitur: cum idem Apoſtolus laudet quoſdam, ac dicat, Semetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis propter voluntatem Dei. Cæterum aſſignato iam ſibi artificio, vacare vnuſquiſque attente debet, ſtudioſeq́ue inuigilare, & nihilo ſecius, quaſi inſpectore Deo, ſumma ſedulitate, & attentiore cura accuratiſſimè illud exercere, vt fidenti animo ſemper dicere illud poſſit: *Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manus ſpectant Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum:* non item ab hoc ad aliud temerè reſilire. Neque enim natura noſtra plura ſimul aſſequi ſtudia poteſt: multoq́ue eſt præſtabilius vnum modo ſolerter & induſtriè confeciſſe, quam multa attentaſſe, quæ neceſſario poſtea ſint relinquenda. Si quidem quæ ad res plures animi ſit diſtractio, & mentis identidem modo ad hanc, modo ad illam applicatio, præterquam quòd opus nullum perfectè perduci ad exitum ſinit, etiam morum leuita-

leuitatem, vel si inest, arguit, vel si non inest, ingenerat.

Si quando autem necessitas postulet, vt reliquis etiam artibus subueniatur, sanè par est is vt auxilietur, qui cōmodè possit: neque id suapte sponte, sed arcessitus: non quod hunc ad id muneris obeundum quasi illi præcipuum, accersamus, sed casu quopiam circunstante: idque imitari, quod in membris corporis solitum est vsu venire, in quibus si pes ab officio suo per claudicationem aberrauerit, manu solemus inniti ac suffulcire corpus reliquum. Vicissimque, quemadmodum sua sponte ad artem aliquam assilire ac velut vtilitati repugnat: sic nolle admittere quod iussus sis, castigatione dignum est: idque ea re, ne & arrogantiæ vitium in nobis alatur, & morigeræ & ad omnia persuasibilis obedientiæ disciplina pessum eat ac dissoluatur. Cæterùm cura instrumentorum quanquam ad eum præcipuè videtur pertinere, vt quis cuique artificio præpositus sit: nihilominus tamen, si fors tulerit, vt ex ijs aliquod aliquando neglectum fuerit, id perinde vt res, quæ ad omnes æquè pertineat, eo modo, quo par fuerit, ab ijs debet accurari, qui id primi animaduerterint, licet enim illorum tractatio vnū aliquem seorsum priuatim attingat: attamen, quæ ex eo nascitur vtilitas, ea promiscuè in cunctos redundat. Nam quæ alterius sint artis, ea perinde, ac si sua nihil interesset, contemnere, argumento ipso tantidem fuerit, ac si alienaret. Veruntamen neque qui artes tractant, ij pertinentium ad illas ipsas instrumentorum vindicare sibi dominium debent, ita videlicet, vt aut Antistiti fratrum ijs arbitratu suo vtendi potestatem non faciant, ad quam ipse cunque rem velit: aut eorum ipsi, vel vendēdorum, vel permutandorum, aut alioqui alienandorū ius ad arbitrium reuocent suum: aut præter ea, quæ habent, aliorum comparandorum, penes se esse potestatem velint. Nam qui in eo semel animum obfirmarit, vt ne suarum quidem ipsius manuum esset Dominus, & alterius arbitrio permisit dispensandum, quicquid possent conficere operis: quo pacto non is à seipso videatur dissentire, si eorum, quæ ad artium exercitationem necessaria

ſaria ſint, inſtrumentorum, poſtulet, vt ius penes ſe ſit? in eaque dominij ſibi auctoritatem vſurpet?

## INTERROGATIO XLII.

CViuſmodi conſilio, aut animi affectione laborare ij debent, qui laborant?

## RESPONSIO.



ATQVE illud etiam intelligendum eſt, cum qui laborat, nequaquam id eo animo facere debere, vt neceſſitatibus inſeruiat ſuis, ſed vt Domini præcepto ſatisfaciat, qui dixit: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Quando illud vnumquemque ſuiipſius cauſa ſolicitum eſſe, vetuit idem Dominus, cum dixit: *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini:* quibus adiecit: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Quamobrem in ſuſcipiendis laboribus, illud ſpectare vnuſquiſque debet, vt per ipſum, qui in egeſtate ſunt, ſubleuentur: non autem, vt commodis ipſe prouideat ſuis, ſi quidem hoc modo, & crimen ſeipſum immodicè amantis effugerit, & fraternæ charitatis benedictionem à Domino inuenerit, qui ſic dixit: *Quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Neque verò his, quæ hoc loco à nobis dicuntur, Apoſtoli verba illa aduerſari quiſquam exiſtimet, vt operantes panem ſuum manducent. Siquidem hoc ad ordinis & laboris deſertores dictum eſt, perinde ac ſi ipſis diceret, præſtabilius eſſe vnumquemque neceſſaria ſibi ſaltem ad vitam præſidia parare, neque alijs grauem eſſe, quàm vitam in ocio traducere. *Audimus enim*, inquit, *quoſdam inordinatè ambulantes inter vos, nihil operantes, ſed curioſè agentes. His igitur, qui eiuſmodi ſunt, denunciamus*, inquit, *& obſecramus, vt cum ſilentio operantes ſuum ipſorum panem manducent.* Et illud: *Nocte & die operantes,*

SVPER HAC MATERIA LEGE S. AVGVSTINVM LIBRO DE OPERE MONACHORVM

*Matth. 25.*

*Matth. 6.*

*Matth. 25.*

*2. Theſ. 3.*

*Ibidem.*

*2. Theſ. 2.*

2. Thes. 2. *ne quem vestrum grauaremus*, nimirum eodem etiam pertinet quippe cùm Apostolus ad commonendos ordinis desertores, charitate fraterna impulsus, ipse seipsum laboribus vltra præscriptum sibi, sua sponte subijceret.

Cæterum eius, qui ad perfectionem contendit, est, diem
Ephes. 4. noctémque assiduè laborare, vt habeat *vnde tribuat necessitatem patienti*: quando qui in seipso, aut in eo etiam, ad quem cura pertinet distribuendarum rerum cuique necessariarum, positam spem habet, & laboris susceptionem, siue suam, siue eius, quicum est, satis magnum sibi ad degendam vitam subsidium existimat: huic, quatenus in homine spem ponit, magnopere est metuendum ne in execrationem illam incidat:
Hier. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*: & fulcit carnem brachij sui, & defecit à Domino anima eius. Quæ verba cum dicunt, Qui confidit in homine, illud præcipiunt, nequaquam spem in altero poni debere. Cum autem, Et fulcit carnem brachij sui, in se sui habendam fiduciam vetant. Horum autem vtrumque defectio à Deo nominatur. Similiterque etiam exitus adiungitur vtriusque: *Quia erit tanquam myrica syluestris in deserto, neque videbit quando venient bona*. Quibus verbis illud ostenditur, quòd spem suam siue in seipso ponere, siue in alio quouis, nihil est aliud quàm deficere à Deo.

## INTERROGATIO XLIII.

PRorsus, quod attinet ad eam rationem, quam in artium exercitatione teneamus, satis iam abs te nobis demonstratum est: extra quam, si quid fortè reliquum sit, quod vsus ipse postea nos doceat. Cæterum illud planius abs te nobis nunc cupimus explicari, cuiusmodi esse in Conuentibus Antistites conueniat, quomodoque ab iis, qui in eorum disciplina sint, Fratres gubernari.

RESPON-

## RESPONSIO.



MNINO, etsi veluti summatim dictum est etiam de hac parte: attamen quoniam (neque hoc iniuria) eam planius etiam vobis cupitis explanari, quòd quales Principes ac Moderatores sint, tales etiamplerumq; existere soliti sint cæteri, necessariò accuratius etiam tractari hic locus debet. Conuenit igitur, vt qui in conuentu reliquis Fratribus præest, is præceptum illud Apostoli memoria teneat: ***Exemplum esto fidelium***. Vitamque suam exercendorum Domini mandatorum exemplum præbeat euidentissimum, vt videlicet iis, quos docendos susceperit, caussam nullam reliquam faciat, quamobrem præcepta Domini, aut contemnenda, aut eiusmodi, quæ nemo assequi possit, esse arbitrentur. Principio igitur hoc esto primum, Antistitem nimirum Conuentus præferuidâ erga Christum charitate sui modestiam animi studio propensiore exprimere debere, adeò vt vel tacens ipsis suis operibus exemplum non fucatæ humilitatis relinquat quouis sermone multo efficacius, ad communem Fratrum doctrinam. Etenim si Christianæ vitæ limes eo pertendit, vt Christum imitêre iuxta proportionem assumptæ ab eodem carnis, ex eo, quòd ad vocationem cuiusque pertineat: sine dubio, quibus ea data prouincia est, vt ipsi cæterorum duces sint, ii opera sua & intercessione imbecilliores adhuc deducere ad Christi assimilationem viam prçstruendo debent, & ea re beatum Paulum imitari sic dicentem: ***Imitatores mei estote, sicut & ego Christi***. Proinde primi ipsi obseruanda ea, quæ à Domino nostro Iesu Christo tradita est, summissioris animi & humilitatis regula, clarissimum reliquis & absolutum virtutis huius esse exemplum debent. ***Discite*** enim ***à me***, inquit, ***quia mitis sum & humilis corde***.

QVALES SVPERIORES, TALES PLERVMQVE SVBDITI.

1. Tim. 4.

1. Cor. 11.

Matth. 11.

Morum igitur mansuetudo, & humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis veluti insignia sunto. Si enim Dominus disci-

pulis suis ministrare non erubuit, sed terræ ac luti, quod ipse finxerat, & hominis forma figurauerat, minister esse non recu-
Luc. 22. sauit: *Ego* enim *in medio vestrum sum*, inquit, *sicut qui ministrat*, quid est tandem, quo erga æquales nostros præstando, illius imitationem assecutos nos existimare possimus? Hoc igitur est quod primum & eousque magnum in Antistite requiritur.

Tum clementem esse ipsum oportet, eiusmodique qui per rerum inexperientiam in officio delinquentes leniter sufferat: non tamen qui obticescat ad peccata, sed immorigeros ac detrectantes imperium clementer toleret, & ipsis cum quanta maxima possit lenitate, moderationeque medicinas adhibeat. Idoneum præterea, qui accommodata eorum morbis remedia comminiscatur & excogitet, non atrociter obiurgantem,
2. Tim. 2. sed in mansuetudine monentem, clementerque corripientem, sicut scriptum est. Eundemque in rebus præsentibus administrandis peruigilem & attentum, in futuris prospiciendis sagacem, talemque, qui & certare cum valentibus possit, &
Roman. 15. infirmorum imbecillitates portare, cuius cùm dicta, tum facta omnia ad illorum, quorum disciplinæ præsit, perfectionem pertineant: non qui sibi ipse prælationem assumat, sed qui à cæteris, qui auctoritate in Conuentibus præstent, delectus sit, & satis magnum in Superiore vita documentum dederit pro-
1. Tim. 3. bitatis morum suorum. Nam & *hi*, inquit, *probentur primùm & deinde ministrent, vt nullum crimen habentes*. Quod similiter quoque in hoc seruari debet, quem diximus: quò videlicet sic creatus, Fratribus ipse ordinem disciplinæ præscribat, quem sequantur, operaque dispartiatur in vnum quemlibet prævt viderit expedire.

INTER-

## INTERROGATIO XLIV.

QVibus permitti debeat, vt domo peregre proficiſcantur: quomodoq́ue item ij, cum ſe domum receperint, interrogandi ſint?

## RESPONSIO.

PEREGRINANDI quidem poteſtatem ei permittito, qui in peregrinatione ſine animæ ſuæ detrimento, & cum vtilitate eorũ, quibus cum congrediatur, poſſit verſari: quando, niſi idoneus aliquis affuerit, longè eſt præſtabilius ſummam rerum omniũ neceſſariarum penuriam perpeti, atque egeſtatem, etiã ſi propterea ſubeunda mors ſit, quàm ſubleuãdę neceſſitatis corporis cauſa, perſpicuum & omnibus confeſſum animæ detrimentũ negligere. *Bonum eſt* enim, inquit Apoſtolus, *mibi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet*. Et hoc in ijs, quæ liberè vnicuique licet omittere. Quanto igitur impenſius in iis, de quibus præcisè extat mandatum? Quanquam huic ipſi etiam incommodo medetur lex charitatis. Si enim inciderit aliquando, vt in Conuentu aliquo deſit, qui tutò commodéve foras poſſit amandari, neceſſitati huiuſcemodi ſatisfacient ii, qui loco proximi erunt, quum & communia itinera faciant, & abſentes à domo, viciſſim alii ab aliis nunquam ſeparentur, vt tam qui animi, quàm qui corporis etiam viribus imbecilles ſunt, ij hoc modo cum valentioribus coniuncti, incolumes ac vegetiores conſeruentur. Quod quidem multò antè prouidere debet, is cui procuratio neceſſariorum concredita eſt, ne in ipſo poſtea neceſſitatis articulo, rebus iam in ſummas anguſtias adductis, remedium ipſi ex tempore quærendum ſit. Cæterum, vbi qui emiſſus fuerit, domũ iam ſe ex peregrinatione receperit, eum diligenter percõtator, quid abſens interim egerit, in quorũ hominum

DE FRATRIBVS PEREGRINIS.

1. Cor. 9.

minum

NOTA EXACTAM RATIONEM PEREGRINANTIVM FRATRVM. minum congressus inciderit, cum illis quos sermones contulerit, in cuiusmodíve secum ipse cogitationibus sit versatus, num assiduè die noctuque in Dei timore permanserit, an à recta semita interdum aberrarit, & à communi decreto aliquid innouarit, idque terrore perculsus externarum calamitatum, an propria socordia lapsus. Et quod rectè ab ipso factum audierit, approbatione confirmato: Quod autem contrà, vitiosè, leni cura prudentique admonitione corrigito. Ita enim & attentiores esse assuescent, qui itineribus se dabunt, si de reddenda ratione soliciti sint: & nos, quamdiu abiuncti illi à nobis permaneant, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere..

Porrò huiuscemodi etiam, de qua loquimur, consuetudinem ex Actorum historia accepimus solitam fuisse à veteribus sanctis viris vsurpari. Si quidem ex ea docemur, quemadmodum & Petrus, cum se Hierosolymam recepisset, iis qui tunc in ea ciuitate erant, rationem reddiderit eius societatis, quæ sibi cum gentibus fuisset. Similiterque, quemadmodum Paulus & Barnabas reuersi ex peregrinatione, congregatæ ab ipsis Ecclesiæ renunciauerint omnia, quæcunque Deus fecisset cum illis. Et alio in loco, quemadmodum siluit omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quæcunq; fecisset per illos Deus.

Acto. 11.
Ibidem 13.
Actor. 4.

Illud tamen hoc loco intelligendum est, nundinationes, & quæstus illos omnes, qui caupones attingunt, Fratrum Conuentus longissimè fugere debere.

## INTERROGATIO XLV.

QVòd præter Antistitem alius etiam esse aliquis debet, qui illo absente aut alioqui occupatione aliqua distento, Fratrum ipse curam possit suscipere.

RESPON-

RESPONSIO.



ERVM ENIM quoniam incidit sæpenumero, vt vel ob valetudinis imbecillitatem vel peregrinandi necessitatem, vel aliam quamuis ob causam abesse à reliquorum Fratrum Conuentu, necessariò Antistes cogatur, alius etiam esse præter ipsum debet, qui cum ipsius, tum cæterorum etiam Fratrum diligenti animaduersione circunspectioneque adhibitis, ad hoc delectus sit, vt absente illo curā in se Conuentus recipiat: vt & qui remanserint, vnius consilio gubernentur, neq; absente magistro, ad formā quandam popularis reipublicæ status, familia traducatur: atque eo modo regula, & traditæ disciplinæ seueritas imminuatur: Sed quę de communi omnium sententia adscita à cuncto collegio instituta fuerint ad Dei gloriam conseruentur: atque vt sit, qui accedentibus ad nos hospitibus, prudenter sciat respōdere: quò videlicet & qui aliquid audire à nobis desiderant, pro propositi argumenti dignitate ædificentur, & commune Fratrum collegium neutiquam dedecoretur. Nam hoc quòd passim omnes sine vllo discrimine ad dicēdum assiliant, præterquam quòd tumultus causa est, etiam signū est perturbatæ disciplinę, cum Apostolus ne ijs quidem, quibus delatum fuerat donum rectè docēdi Dei verbum, pluribus simul loqui licere voluerit. Sic enim est apud ipsum: *Quòd si alicui reuelatum fuerit sedenti, prior taceat*. Qui idem etiam apertè perturbatæ huiuscemodi disciplinæ absurditatem demonstrans sic dicit: *Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes loquantur linguis, intrent autem idiotæ, aut infideles, nónne dicent quòd insanitis?* Atque etiam si inciderit aliquando, vt qui alicunde accesserit, aliquem de re aliqua quam ignoret interrogauerit, isque qui vice alterius interrogatus sit, haberet, quod commode responderet, conseruandæ tamen disciplinæ causa, tenere silentiū debet, & is hospitem doceat, sed submissa voce, cuius officium est respondere, eaque in re exemplum Apostolorum Domini

1. Cor. 14.

Ibidem.

imitari conuenit, à quibus, dum cum Domino essent, solitus erat mos iste vsurpari, idque vt pro ordinis atque honestatis decoro, indulto nobis sermone vtamur. Etenim, si vbi de corporũ curatione agitur, in remedio ægris adhibẽdo, non temere quemuis medicamento, ferramẽtóve vti videmus: sed illos tãtummodo, qui medendi artem teneant, quam & à peritis antè didicerint, ac doctrice multiplici experientia, & assidua ipsi postea secum commeditatione expoliuerint, & longinqua exercitatione, longinquoque vsu confirmauerint: quæ ratio permittit, vt ad curationem eam, quæ sermone adhibetur, nulla habita delectione, temere quiuis, qui velit, assiliat: qua in re, rei vel minimæ prætermissio, maximum afferre detrimentũ solet? Apud quos enim ne panis quidẽ distributio quibusuis temere permittitur, sed munus huiuscemodi administrãdi panis vnius cuiusdam est, ad quem illud de communi aliorum sententia delatum est, quî non multò maiore cum delectu ac cautione hoc in danda petentibus esca spirituali obseruari conueniat? videlicet vt munus hoc peculiare sit alicuius, qui melius id ipse præstare possit, quàm cæteri? Ex quo intelligitur animi esse valde sibi præfidentis, cum quis de aliquo, iudicio interrogatus, intrepidè sic, temereque audeat respondere, neque digitum ad illum intendat, cui huiusmodi dispensandi sermonis munus delegatum sit. Qui quidem ea re, quòd fidelis esset dispensator & prudens, iccirco delectus est, vt spiritualem cibum tempore distribueret, sermonesque suos in iudicio disponeret, sicut scriptum est. Quod si etiam incidat, vt ad quem pertinet respondere, hunc aliquid effugiat aliquando, illudque alteri occurrat, non propterea tamen, cui illud occurrerit, is confestim prosilire, ac palàm arguere illum debet, sed seorsum arbitris semotis, quod sibi occurrerit, de eo ipsũ admonere, quando ni hoc ita fiat, qui inferiores sunt, ijs elatiores fieri aduersum superiores solent. Quapropter esto commode aliquis responderit, tamen si responsio ad illum non pertinebat, pœnis is tenetur obnoxius violatæ disciplinæ.

*Luc. 12.*

*Psal. 111.*

In desertorem disciplinæ, animaduertẽdum.

INTER-

## INTERROGATIO XLVI.

Quòd neque Fratrum, neque sua obtegere quis delicta debet.

## RESPONSIO.

QVICQVID est autem, in quo peccetur, id referri ad Antistitem debet, siue ab eo ipso, qui peccatum admisit, siue ab ijs, qui illius conscij sint, si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo quo præceptum est à Domino, quando vitium dissimulatum morbus est in animo oblitescens, & supputris qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum igitur nullo modo benemeritum illum de nobis diceremus, qui quæ pestifera essent, ea in corpore nobis includeret, sed eum potius, qui cum dolorifico cruciatu, & cruoris etiam missione per lancinationem ea in apertum extraheret, quo videlicet, aut quod noxium esset, per vomitum recelleret atq; extunderet à corpore, aut in vniuersum, per morbi cognitionem, eius quoque curandi ratio facilius cognosceretur: ita nimirum peccatum occultare, nihil est aliud, quàm ęgrum sua sponte ad mortem ruentem, impellere, & procliuiorem reddere. Stimulus enim peccati mors est, inquit. Porrò occulta beneuolentia præstabilior est ea, quæ palam libereque fit obiurgatio. Nemo sit ergo, qui aut peccato alterius latebras quærat, ne pro amore, quem Fratri debet, exitium illi concilìet. Neque suo. Qui non medetur sibiipsi, Frater est sua opera dissipantis.

## INTERROGATIO XLVII.

DE his qui nolunt admittere, quæ per Antistitem præscripta sunt ac designata.

## RESPONSIO.

VERVM is qui nolit admittere quæ Antistes perficiunda iusserit, debet ei apertè quidem sed semotis arbitris, cur

ADVERSVS CONTVMACES. dicto audiens esse ac moriger nolit, respondere, allata si quam habet, ratione, sacris literis consentanea: alioqui quod imperatum sit, silentio exequitor. Quòd si hoc facere pudore retractus non ausit, alijs quibusdam ad eam rem sequestribus vtitor, quo videlicet, si aliena fortè à sacrosanctis literis illa Antistitis iussio sit, ipse cùm seipsum, tum reliquos Fratres à noxa eximat. Sin contrà, planum factum sit, eam rectè fuisse ac ratione factam, à
Rom. 14. vana seipsum ac periculosa secum disceptatione liberet. *Qui* enim *secum disceptat*, inquit, *si manducauerit, damnatus est*, quia non ex fide, & vt ne simpliciores exemplo suo ad abijciendam
Matth. 18. obedientiam instiget, ac veluti procliuiores efficiat. *Expedit enim*, inquit, *Dominus*, *vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis his*. Quòd si qui diutius in contumacia hæserint aduersus Antistitem clàm queruli, nec in apertũ voluerint sui mœroris caussam prodere: hi perinde ac disceptationis inter Fratres exortæ auctores, aut qui certissimam auctoritatem colliserint & labefactarint eius quæ maiorum debetur præceptis, obedientiæ ac velut rebellionis & inobedientiæ magistri, prorsus à reliqua Fratrum familia exiguntor. *Eijce* enim *è concilio pestilentem*, in-
Prou. 22. quit, *& exibit cum eo iurgium*.

## INTERROGATIO XLVIII.

QVòd nullo modo curiosè consilia moderaminàve Antistitis exquiri debent, sed debet vnusquisque muneri suo vacare.

## RESPONSIO.



ÆTERVM ne quis facilè in huiuscemodi vitium secus de Antistite suspicandi, aut dijudicandi cum detrimento cùm suo, tum reliquorum etiam Fratrum incurrat, illud in vniuersum obseruari in Conuentu debet, vt nullo modo quis curiosè Antistitis consilia peruestiget, aut in eius facta anxiè inquirat, ijs duntaxat exceptis, qui cùm

cùm dignitatis gradu, tum consilij prudentia Antistiti ipsi proximi sint. quos quidem ille necessariò sibi, quandocunq; de re aliqua erit deliberaturus, in consilium ac naturam considerationem adhibebit, nimirum præcepto illi obtemperans, *Omnia fac cum consilio*. Quum enim illi animas nostras gubernandas commisimus, tanquam Deo de ijs rationem reddituro, prorsus absurdissimè facimus, si huic fidem in rebus contemptissimis abrogamus, & cum ipsi falsis aduersus Fratrem nostrum suspicionibus impleamur, tum reliquos exemplo nostro, vt idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eueniat, *vnusquisque maneat in ea vocatione, in qua vocatus est*: & cum animum suum totum in rerum ad se pertinentium cura occupauerit, minimè in aliorum consilijs inquirendis sit curiosus, sed sacrosanctos Domini discipulos imitetur, quorum esto illud, quod in Euangelio est, de Samaritana, suspicionem ipsis posset commouere, *Nemo tamen dixit*, inquit, *Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?*

Eccle. 32.

1. Cor. 7. Vt vitanda curiositas.

Ab exemplo discipulorum Domini. Ioan. 4.

## INTERROGATIO XLIX.

DE controuersijs, quæ nonnunquam solent inter Fratres existere.

## RESPONSIO.

DE controuersijs autem, quæ inter Fratres interdum oriuntur, illud statuendum est. Quotiescunque aliqui inter se de re aliqua collidunt dissidentes & corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controuersiæ decisionem Superioribus se reseruare. Verumenim ne quâ disciplinæ ordo violetur, si omnes passim nullo temporis, locive ad agendum idonei delectu habito, quærant, néve futilibus & inanibus quæstiunculis, aut nugacitati detur locus, certum quendum esse oportet, eumque de communi reliquorum omnium sententia, idoneum iudicatũ, qui quidem de quibus inter Fratres con-

MODVS COMPONENDI DISCORDIAS.

trouersia sit, ea aut communiter in medium omnibus disceptanda proponat, aut seorsum de ijs cum magistro Conuentus communicet. Ita enim quæ in quæstione posita erunt, melius, certiusque disputabuntur. Si enim nulla est res, cuius tractatio non scientiam, & vsum desideret, ea certè multo magis in rebus his requiruntur, quæ sunt huiusmodi. Et si instrumétorum eorum, quæ ad artium ministrationem necessaria sunt, tractationem, nemo esset, qui imperitis committeret, sine dubio multo magis sermonis tractatio concedi debet in dicendo potioribus: qui quidem ipsi cum loci, tum temporis, tum modi, quibus poni quæstiones debeant, commodè habere delectum sciant: quique citra contentionem cum prudenter quærendo, tum intelligenter auscultando, rerum, quæ sint in quæstione versatæ, explicationes ad communem possint omnium ædificationem seruare.

## INTERROGATIO L.

QVæ ratio teneri ab Antistite debeat in obiurgationibus adhibendis.

## RESPONSIO.

VERVM enimuerò illud cauere magnopere Antistes debet, ne ad castigandum verbis aliquem ex ijs qui deliquerint, affectu quouis vitioso percitus accedat: quando cum indignatione & ira, castigatione aduersus aliquem vti, hoc haud quaquam est, à peccato illum liberare, sed delictis seipsum obstringere, quamobrem Apostolus dixit: *In mansuetudine corripientem eos, qui resistunt.* Neque, si in contemptum veniat alicui, ob id præbere se vehementem debet, aut æquo seueriorem: vbi verò alium contemni viderit erga eum qui deliquit, declaret se benignum ac indulgentem. Quinimo multo grauius ei ferendæ aliorum iniuriæ sunt, quàm suæ. Hoc enim si fecerit, & suspicionem à se illam hominis seipsum immodicè amantis submouebit, & planis-

2. Tim. 2.

planissimè se non peccantem odisse, sed peccatum auersari declarabit, cum ita videlicet diuerso modo se gerat in rebus & suis & alterius. Cæterùm si quandocunq; indignatur, non hanc quam dixi, sed huic cõtrariam rationem adhibuerit, is prorsus indicabit, se neque propter Deum, neque propter periculum eius, qui peccauerit, sed propter gloriæ cupiditatem, aut imperitãdi studium, indignationem illam suscepisse. Oportet enim illum & pro Dei gloria, cui violando ipsius mandato infligitur contumelia, iustam iram ac zelum præ se ferentem, & peculiarem fraternæ charitati misericordiam retinentem, pro Fratris sui in peccato periclitantis salute tuenda (quia *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*) in quocunque, quod committatur peccato, tanquam aduersus peccatum animo incitari, & in eo acriter vindicando, animi sui iustum ardorem præ se ferre. *Ezech. 18.*

## INTERROGATIO LI.

Quomodo corrigi debeat delictum eius, qui peccauit.

### RESPONSIO.



IN adhibendis verò curationibus ijs, qui vitioso animi affectu aliquo laborent, consuetudinem imitari medicorũ debet, vt videlicet ægris non irascatur, sed contra morbum ipsum pugnet: in eoq; impugnando, duriore victus ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet: veluti inanem gloriam, abiectioribus exercitijs imponẽdis: futilem & otiosam loquacitatem, silentio: immodicum somnum peruigilio & excubijs orationũ: segnitiem corporis, laboribus imponendis grauioribus: edacitatem indecoram ieiunio: murmurationem, à reliquis segregatione: vt videlicet neque ex Fratribus quisquam vnà cum ipso esse in opere velit, neque opus, quod ipse elaborauerit, vnà cum reliquis reliquorum misceatur, sicut suprà dictum est, nisi si quando susceptâ alacriter ac citra pudorem vllum pœnitentiâ, morbo eo liberatum esse illũ appareat. Tum enim opus, quod murmurans elaborauerit, admitti poterit: verùm ne sic quidẽ, id in vsus Fratrũ vllos. MODVS CVRANDI VITIOSOS ANIMI AFFECTVS.

vllos erogetur, ſed ad alium aliquem vſum diſpenſetur. Hæc autem cur ita fieri debeant, ſatis ſuperiùs intellectum puto.

## INTERROGATIO LII.

QVo animo quis accipere impoſitas ſibi multas debet, ſiue irrogatas iuxta præſcriptum Canonis pœnas.

## RESPONSIO.

QVEMADMODVM autem diximus vacuum affectibus Antiſtitem ad curationes ægris admouendas accedere oportere, item quoque viciſſim eorum, quibus medicina fit, partes exiſtimari debent, Antiſtitis in ſe animaduerſiones, non ad odium accipere, neque impotentem dominationem exiſtimare, curationem eam, quam miſericordia quis adductus, conſulendi cauſa animę ipſorum ſaluti, ipſis adhibeat. Eſſet enim à deçoro abhorrens, ſi cùm qui aduerſa corporis valetudine laborant, ijs vſque adeò magnam medicis ſuis fidem habeant, vt eſto ipſos ſecent, eſto amariſſimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de ſe illos numerent: nos non itidem quoque aduerſus animarum noſtrarum medicos, quandocunque duriore imponenda nobis re aliqua, ſalutem nobis efficiūt, fuerimus animati: Cum Apoſtolus dicat: *Et quis eſt, qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me?* Et item: *Ecce enim hoc ipſum quòd contriſtati eſtis, quàm magnam in vobis ſolicitudinem operatum eſt*. Proinde rei ſpectari exitus debet, & is bene de nobis meritus iudicari, qui nobis contriſtationem illam afferat, quæ eſt ſecundum Deum.

2. Cor. 2.

## INTERROGATIO LIII.

QVomodo artium magiſtri peccantes pueros corrigere debeant.

RESPON-

RESPONSIO.



ATQVE illud etiam seruandum est, vt qui artes docent, ij, si qua in re, quæ ad artem eã pertineat, quam tradunt, labi illos animaduerterint, quos in disciplinam acceperint, seorsim eos verbis castigent, & errata corrigant. Quæcunque autem ab eis peccata committantur, eiusmodi, quæ animi morum peruersitatem indicent, veluti si quis contumax sit, verbis contrà contendat, in elaborandis operibus negligenter se gerat, garrulus sit, & otiosiloquus, aut vanus, aut aliud denique aliquid agat eorum, quæ pietatis cultoribus vetita sunt: hæc in quibus animaduersa sint, ij ad communis disciplinæ moderatorem duci debent, & coram eo accusari, vt ipse sit videlicet, qui statuat, quatenus, quáve ratione vnumquodq; peccatum curari conueniat. Si enim obiurgatio est animæ curatio, prorsus obiurgare non est cuiuslibet, sicut neque curationem admouere, nisi si quis sit, cui munus hoc Antistes ipse adhibita prius diligenti circumspectione delegarit. EFFECTVS IVRGATIONIS.

INTERROGATIO LIV.

QVòd Præpositi Conuentuum vicissim de his quæ se concernunt, conferre inter se debent.

RESPONSIO.



OPERÆPRECIVM est autem, si statis interdum quibusdam temporibus, certisque locis consessus celebretur eorum, qui Fratrum Conuentibus præsunt, in quibus videlicet, cum de rebus ijs, quæ sibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus etiam ad tractandum naturis, aut moribus, & quo modo in singulis moderandis se gesserint, vicissim inter se communicent, & conferant. Quò videlicet, si aliquid aliquando minus rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum sententia, maio-

re cum auctoritate quod in medium adductum est, quale sit iudicetur. Contraque si quid rectè gestum, multorum similiter testimonio comprobetur.

## INTERROGATIO LV.

Nunquid ex veræ pietatis proposito sit, vti medicina.

## RESPONSIO.


VEMADMODVM vniuscuiuslibet artis suffragium in hoc nobis à Deo est indultum, vt nostræ occuramus infirmitati: ceu sunt, agricultura quòd quæ sua sponte è terra gignuntur, ad subleuandas victus necessitates satis non erant: texendi ars, quòd indumentis necessariò vita hominum indigebat, cum ad honestatem tenendam, tum ad cœli incommoda depellenda: similiterque ædificandi disciplina, quòd sine ea haud facilè stare vita hominum potuisset: item eadem quoq; in medicina ratio est. Cum enim corpus nostrũ morbidum noxijs varijs expositum, partim extrinsecus aduenictibus, partim intrinsecus agnatis morborum generibus, obnoxium sit, eaq; modo largiore cibi copia, modo subductione nimia affligatur: medicinæ nobis ars à totius vitæ nostræ moderatore Deo concessa est, à qua nimirum cum demendis ijs, quæ superarent, tum quæ deessent, addendis, rationem disceremus, quemadmodum nos animæ quoque curationem adhibere oporteret. Vt enim si in paradiso deliciarum essemus, nihil agresti nobis, neque labore opus esset, neq; solertia: sic si vacuam penitus morbis vitam ageremus, ad similitudinem temporis illius, quando ab initio statim creati, nondum de Dei gratia decideramus, sine dubio nihil nobis opus esset, cur valetudinis tuendæ causa præsidium vllum à medicina peteremus. Verum quẽadmodum posteaquã in locum hunc, veluti in exilium quoddam detrusi sumus, veraque illa audiuimus, *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*. diuturna deinde Genes. 3. periclitatione assiduaque in excolenda terra industria, ærumnaque agriculturæ artem effecimus, cum Deus ad lenienda

vtcunque ea, quæ ab ea execratione illa inuecta nobis incômoda fuerant, agricolandi intelligentiam, perceptionemq; nobis sit elargitus: Sic vbi iussi sumus, vt in terram, de qua sumpti eramus denuò reuerti & dolorificæ carni, morti propter peccatũ addictæ, ac propterea huiuscemodi morbis subiectæ aptati sumus, datum nobis medicinæ remediũ est, quo (adhibita tamen ea quam adhiberi par est, moderatione) aduersum ęgros vteremur. Neque enim fortuito ortæ de terra herbæ sunt ad singula morborum genera accommodatæ, sed nimirum eæ supremi Opificis voluntate editæ sunt, eo cõsilio, vt ijs nos ad vtilitatem nostram vti possemus. Quocirca ea quidem, quæ in radicibus, floribúsve, aut folijs, aut fructibus, aut succis naturalis vis inest, aut quodcunque etiam ex metallis, marive aliquid ad corporis nostri vsum appositum habere inuenta sit, ea omnia earum rerum inuentioni similia iudicari debent, quibus in cibo potioneque vti consueuimus. At in quibus exquirendis curiosa quadam, & anxia nimis solertia, curaque est opus, quæque magnas nobis molestias quasdã conciliant, ac quasi vitam nostram in corporis curatione implicatam tenent, ea à Christianis hominibus funditus repudianda sunt: dandaque nobis studiosè opera est, vt huiusmodi arte (si quando res postulet) ita vtamur, vt nullo modo omnẽ ei aut prosperæ, aut aduersæ valetudinis causam assignemus, sed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum nostrorum curatione vti oporteat, ita salutaria ab ea corpori nostro subsidia petamus. Ac si quando medicinæ nos remedia defecerint, neutiquam leuandi mali spem omnem in hac arte collacatam habeamus: sed illud intelligamus, aut quòd *non patietur nos tentari Deus supra id, quod possumus:* Aut quod sicut olim, dum inter nos versaretur Dominus, modo lutum faciens, illud alicui illinebat, illitoque vt se in Siloam ablueret, præcipiebat, modo ad sanandum, voluntate sola contentus erat, dicens: *Volo, mundare.* Quosdam etiam præterea, vt in acerbitatibus certarent, dimisit; nimirum qui periclitatione illa spectatio- 1.Cor. 10.

 res

res ipsos vellet efficere: Ita nunc etiam pari ratione agere nobiscum velit, tum ex occulto, ratione quadā oculis nostris minimè aperta, salutari nobis imponenda medicina, quotiescunque ita facere ex animarum nostrarum vtilitate esse ipse iudicauerit: tum id etiam agendo interdum, vt ad depellendos à nobis morbos eos, quibus laboremus, crassioribus remedijs quibusdam vtamur, idq́ue ea re nimirum, quòd curationis longinquitate memoriam eius, quod acceperimus, beneficij, altius in animis nostris impressam velit. vel (vt antè dixi) ea re, vt formulam nobis tradat, quam in curandis nostris animi vitijs imitemur. Vt enim in corporibus necessariò & demi illa debent, quæ superuacanea sunt, & quæ absunt, apponi: sic idem quoque nobis in animis nostris seruandum est, vt quæ aliena sunt scilicet, amandemus, & quæ idonea, asciscamus. Si quidem *fecit Deus hominem rectum, & ad bona opera creauit nos, vt in illis ambularemus.* Et quemadmodum in ijsdem corporibus secari, vri, & potiones amarissimas sumere, incolumitatis ipsorum causa non recusamus: sic in animis quoque, secantia, cum obiurgamur, verba, amareq́ue pro ipsorum salute increpationum medicinæ accipiendæ sunt. Quod quidem ijs, qui emendati non erant, Propheta obiectat, cum dicit: *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est restituta sanitas filiæ populi mei?* Quin illud etiam, quòd quis in inueteratis morbis, non nisi ex longinquo tempore, varijsq́ue, & ijs dolorem facientibus medicamentis sanitatem expectat, indicio est, vitia similiter, quę in animis nostris inueterauerint, assidua oratione, & diuturna patientia & acerrima animi contentione, quæ ad sanitatem adipiscendam ratio sufficere nobis ostenderit, à nobis curari oportere. Non igitur quoniam medicina peruerse quidā vtuntur, iccirco fugienda nobis omnis, quæ ab ea nascitur, vtilitas est. Neque enim eò quòd qui voluptates intemperanter consectantur, coquinaria facultate, panificióve, aut texendi arte ad luxum abutuntur, cum vltra præscriptos necessitatis limites progrediantur, continuò huiusmodi

Sap. 2.

Hier. 8.

modi à nobis repudiari artes debent: contraque potius, ex recta illarum tractatione, quod ab ipsis in illis fit, detegendum vitium est. Sic igitur in medicina etiam, haud quaquam rectè fieri ratio docet, si propterea, quòd sint qui in illa vtantur vitiosè, eius datum nobis diuinitus munus in crimen vocetur. Etenim cum illud, incolumitatis suæ spem omnem habere positam in manibus medicorum, planè iumentorum simile sit (quod quidem vsu venire miseris nonnullis animaduertimus, qui etiam non verentur apertè liberatores suos illos appellare) tum hoc, omnes penitus, quæ ab ea proficiscantur, vtilitates fugere, hominum est valde in sua sententia peruicacium. Sed quemadmodum Ezechias *massam ficorum* illã, neutiquam præcipuam sanitatis suæ causam fuisse arbitratus est, neque salutem corporis sui, quam recuperauerat, illi acceptam tulit, sed ad Dei gloriam, etiam quòd ficos creasset, gratiarum actionem adiecit. Sic nos quoque, quandocunque ab eo, qui benignè, sapienterque vitam nostram moderatur Deus, vapulamus, primùm illud petamus, vt causam nobis indicet, cur ita plectamur: tũ illud postulemus, vt ab ijs, quibus premimur, acerbitatibus liberemur, & animi ab ipso in tolerando fortitudinem comprecemur, vt vnà cum tentatione exitum etiam præbeat, vt sustinere possimus. Restitutæ verò nobis sanitatis munus, siue per *vinum oleo permistum*, veluti ille curatus fuit, qui in latrones inciderat, siue per ficos, vt legimus de Ezechia, gratiarum actione prosequi debemus: neque omnino referre quicquam existimemus, siue non cernentibus nobis, siue cernentibus corporeæ rei alicuius opera curationem nobis Deus adhibeat, quando hæ sæpenumero faciunt, vt Dei in nos beneficium clarius agnoscamus. Atque etiam fit plerumque vt cum iccirco in aduersam valetudinem inciderimus, vt hoc pacto admoniti, vitia nostra emendemus, loco pœnæ cuiusdam, huiuscemodi curationis acerbitatem cogamur perferre. Quocirca neque sectiones, neque vstiones, neque cruciatus, quæ acerba, asperaque medicamenta afferre secum solita sunt, neque inedias, neque arctissi-

*4. Reg. 2.*

*1. Cor. 10.*

*Luc. 10.*

mas in victus obseruatione regulas, neque denique declinationem à rebus, quæ obsunt, repudianda esse à nobis recta ratio demonstrat, saluo tamen (iterum enim dico) proposito animæ vtilitatis, quippe cui in medicina corpori admouenda, formula quædam proponitur, quam in sui ipsius curatione ipsum conueniat imitari.

Porrò haud mediocre periculum est, ne ab recto animus aberrans, vanas quasdam opiniones concipiat, quippe quasi ęgrotatio omnis petitis à medicina remedijs curanda sit. Neq; enim semper morbi omnes à natura, aut vitiosa victus ratione, aliisve quibusdam sitis in corpore nostro causis, ad quem vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi sæpenumero veluti quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitā nostram in melius commutemus. *Quem enim*, inquit, *Dominus diligit, castigat:* & ideo *multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum mundo dānemur.* Quamobrē qui eiusmodi sunt, hi omissis medicorum auxilijs, inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocunq; se peccasse animaduerterint: atque illum imitari, qui dixit: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei:* necnon vitę suæ praua studia emendare, & *dignos pœnitentiæ fructus* edere, & verborum Domini illorum meminisse; *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quin est, quando hoc diabolo ita deposcente permittitur à Domino, cum aliquem tanquā fortissimum aduersarium (quæ est eius benignitas) ipse cum illo in certamen committat, ac magnificam illius iactantiam summa seruorum suorum tolerantia retundat (quod quidē in Iob factum fuisse animaduertimus) aut mollioribus etiam in ferendis doloribus, laboribusque exempla proferuntur eorum, qui vsque ad mortem continenter tolerare cruciatus possunt: veluti Lazarus, de quo, cum tot vndique vlceribus vrgeretur, nusquam tamen scriptū est, eum quicquam vnquam ab diuite illo

MORBI FLAGELLA PECCATORVM. Prouerb. 3. 1. Cor. 11. Mich. 7. Ioan. 5.

illo periuisse, significationemve vllam fecisse, quòd iniquo animo eum, in quo erat, rerum suarum statum ferret: quæ quidem causa fuit, quamobrem postea quietem in *sinu Abrahæ* *Luc. 16.* inuenerit, veluti qui mala recepisset in vita sua.

Quanquam aliam præterea in sanctis viris morborum causam euenire solitam reperimus, velut in Apostolo. Ne enim hominis natura egressus posset putari, aut naturaliter aliquid præ cæteris eximium habere quispiam ipsum existimaret (quemadmodum Lycaones, qui ad eum *cum coronis & tauris* *Act. 14.* accesserunt) quò facilius intelligi posset hominis illum natura præditum esse, in assidua vsque erat ægrotatione. Quocirca quid est, quod huiusmodi hominibus emolumenti afferre possit medicina? aut quod non ijs potius contrà ab ea periculum procreari? qui quidem relicta recta ratione, curàm suam in corporis curationem tantum contulerint. Qui verò ex vitiosa, quam tenebant in victu, ratione, morbum sibiipsis contraxerunt, hi corporis curatione vti debent, perinde vti exemplo, & adumbratione quadam, quam in curando animo sequantur, quemadmodum dictum est suprà. quando quæ ex medicinæ ratione, à rebus quæ obsunt, declinatio fit, ea quoque nobis vtilis est, item dilectus rerum vtilium, ac præceptorum conseruatio. Atque ipsa etiam aduersæ corporis valetudinis in secundam mutatio, quædam nobis esse veluti confirmatio debet, ne de animæ sanitate penitus desperemus, quasi verò ea ex peccatis ad pristinā integritatem per pœnitentiam se recipiendi facultatem omnem amiserit. Neque igitur fugienda penitus ars ista est, neque rursum omnis in ea salutis nostræ præsidia collocanda, sed quemadmodum, licet agriculturæ vsum acceperimus, frugum prouentum tamen postulamus à Deo: & quamuis gubernatori clauum committamus, Deum tamē, vt nos ex alto incolumes conseruet, oramus: sic nihilominus cùm medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam à spe illius erga nos bonitatis debemus discedere.

Mihi verò etiam ad colendam continẽtiam, haud mediocre momentum ars hæc, de qua loquimur, videtur afferre. Si quidem animaduerto ab ea & delicias amputari, & crapulam damnari, epularum prærerea varietatem, & exquisitam nimis condimentorum prauè excogitatam solertiam, tanquam inutilem improbari. In summa denique Indigentiam ab ea sanitatis matrem appellari. Proinde siue aliquando præceptis medicinæ vtimur, siue repudiamus ob aliquam causam earum, quas antè memorauimus: propositum tamen illud teneri vsque constantissimè debet, vt Deus in primis propitius habeatur, & animæ vtilitati consulatur & præcepto Apostoli satisfiat illi: *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

INDIGENTIA MATER EST SANITATIS.

1. Cor. 10.

Hactenus S. Basilij REGVLÆ FVSIVS DISPVTATÆ: aliæ quidem sunt, quas si connectere cœpero, magnum volumen exurgat necesse est. Itaque breuitati consulens ad Augustiniana Fundamina Regulasque transuolo.

CAPVT



CAPVT XXII.

VITA, MORES, ET INSTITVTA

# SANCTI AVGVSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI,

ET ECCLESIÆ DOCTORIS EXIMII,

*Edita à Possidio primùm eius discipulo, postea Calamensi Episcopo.*



NSPIRANTE rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei memor PROPOSITI, quo per gratiam Saluatoris omnipotenti, ac diuinæ Trinitati per fidem seruire decreui & antea in vita laicorum, & nunc in officio Episcoporum: studens ex qualicunque accepto ingenio & sermone ædificationi prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini catholicæ Ecclesiæ, de vita ac moribus prædestinati & suo tempore præsentati sacerdotis optimi AVGVSTINI, quæ in eodem vidi, ab eodemque audiui, minime reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse à religiosissimis sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ viris, legimus & comperimus: qui diuino afflati spiritu, sermone proprio atque stylo, & auribus & oculis scire volentium, dicendo & scribendo, similia studiosorum notitiæ intulerunt; quales quantique viri sancti ex communi Domini gratia in rebus humanis & viuere, & vsque in finem obitus perseuerare meruerunt.

Possidius appellat vitam monasticā PROPOSITVM, more loquendi inter Patres vsitatissimo.

Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non fictâ, quâ Domino dominantium omnibusque bonis seruiendum & placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis exortu viri & procursu & vitæ fine, quæ per eum didici & expertus sum, quam plurimis annis eius inhærens charitati, vt Dominus donauerit, explicandum suscipio.

Verùm summam quæso maiestatem, quò munus huiusmodi à me arreptum ita geram & peragam, vt nec Patris luminum offendã veritatem, nec bonorum Ecclesiæ filiorũ vlla ex parte fraudare videar charitatem. Nec attingam ea omnia insinuare, quæ idem B. AVGVSTINVS in suis Confessionũ libris de semetipso, qualis ante perceptã gratiam fuerit, qualisque iam sumptâ viueret, designauit. Hoc autem facere voluit, vt ait Apostolus: *2. Cor. 12.* Ne de se quisquam hominum supra, quam se esse nouerat, aut iam de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctæ more vtens, & iam nullum fallens: sed laudem non suam, sed sui Domini, de propria liberatione ac munere quærens; ex ijs videlicet, quæ iam perceperat, & fraternas preces poscens de ijs, quæ accipere cupiebat. *Sacramentum igitur regis*, vt angelica authoritate prolatum est, *bonum est abscondere: opera autem Domini reuelare & confiteri, honorificum est.* *Tob. 18.*

*AVGVSTINVS nascitur an. 355.* Igitur B. AVGVSTINVS ex prouincia Aphricana ciuitate Thagastensi, de numero curialium, parentibus honestis & Christianis progenitus erat; altusque ac nutritus eorum cura ac diligentia impensisque, secularibus quoque literis eruditus apprimè, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticam prius in sua ciuitate, & Rhetoricam in Aphricæ capite Carthagine postea docuit. *Docet Rhetoricam.*

Consequenti etiam tempore, trans mare in vrbe Roma, & apud Mediolanum, vbi tunc temporis Imperatoris Valentiniani Minoris comitatus fuerat constitutus. In qua vrbe tunc Episcopatum administrabat, acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus Sacerdos Ambrosius. Huius interea

terea verbi Dei Prædicatoris frequentissimis in Ecclesia disputationibus adstans in populo, intendebat suspensus atque affixus. Verùm aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus: & ideo cæteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur. Fit Manichæus.

Sed præuenit Dei liberatoris clementia, sui Sacerdotis Ambrosij cor pertractantis, vt contra illum errorem incidentes legis soluerentur quæstiones. Atque ita edoctus sensim atque paulatim, hæresis illa miseratione diuinâ eius ex animo pulsa est, protinusque in fide catholica confirmatus, proficiendi in religione eidem amoris ardor tantus innatus est, vt propinquantibus diebus sanctis Paschæ, salutis aquam perciperet. Et factum est, diuina præstante opitulatione, vt per illum talem ac tantum Antistitem Ambrosium, & doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ, & diuina perciperet sacramenta. Conuertitur & ab Ambrosio baptizatur.

Moxque ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem, quam habebat in sæculo, dereliquit, iam NON VXOREM, non filios carnis, NON DIVITIAS, NON HONORES sæculi quærens: sed soli Deo cum suis seruire statuit, & in illo, & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum: vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficientes in cælis*. Et illud quod iterum dicit Dominus, idem vir sanctus facere cupiens: *Si vis esse perfectus vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me*. Et sic super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum & lapides pretiosos. Fit Religiosus. Luc. 12. Matth. 19.

Et erat tunc annis maior triginta, sola superstite matre, nomine Monica, sibique adhærente, & de suscepto eius pro-

posito seruiendi Dei amplius, quam de carnis nepotibus exultante. Nam eius pater, Patritius dictus, antea defunctus erat. Renunciauit etiam scholasticis, quos Rhetoricen docebat, vt sibi magistrum alium prouiderent, eò quod seruire Deo ipse decreuisset.

Renunciat scholæ eloquentiæ.

Ac placuit ei, percepta baptismi gratia, cum alijs ciuibus & amicis suis, Deo pariter seruientibus ad Aphricam & propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus cõstitutus, ferme triennio, & à se iam alienatis curis sæcularibus, cum ijs, qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, bonisque operibus vacans, atque in lege Domini meditans die ac nocte. Et de ijs, quæ sibi Deus cogitanti, atque oranti intellecta reuelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat.

Proficiscitur in patriam, vbi ieiunijs & orationibus vacans monachismum exercet.

Contigit fortè eodem tempore, vt quidam ex ijs, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem Regium constitutus, bene Christianus Deumq; timens, compertâ eius bonâ famâ atque doctrina, desideraret atque optaret eum videre; PROMITTENS SE POSSE MVNDI HVIVS OMNES CONTEMNERE CVPIDITATES ATQVE ILLECEBRAS, si aliquando ex eius ore Dei verbum audire meruisset. Quod cum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare animam cupiens ab huius vitæ periculis, morteque æterna, ad memoratam, vltrò atque confestim venit ciuitatem, & hominem visum allocutus frequentius atque exhortatus est, quantum Deus donabat, vt quòd Deo vouerat, redderet. Hæc se ille facturum de die in diem pollicebatur, nec tamen in eius tunc hoc impleuit præsentia. Sed vacuum vtique & inane esse non potuit; quòd per tale vas mundum, in honorem vtile Domino, ad omne opus bonum paratum, in omni loco diuina gerebat prouidentia.

Aulicus quidam eius adhortationibus meditatur monachismum.

Eodem itaque tempore in Ecclesia Hipponensi catholica, Valerius sanctus Episcopatum gerebat. Qui cum flagitante Ecclesiastica necessitate, de prouidendo, & ordinando Presbytero ciuitatis, Dei plebem alloqueretur, & exhortaretur: iam sciẽtes

tes catholici sancti AVGVSTINI PROPOSITVM & doctrinam, manu iniecta, quoniā & idem in populo securus & ignarus, quid futurum esset, adstabat, tenuerunt. Solebat autem laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantum Ecclesijs, quæ non haberēt Episcopos, suam abstinere præsentiam. Eum ergo tenuerunt, & vt in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus. Vbertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas eius, vt nobis retulit, tunc superbè interpretantibus & tāquam eum consolantibus ac dicētibus: Quia locus presbyteri, licet ipse maiore dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatui. Cùm ille homo Dei, vt nobis retulit, maiori consideratione intelligeret, & gemeret, quam multa & quàm magna suæ vitæ pericula de regimine & gubernatione Ecclesiæ impendere, ac iam hinc prouenire spectaret, atque ideo fleret, eorū ergo, vt voluerunt, completum est desiderium.

Agnoscitur monachus à plebe.

Ordinatur presbyter anno 391.

Factus ergo presbyter, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum & regulam, sub sanctis Apostolis constitutam: maxime, vt NEMO QVICQVAM PROPRIVM IN ILLA SOCIETATE HABERET, SED EIS ESSENT OMNIA COMMVNIA, & distribueretur VNICVIQVE, PROVT CVIQVE OPVS ERAT: quòd iam ipse PRIOR FECERAT, DVM DE TRANSMARINIS AD SVA REMEASSET.

Monasterium cōdit in horto sibi à Valeriodonato: factus autē Episcopus secundum erexit intra Ecclesiam qua de re. Vide Baro. annal. 391.

Sanctus verò Valerius ordinator eius, vt erat vir pius & Deum timens, exultabat & Deo gratias agebat, suas exauditas à Domino fuisse preces: quas se frequentissime fudisse narrabat; scilicet vt sibi diuinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei doctrinâ salubri, Ecclesiam Dei ædificare: cui rei se homo natura Græcus minusque Latinâ linguâ & literis instructus, minus vtilem peruidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesia Euangelium prædicandi, ac frequentissime, tractandi contra vsum quidem & consuetudinem

Concionatur Latinâ linguâ, quā non exactè callebat Valerius natione Græcus.

nem Aphricanarum Ecclesiarum. Vnde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac prouidus, in Orientalibus Ecclesijs id ex more fieri sciens, vtilitati Ecclesiæ consulens, obtrectatorum non curabat linguas, dummodò, factitaretur à presbytero, quòd à se Episcopo impleri minimè posse cernebat. Vnde accensa & ardens, eleuata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo eranr, lucebat. Et postea currente & volante huiusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram Episcopis, populis tractare cœperunt verbum Dei.

Anno 392. disputat cũ Fortunato qui confusus patriá cessit.

Sanè tunc in illa Hipponensi vrbe Manichæorum pestilentia quamplurimos ciues vel peregrinos infecerat, & penetrauerat, seducente & decipiente eiusdem hæresis quodam presbytero, nomine Fortunato, ibidem conuersante atque manente. Interea Hipponenses ciues vel peregrini Christiani, tam catholici, quàm etiam Donatistæ, adeunt AVGVSTINVM presbyterum, ac deposcunt, vt illum hominem Manichęorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, & cum eodem de lege tractaret. Quod idem, vt scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide & spe, quæ in Deum est, potensque exhortari in doctrina sua, & contra dicentes redarguere, minimè renuit: sed vtrùm etiam ille hoc fieri velle sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes & exhortantes ac flagitantes, quod id nomine recusaret. Sane quoniam idem Fortunatus iam apud Carthaginẽ sanctum nouerat AVGVSTINVM, adhuc in eodem secum errore constitutum, cum eodem congredi pauitabat. Veruntamen suorum maximè instantia coactus ac verecundatus, promisit cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Vnde cõdicto die & loco, conuenerunt in vnum, concurrentibus quàmplurimis studiosis turbisque curiosis: & apertis notariorum tabulis, disputatio cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille Manichæus

nichæus præceptor, vt gestorũ continet fides, nec catholicam assertionem potuit euacuare, nec Manichæorum sectã subnixa veritate valuit comprobare: sed deficiens responsione vltima, collaturum se cum suis maioribus ea,quę refellere non potuit, prosecutus est;& si sibi fortè de his satis minime fecissent, suæ animę consulturũ: atque ita ab omnibus apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione iudicatus est. Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponẽsi ciuitate profectus, ad eandem amplius non remeauit. Ac sic per memoratũ Dei hominem omniũ cordibus, vel qui aderant,vel qui absentes illa,quæ gesta sunt,cognouerant, error ille ablatus, catholica est intimata ac comperta sincera religio.

Et docebat ac prædicabat ille priuatim & publicè,in domó & in Ecclesia salutis verbũ cum omni fiducia aduersus Aphricanas hæreses,maximeq; contra Donatistas, Manichæos & Pelagianos,libris cõfectis,ac repetitis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis & collætãtibus, & hoc ipsum, vbi poterant,non,tacentibus,sed diffamantibus.Sicq;adiuuante Domino,leuare in Aphrica Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illic conualescentibus hæreticis,præcipueque rebaptizante donati parte maiorem multitudinẽ Aphrorum, seducta & oppressa iacebat. Hæreticos egregiè cõfutat.

Libros verò eiusdem siue tractatus,mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos omni rationis copia, atq; authoritate sanctarum scripturarum,ipsi quoq; hæretici concurrentes,cum Catholicis ingenti ardore audiebant: & quisquis, vt voluit & potuit,notarios adhibens,etiam ea,quæ dicebãtur, excepta describebat. Et inde iam per totum Aphricæ corpus præclara doctrina,odorq; suauissimus Christi diffusus & manifestatus est,congaudente,hoc quoque comperto,Ecclesiã Dei transmarinâ. Quoniam sicut dum patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra:ita etiã cum glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Excipiũtur eius conciones à notarijs. Disputat de fide & symbolo in Hipponẽsi Concilio anno 393.

Per

Per idem tempus coram Episcopis, hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Aphricæ Concilium Hippone agebant, de fide & symbolo presbyter adhuc Augustinus disputauit.

Quæritur ad Episcopatum.

Ille verò beatus senex Valerius, cæteris hoc amplius exultans, & Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, vt est humanus animus, ne ab alia Ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur. Nam & id prouenisset, nisi & hoc idem Episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curasset, occultatumque à quærentibus minime inueniri fecisset. Vnde amplius formidans idem Venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud primatem Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non iam succederet, sed consacerdos accederet AVGVSTINVS. Quæ igitur Beatus Valerius optauit & rogauit, satagens rescripto impetrauit. Post quam petitionem, ad visitandum adueniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, Valerius Antistes, Episcopis qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponensibus & Vniuersę plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere contra morem Ecclesiæ, suo viuente Episcopo, presbyter AVGVSTINVS recusabat. Dumque id fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Aphricanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatus curam & maioris loci ordinationem suscepit. Quod ipse postea fieri non debuisse, vt viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit, propter Consilij vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: nec, quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Vnde etiam sategit, vt Concilijs constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis, vel ordinatis,

Inuitus & renitens ordinatur Episcopus anno 395.

omnium

omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

Atque ita factum est, vt Episcopatu suscepto, multo instantius ac feruentius, maiore authoritate, non in vna tantum regione, sed vbicunque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac suauiter, pullulante atque crescente Domini Ecclesia, prædicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide & spe, quæ in Deum est. Et eius dicta atque excepta, maximè DONATISTÆ in eadem Hipponensi vel vicina manentes ciuitate, ad suos Episcopos deferebant. Quæ cum audissent, & è contra fortè aliquid dicerent, aut à suis refellebatur, aut eadē res ad S. Augustinum deferebatur: eaque cōperta, patienter ac leniter, vt scriptū est, *Cùm timore & tremore salutem omniū operabatur:* ostendens, quod nihil illi refellere voluerint, quamq; verū manifestumq; sit, quod Ecclesiæ Dei fides tenet & docet. Et hęc diebus ac noctibus ab eodem iugiter agebātur. Nam & epistolas priuatas ad quoscunq; eiusdem erroris Episcopos, & eminētes scilicet laicos dedit, ratione redditâ admonens atq; exhortans, vt vel ab illa se prauitate corrigerent, vel certe ad disputationē venirent. Illi verò causa diffidentiæ nihil vnquā rescribere voluerunt: sed irati furiosa loquebantur, atq; seductorē deceptorēq; animarū Augustinum esse, & priuatim & publice conclamabant; & velut lupum occidendum esse, in defensionem gregis scilicet sui, dicebant & tractabāt: omniaq; peccata à Deo indubitanter esse credendū posse dimitti ijs, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timētes, nec homines erubescētes. Et vt eorū causæ diffidentia cunctis innotesceret, elaborauit: & publicis gestis cōuenti, nō sunt ausi cōferre.

Eius feruor in lucrandis animis.

Aduersus Donatistas pugnat.

Ad Philip. 2.

Eorundem furor in illum.

Habebant etiam idem Donatistæ per suas pene omnes Ecclesias inauditum hominum genus, peruersum ac violentū, velut sub professione continentiū ambulātes, qui circūcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero & turba, per omnes ferè Aphricanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audaciâ, superbiâ, & temeritate illicitâ, nec suis, nec alienis aliquādo parcebant, cōtra ius fasq; * in causis interdicētes homini-

Circumcellionum feritas & immanitas.

* incautis.

bus: & nisi obedissent, damnis grauissimis & cædibus afficiebant, armati diuersis telis, bacchantes per agros villasque, vsque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum Verbum Dei prædicaretur, & cum ijs, qui oderant pacem, pacis ratio haberetur, illi pacem loquentem debellabant gratis. Cumque aduersus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant & poterant, sese inde vel eripiebant, vel subducebāt, & paci atque vnitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant, cohærebant. Vnde illi sui erroris congregationem minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ inuidentes, accensi exardescebant ira grauissima, & intolerabiles persecutiones vnitati Ecclesiæ compacti faciebant: ipsisque Sacerdotibus catholicis & ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium vi inferebant. Nam & multos Dei seruos cædibus debilitauerunt: aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Vnde etiam suis ijdem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

*Præsidet Augustinus Monasterio florentissimo.*

Proficiente verò doctrina diuina, sub sancto & cum sancto AVGVSTINO IN MONASTERIO, Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente & clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei PROPOSITO CONTINENTIÆ ET PAVPERTATE PROFVNDA, EX MONASTERIO, quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere Episcopos & Clericos pax Ecclesiæ, atque vnitas & cœpit primo, & postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse noui, sanctos ac venerabiles viros, continentes & doctissimos, beatus AVGVSTINVS diuersis Ecclesijs: nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesijs propagatis, & MONASTERIA INSTITVERVNT, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesijs promotos fratres ad suscipiendum Sacerdotium præstiterunt. Vnde per multos & in multis salubris fidei, spei, & caritatis

*Eius ordo dilatatur à decem Episcopis ab eius Monasterio ad varias cathedras adsumptis.*

caritatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Aphricanas partes, verùm etiam in transmarinis & libros editos, atque in Græcum sermonem translatos, ab illo vno homine, & illum multis, fauente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, vt scriptum est; peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat & tabescebat: serui autem Christi, vt dictum est, cum ijs, qui oderunt pacem, erant pacifici, & cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis.

Aliquoties verò etiam vias armati ijdem Circuncelliones contra famulum Dei AVGVSTINVM obsederunt, dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendasque & exhortandas Catholicas plebes: quod etiam ipse frequentissimè faciebat. Et aliquando contigit, vt illi succenturiati hactenus perderent captionem: euenit enim, non prouidentia, sed ductoris hominis errore, vt per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quo tendebat, S. AVGVSTINVS venisset, atq; per hunc, vt postea cognouit errorem, manus impias euasisse. Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, illi omnino suo more nec laicis, nec clericis pepercerunt: sicut publica testantur gesta.

*Non sine nutu diuino mirabiliter euadit insidias Circumcellionum.*

Interea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregij in Ecclesia viri studium, domusque Dei zelum, aduersus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum & perfectum est. Cum forte vnus ex ijs, quos de suo MONASTERIO & clero, Episcopos Ecclesiæ propugnauerat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, vt quæ didicerat pro pace Ecclesiæ, contra illam hæresim prædicaret: factum est, vt in medio itinere, cum eorum insidias incurrisset, ægre cum omnibus se comitantibus euaserit, iniuriâ tamen, ablatis per vim iumentis alijsque rebus grauissimè affectus. De qua re, ne pacis Ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit, & præceptus est Crispinus, qui ijsdem Donatistis in Calamensi ciuitate & regione Episcopus fuit, prædicator scilicet falsus, & multi temporis doctor, ad mulctam teneri aurariam publicis legibus, contra hæ-

*Posidius suam ipsius hic narrat historiam, tacito proprio (Christianâ modestiâ) nomine.*

reticos constitutam. Qui resultans legibus, cum præsentatus apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, vt illi, recedente Ecclesiæ defensore, à Catholico Episcopo resisteretur, & conuinceretur, eum esse, quod se fuisse negauerat: Quoniam si à Catholico dissimularetur, fortè Catholicus Episcopus qui erat, hæreticus crederetur; atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et tunc memorabili Augustino Antistite omnimodis instante, ad controuersiam ambo ipsi Calamenses Episcopi Catholicus scilicet, & hæreticus venerunt, & de ipsa diuersa communione tertio conflictu secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudine causæ exitum, & apud Carthaginem & per totam Aphricam exspectante: atque ille Crispinus proconsulari & libellari sententiâ est pronunciatus hæreticus: proque illo apud cognitorẽ Catholicus Episcopus intercessit, ne aurariâ mulctâ exigeretur: & ei beneficium est impetratum.

Vnde cum ingratus ad pijssimum Principem prouocasset, ab Imperatore est responsum; & consequenter præceptũ, nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere; & eos ad vim legum omnium, contra hæreticos latarum, vbique teneri debere. Ex quo & idẽ Crispinus, & cæteri sibi compares hæretici, præcepti sunt denas auri libras fisci iuribus inferre. Sed protinus opera data est per Catholicos Episcopos, præcipuè per S. memoriæ Augustinum, vt illa omnium condemnatio, cõmemorati Principis dimitteretur indulgentiâ. Et Domino adiuuante, perfectum est. Qua diligentia & sancto studio, multum creuit sancta Ecclesia. Et de his omnibus, pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hîc palmam dedit, & apud se iustitiæ coronã seruauit: ac sic magis magisque iuuante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis vnitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum est post collationem, quæ ab vniuersis Episcopis Catholicis, apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis, postmodum facta est, id iubẽte gloriosissimo & religiosissimo Imperatore Honorio; propter

Collatio Catholicorum cum Donatistis apud Carthaginem anno 411.

pter

pter quod perficiendum, etiam à suo latere Tribunum Marcellinum ad Aphricam iudicem miserat. In qua controuersia illi omnimodis confutati, atque de errore à Catholicis conuicti, sententia iudicis notati sunt, & post eorum appellationem, pijssimi Regis responso iuste inter hæreticos cōdemnati sunt. Ex qua ratione solito amplius eorum Episcopi, cum suis clericis & plebibus communicauerunt, & pacem tenentes Catholicam, multas eorum qui catholicā aspernabātur fidem, persecutiones, vsque ad mēbrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, vt dixi per sanctum illum hominem Augustinum, consentientibus Coepiscopis & pariter satagentibus, & cœptum & perfectum est.

Porrò autem quoniam post illam, quæ cum Donatistis facta est, collationem, non defuerunt qui dicerent, permissos non fuisse eosdem Episcopos, apud Potestatem, quæ causam audiuit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam Catholicæ communionis cognitor suæ faciebat Ecclesiæ: licet hoc deficientes & victi, ad excusationem iactarent: quandoquidem & ante controuersiam ijdem hæretici Catholicæ communionis eundem esse nouerant, & cum ab eodem conuenirentur publicis gestis, quod ad Collationem occurrerent, se esse facturos prosecuti sunt. Poterant vtique suspectum eum habentes recusare congressum: tamen omnipotentis Dei præstitit auxilium, vt postea in Cæsareensi Mauritaniæ ciuitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quo eum venire cum alijs Coepiscopis sedis Apostolicæ literæ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates: hac ergo occasione prouenit, vt Emeritum, eiusdē loci Donatistarum Episcopum, quem suæ sectæ præcipuum in illa Collatione habuerunt defensorem, videret, & cum eodem publicè in Ecclesia, populo adstante diuersæ communionis, ex hoc ipso disputaret, & prouocaret gestis Ecclesiasticis: vt quod fortè, sicut dicebant, prosequi potuit in Collatione, & permissus non erat, in præsenti sine alicuius Potestatis prohibitione aut potentia,

Emeritum Episcopum Donatistarum vincit anno 418.

securus dicere minime dubitaret, & in sua ciuitate suis omnibus præsentibus ciuibus, fiducialiter propriam defendere cõmunionem non denegaret. Ille nec hac hortatione, nec suorum parentum & ciuium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur, sed ad eius redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum, salutisque suæ temporalis, si modò catholicam superaret assertionem. At ille amplius dicere illis gestis nhil voluit, nec valuit, nisi tantum: Iam illa, inquit, gesta continentur apud Carthaginem inter Episcopos confecta, vtrum vicerimus, an victi fuerimus. Et dum à Notario alio loco, vt responderet admoneretur, & reticeret, eius cunctis manifestata diffidentia Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt. Quisquis ergo diligentiam & operam beatissimæ memoriæ AVGVSTINI pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenius voluerit; etiam illa percurrat gesta & inueniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquẽtem & prædicatum hominem prouocarit, hortatusque fuerit, vt pro suæ defensione partis, quod vellet ediceret, illumque victum cognoscet.

Manichæũ quendam concioni adstantem conuertit non sine miraculo.

Scio item non ego solus ipse Possidius Præsul, qui vitam hanc conscribo, verùm etiam alij fratres & conserui, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto viro viuebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Aduertistis hodie in Ecclesia meum sermonem, eiusque initium in finem contra meam consuetudinem processisse: quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? cui respondimus: ita nos in tempore miratos fuisse & scimus, & recognoscimus. At ille: credo, ait, quod forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram obliuionem & errorem, doceri & curari voluerit, in cuius manu sunt, & nos & sermones nostri. Nam cum propositæ quæstiones latebras pertractarem, in alium sermonis excursum perrexi, atque ita non conclusâ vel explicatâ quæstione, disputationem terminaui, magis aduersum Manichæorum

nichæorum errorem, vnde nihil dicere decreueram, disputans, quam de ijs, quæ asserere proposueram. Et post hæc, nisi fallar, ecce alio die vel post biduum, venit quidam, Firmus nomine, negociator, & intra MONASTERIVM sedente sancto AVGVSTINO, coram nobis, ad pedes eius genibus prouolutus, sese iactauit, lachrymas fundens & rogans, vt pro suis delictis sacerdos cum suis Dominum deprecaretur, confitens quod Maniehæorum sectam secutus fuisset, & in ea quam plurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis, quos dicunt Electos, incassum erogasset; ac se in Ecclesia per Dei misericordiam fuisse eius tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum. Quod & ipse venerabilis AVGVSTINVS, & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum, an illo tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificauimus sanctum eius nomẽ & benediximus: qui cum voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit, & per scientes, & per nesciẽtes animarum operatur salutem. Ex eo ille homo proposito SERVORVM DEI adhærens, negociatoris dimisit actionem, & proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyteri quoque Dei voluntate petitus & coactus officium accessit, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: & forte adhuc vsque in rebus humanis viuit trans mare constitutus. *Firmus ille Manichęus ab eo conuersus, fit Monachus.*

Apud Carthaginem quoque dum per quendam domus regiæ procuratorem, nomine Vrsum, fidei catholicæ hominem, ad quosdã Manichæorum, quos Electos vel Electas dicunt, blasphemis operibus præsentes perueniretur, atque ad Ecclesiam ab eodem deducerentur, & perducerentur; ab Episcopis ad tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ AVGVSTINVS fuit, qui præ cæteris illam execrabilem sectam nouerat, & eorum prodens eiusmodi damnabiles blasphemias, ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, vs- *Anno 420.* *Manichęos ad confessionem sua rum blasphemiarũ vsque perducit.*

que

que ad confeſſionem earundem blaſphemiarum eos perduxit: & quæ inter ſe illi ſuo more malo indigna & turpia facere conſueuerunt, à fœminarum illarum velut Electarum proditione, illis Eccleſiaſticis geſtis declaratum eſt. Atque ita paſtorum diligentia Dominico gregi & augmentum acceſſit, & aduerſus fures atque latrones defenſio competens procurata eſt.

Felicem Manichęũ conuertit anno 404.

Cùm quodam etiam Felice de numero eorum, quos Electos dicunt iidem Manichæi, quique Hipponem venerat, eundem ſeminaturus errorem, publice in Hipponenſi Eccleſia notarijs excipientibus diſputauit beatus Auguſtinus, populo adſtante, & poſt ſecundam vel tertiam collationem ille Manichæus, fruſtrata vanitate, & errore illius ſectæ, ad noſtram conuerſus eſt fidem atque Eccleſiam, ſicut eadem relecta docere poterit ſcriptura.

Paſcentium Comitem fidei Catholicę oppugnatorẽ atrociſsimum conuincit anno circit. 422.

Præterea cum quodam etiam Paſcentio, Comite domus regiæ, Arriano, qui per authoritatem ſuæ perſonæ fiſci vehementiſſimus exactor, fidem Catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat, & quamplurimos Sacerdotes Dei, ſimpliciori fide viuentes, dicacitate ac poteſtate exagitabat & perturbabat, præſentibus honoratis & nobilibus, apud Carthaginem ab illo prouocatus, coram contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque ſtylum, quod magiſter noſter & ante congreſſum & in congreſſu inſtantiſſimè fieri volebat, ne adeſſent omnimodè recuſauit: & dum id pernegâſſet, dicens quod legum metu publicarum periclitari tabulis ſcriptis nollet, interpoſitis ſtylo & tabulis: Auguſtinus Epiſcopus cum ſuis, qui aderant, conſacerdotibus id placere videret, vt abſque vlla ſcriptura priuatim diſputarent, Collationem ſuſcepit, prædicens vt poſtmodum contigit, quod poſt ſolutum conuentum eſſe cuiquam poſſet liberum forte dicere, nullo ſcripturæ documento ſe dixiſſe, quod fortè non dixerit, vel nõ dixiſſe, quod dixerit. Et ſic miſcuit cum eodem ſermonem, atque aſſeruit qui crederet: & ab illo, quid teneret, audiuit, & vera ratione atque authoritate

ſcriptu-

ſcripturarum probata docuit & oſtēdit noſtræ fidei firmamenta: illius autem aſſerta, nulla veritate, nulla ſcripturarum ſanctarum authoritate ſuſſulta docuit & fruſtrauit. Et vt à ſe inuicem partes digreſſæ ſunt, ille magis magiſque iratus & furēs, mendacia multa pro fide ſua falſa iactabat victum eſſe à ſeipſo proclamans, multorū ore laudatū Auguſtinū. Quæ cum illum venerabilem virū minime laterēt, coactus eſt ad ipſum ſcribere Paſcentium, propter illius metū omiſſis nominibus conferentium, & in eis literis, quicquid inter partes dictum vel geſtum fuerat, fideliter intimauit ad ea, ſi negarentur probanda magnā teſtium habens copiam, clariſſimos ſcilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo ſibi directa ſcripta, vnum vix reddidit reſcriptum: in quo magis iniuriam facere, quàm ſuæ ſectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere comprobatur.

Cùm ipſorum quoque Arrianorum Epiſcopo quodam Maximino, cum Gothis ad Aphricam veniēte, apud Hipponem quamplurimis volentibus atque petentibus, & præclaris interpoſitis viris, cōtulit, & quid ſingulæ aſſeruerint partes ſcriptum eſt. Quæ ſi ſtudioſi diligēter legere voluerint, proculdubio indagabunt, & quid callida & irrationabilis hæreſis ad ſeducendum & decipiendum profiteatur, & quid Eccleſia Catholica de diuina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginē, de ſua multa in collatione loquacitate victorem ſe de ipſa collatione receſſiſſe iactauit, & mentitus eſt, quæ vtriq; nō facile à diuinæ legis ignaris examinari & diiudicari poſſent: à venerabili viro Auguſtino ſequenti tēpore ſtylo, & illius totius collationis de ſingulis obiectis & reſpōſis facta eſt recapitulatio: & quam nihil ille obiectis referre & reſponſis contradicere potuerit, nihilominus demōſtratum eſt, additis ſupplementis, quæ in tempore collationis anguſto cuncta inferri & ſcribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis: vt ſua nouiſſima proſecutione multū longiſſima, totum, quod remanſerat, diei ſpatium occuparet.

*Diſputat cum Maximino Arianorum Epiſcopo.*

Pelagianos debellat.

Aduersus Pelagianistas quoque, nouos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbicunque poterant, publicè & per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Ecclesia populis ex eodem errore frequentissimè disputans. Et quoniam ijdem peruersi sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam Concilijs Aphricanis sanctorum Episcoporum gestum est, vt sancto Papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & postea sancto Zozimo eius successori persuaderetur, quá illa secta à Catholica fide & abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ sedis Antistites, suis diuersis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Aphricanas, Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Catholicæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit. Vnde nonnulli ex eis, ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, vnde resilierant, redierunt, & adhuc alij redeunt, innotescente & præualescente aduersus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

Et erat ille memorabilis vir Augustinus, præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem solicitus semper ac peruigil. Et illi diuinitus donatum est, vt de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere prouenisset: prius quidem in Hipponensi Ecclesia & regione, cui maxime præsidebat, vnitate ac pace perfecta: deinde in alijs Aphricæ partibus, siue per seipsum, siue per alios, & quos ipse dederat sacerdotes pullulasse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam peruidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens. Profectibus quoque & studijs fauens erat & exultans bonorum omnium, indisciplinationem

piè

piè ac ſanctè tolerans Fratrum, ingemiſcenſque de iniquitatibus malorum, ſiue eorum, qui intra Eccleſiam, ſiue eorum, qui extra Eccleſiam ſunt conſtituti, Dominicis, vt dixi, lucris ſemper gaudens, & damnis mœrens.

Tanta autem ab eodem dictata & edita ſunt, tantaque in Eccleſia diſputata, excepta atque emendata, vel aduerſus diuerſos hæreticos conſcripta, vel ex canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum Eccleſiæ filiorum, vt ea omnia vix quiſquam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat. Scriptorum eius ingens copia.

Secundum Apoſtoli quoque ſententiam, dicentis: *Audet quiſquam veſtrum aduerſus alterum negocium habens, iudicari ab iniquis, & non apud ſanctos? an neſcitis, quia ſancti mundum iudicabunt? & ſi in vobis iudicatur mundus, indigni eſtis iudiciorum minimorum? neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, nedum ſecularia? ſecularia igitur iudicia ſi habueritis inter vos, eos qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis loquor. Sic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum dijudicare, ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?* 1.Cor. 6. Interpellatus ergo beatus Auguſtinus à Chriſtianis, vel à cuiuſcumque ſectæ hominibus, cauſas audiebat diligenter ac pie: cuiuſdam viri ſapientis cognitam ſententiam ante oculos habens, dicentis: Se malle inter incognitos, quam inter amicos cauſas audire; eo quòd de incognitis, pro quo arbitratâ æquitate iudicaretur, amicum poſſet acquirere; de amicis verò vnum eſſet, contra quem ſententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando vſque in horam refectionis, aliquando autem totâ die ieiunans, ſemper tamen noſcebat & dirimebat, intendens in eis Chriſtianorum momenta animorum, quantum quiſque vel in fide boniſque operibus proficeret, vel ab ijs deficeret: atque compertis rerum opportunitatibus, diuinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos, quo adipiſcerentur vitam æternam, edocebat & admonebat: nihil aliud quærens ab ijs, quibus ad hoc vacabat, niſi tantum obedientiam Audit omnium cauſas accuratiſsimè.

& deuotionem Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus: peccantes coram omnibus arguens, vt cæteri timorem haberent. Et faciebat hoc tanquam speculator à Domino constitutus domui Israël, prædicans verbum, atque instans opportune, importune, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate & doctrina; præcipueque operam dans instruere eos, qui essent idonei & alios docere.

Rogatus quoque à nonnullis, in eorum temporalibus caussis, epistolas ad diuersos dabat. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem tanquam angariam deputabat: suauem semper habens de ijs, quæ Dei sunt, vel allocutionem, vel collationem fraternæ & domesticæ familiaritatis.

Pro reis & miseris intercedit.

Nouimus quoque eum, à suis charissimis, literarum intercessum, apud sæculi potestates postulatum, non dedisse, dicētem, cuiusdam sapientis seruandam esse sententiam, de quo scriptum esset: Quòd multa suæ famæ contemplatione, amicis non præstitisset; illud nihilominus suum addens, quoniam plerūq; potestas, quæ præstat, premit. Cùm verò intercedendū esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperatè agebat, vt non solùm onerosus ac molestus non videretur, verūetiam mirabilis existeret. Nam dum exorta necessitate suo more apud quendam Aphricæ Vicarium, nomine Macedonium, pro supplice literis interueniret, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum transmisit. *Miro modo afficior sapientiâ tuâ, & in illis, quæ edidisti, & in ijs, quæ interueniens pro reis mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, scientiæ & sanctitatis, vt nihil supra sit: & hæc tantum verecundiæ, vt nisi faciam, quod mādas, culpā penes me remanere, non in negocio esse, dijudicem, domine merito venerabilis & vere suscipiēde pater. Non enim instas (quod pleriq; homines istius loci faciunt) vt quodcunque solicitus petitor voluerit, extorqueas; sed quod tibi à iudice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones, & rogas subseruiente verecūdiâ, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim cōmendatis effectum desiderij tribui: nam sperandi viam ante patefeceram.*

Sancto-

Sanctorum Concilia Sacerdotum, per diuersas prouincias celebrata, cum potuit, frequentauit; non in eis quæ sua sunt, sed quæ Iesu-Christi, quærens, vt vel fides sanctæ Ecclesiæ Catholicæ inuiolata maneret, vel nonnulli sacerdotes & clerici, siue per fas, siue per nefas excommunicati, vel absoluerentur, vel abijcerentur. Non quęrit quæ sua sũt sed quæ Iesu Christi.

In ordinandis verò sacerdotibus & clericis, consensum maiorem Christianorum, & consuetudinem Ecclesiæ sequendam arbitrabatur.

Vestes eius & calceamenta & lectualia, ex moderato & competẽti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimùm: quia his plerunque vel iactare se insolenter homines solẽt, vel abijcere, ex vtroque non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt, iidem quærentes. At ille beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensa vsus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando, propter hospites habebat vel quosque infirmiores. Semper autem vinum habebat, quamuis modice & temperanter; quia nouerat & docebat, vt Apostolus dicit, quòd *omnis creatura Dei bona sit, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. Et vt idem Augustinus in suis Confessionum libris posuit, dicens: *Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immũditiam cupiditatis. Scio enim Noë omne genus carnis quod cibo esset vsui, manducare permissum, Eliam quoque cibo carnis refectum, Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Scio & Esau lenticulæ concupiscentia deceptum, & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, & Regem nostrum, non de carne, sed de pane tentatum. Ideoq; & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmurauit, meruit improbari*. De vino autem sumendo Apostoli extat sententia, ad Timotheum scribentis, ac dicentis: *Noli adhuc aquam bibere,*

Eius victus & vestitus.

1. Tim. 4.

Lib. 10. conf. 31.

*sed vino modico vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.*

Eius vtensilia.

Cochlearibus tantum argenteis vtens, cætera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testacea, vel lignea, vel marmorea erant: non tam necessitatis inopia, quam proposito voluntatis. Hospitalitatem quidem semper exhibuit.

Leges mēsæ eiusdem

Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat: & contra pestilentiam humanæ consuetudinis, in ea ita scriptum habebat:

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,*
*Hanc mensam vetitam, nouerit esse sibi.*

Et ideo omnem conuiuam à superfluis & noxijs fabulis & detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coëpiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alij, qui mensæ interfuimus, experti sumus.

Eius in pauperes liberalitas.

Pauperum verò semper memor erat, eisque inde erogabat, vnde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex redditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, vt assolet, de possessionibus ipsis inuidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri Testamento leguntur altari deseruientes, de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.

1. Cor. 9.

Donata vel legata Ecclesiæ non respuebat.

Domus Ecclesiæ curam omnemque substantiam, ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat: nunquam clauem, nunquam annulum in manu habens: sed ab eisdem domus

mus Præpositis cuncta & accepta, & erogata notabantur. Quæ anno completo eidem recitabantur, quò sciretur, quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quicquid indispensatum vel dispensandnm remansisset, & in multis titulis magis illius Præpositi domus fidem sequens, quàm probatum manifestumque cognoscens.

Domum verò, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit. Verùm si fortè Ecclesiæ à quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur: non respuebat, sed suscipi iubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recusasse nouimus; non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filijs vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus, ab eis deficientes, dimittere noluerint.

Quidam etiam ex honoratis Hipponensium, apud Carthaginem viuens, Ecclesiæ Hipponensi possessionem donare voluit, & confectas tabulas, sibi vsu fructu retento, vltro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit. Cuius ille oblationem libenter accepit, congratulans, quod æternæ suæ memor esset salutis. Verùm post aliquot annos, nobis fortè cum eodem cominus constitutis, ecce ille Donator literas per filium suum mittens, rogauit vt ille donationum tabulæ suo filio redderentur; pauperibus verò erogandos direxit solidos centum. Quo ille sanctus cognito ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere pœnituisse, & quantum potuit Deo suggerente cordi eius, condolente animo, ex eadem refragatione, dixit in illius scilicet increpationem & correctionem. Et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas nec exactas, confestim reddidit: pecuniamque illam respuit atque rescriptis eundem sicut oportuit, & arguit, & corripuit; admonens vt de sua simulatione, vel iniquitate, pœnitentiæ humilitate, Deo satisfaceret; ne cum tam graui delicto de seculo exiret. Frequentius quoque dicebat, securius ac tutius Ecclesiã legata à defunctis dimissa debere suscipere, quàm hære-

hæreditates fortè solicitas, & damnosas ipsaque legata magis offerenda esse, quàm exigenda. Commendata verò quæque ipse non susci piebat, sed volentes suscipere Clericos non prohibebat.

Æternis temporalia postponit.

In his quoque quæ Ecclesia habebat & possidebat intentus amore vel implicitus cupiditate non erat: sed maioribus magis & spiritualibus suspensus & inhærens rebus, vix aliquando seipsum ad ista temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat, & deponebat. Quibus citissimè ille depositis & ordinatis, tanquam à rebus mordacibus & molestis, animi recursum ad interiora mentis & superiora faciebat: quo vel de inueniendis diuinis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dictaret; aut certè ex iam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans. Et erat tanquam illa religiosissima Maria, Typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptum est: quod sederet ad pedes Domini, atque intenta verbum eius audiret: de qua Soror conquesta quod ab eâdem circa multum ministerium occupata, non adiuuaretur, audiuit: *Martha, Martha solicita es, Elegit meliorem partem Maria, quæ non auferetur ab ea.* Nam fabricarum nouarum nunquam studium habuit, deuitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali. Non tamen illas volentes & ædificantes prohibebat, nisi tantùm immoderatos. Interea dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes frangi quædam & conflari iubebat, & indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri peruiderem. Et hoc ipsum etiam Venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, & dixit & scripsit. Sed & inde de neglecto à fidelibus gazophylacio & secretario, vnde Altari necessaria inferuntur, aliquando in Ecclesia loquens admonebat: quod

Lucæ 10.

Nouarum fabricarum immoderata constructione non delectatur.

quod etiam Beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractauisse nobis aliquando retulerat.

Cùm ipso semper Clerici vna etiam domo ac mensa sumptibusque communibus alebantur, & vestiebantur. Et ne quisquam facili iuratione etiam ad periurium decidisset, & in Ecclesia populo prædicabat, & suos instituerat: ne quis iuraret nec ad modicum quidem. Quod si prolapsus fuisset, vnam de statutis perdebat potionem. Numerus enim erat suis secum commorantibus, & conuiuantibus poculorum præfixus. Indisciplinationes quoque & transgressiones suorum à Regula recta & honesta, & arguebat & tolerabat, quantum decebat & oportebat: in talibus præcipuè docens ne cuiusquam cor declinaretur in verba maligna, *ad excusandas excusationes in peccatis.*

Aduersus deprauatos seculi & patriæ mores decernit, tam in ratione iuraméti quàm intemperátiæ.

*Psalm. 14?.*

Docebat itidem, vt dum quisque offerret munus suum ad altare, & illic recordatus fuisset, quod Frater suus haberet aliquid aduersus illum, relinquendum esse munus ad altare, atque eundem Fratrem esse reconciliandum, & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si vero ipse aduersus Fratrem suum aliquid haberet corripere eum debere in parte: & si eum audisset, lucratus esset suum Fratrem; sin minus, adhibendum esse vnum aut duos. Quod si & ipsos contemneret, Ecclesiam adhibendam. Si verò & huic non obediret, esset illi vt ethnicus & publicanus. Et illud addens, vt peccanti & veniam petenti, non tantum septies, sed septuagies septies delictum relaxaretur, sicut quisque à Domino quotidie sibi postulat relaxari.

*Matth. 5.*

Fœminarum autem intra domum eius nulla vnquam conuersata est, nulla mansit, nec quidē germana soror, quæ vidua DEO SERVIENS, multo tempore, vsque in diem obitus sui, PRÆPOSITA ANCILLARVM DEI vixit. Sed neque patrui sui filiæ, & Fratris sui filię quę pariter DEO SERVIEBANT: Quamuis has personas SS. Episcoporum Concilia posse cum Episcopis & presbyteris conuersari cōcessissent. Dicebat verò, quia etsi de sorore

Nullam apud se fœminam patitur.

Habet suas sorores & neptes Religiosas ac Sanctimoniales.

& neptibus secum commorantibus, nulla nasci posset mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine alijs necessarijs secumque manentibus fœminis esse non possent, & de his fœminis quod ad eas etiam à foris intrarent, posse offendiculum aut scandalum infirmis nasci: & illos qui cum Episcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum personis vnà commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis posse perire; aut certè malis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob hoc ergo dicebat, nunquam debere fœminas cum SERVIS DEI etiam castissimis, in vna manere domo; ne vt dictum est aliquod scandalum, vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si fortè ab aliquibus fœminis vt videretur vel salutaretur rogabatur; nunquam sine clericis testibus ad eum intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.

Fœminas solus non alloquitur.

In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, vt non nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret; sine mora pergebat: Fœminarum autem MONASTERIA, non nisi vrgentibus necessitatibus visitabat. Seruandũ quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosij compererat; Vt vxorem cuiquam nunquam posceret; Neque militare volentem ad hoc commendaret; Neque in suâ patriâ petitus iret ad conuiuium: de singulis rebus præstans causas, scilicet: Ne dum inter se coniugati iurgarent ei maledicerent, per quem coniuncti essent; sed planè ad hoc sibi iam consentientibus, petitum interesse debere Sacerdotem, vt vel eorum iam pacta & placita firmarentur; vel benedicerentur: Et ne militiæ commendatus ac malè agens, suam culpam suffragatori tribueret: Et ne per frequentiam conuiuiorum temperantiæ amitteretur modus.

Iac. 1. cap.

Tria axiomata moralia seriò obseruabat.

Iudicauerat quoque nobis, se prædicti B. viri Ambrosij in vltimo

vltimo vitæ constituti, audisse sapientissimum & pijssimum responsum; & multum laudabat ac prædicabat. Nam cum ille, inquit, Venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis, lecto eius adstantibus, & videntibus eum de seculo migraturum ad Deum, & ob hoc mærentibus, tanti scilicet ac talis Antistitis morte Ecclesiam posse priuari verbi sacramenti Dei dispensatione; & cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse: *Non sic vixi vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*. Et hæc noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur, & laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum est: *Nec mori timeo quia bonum Dominum habemus*; ne crederetur præsidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. *Non sic vixi vt me pudeat inter vos viuere*. Hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen æquitatis diuinæ de bono Domino se dicebat magis, quam de meritis suis confidere: cui etiam in oratione quotidiana dicebat; *Domine nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Cuiusdam quoque Coëpiscopi & familiarissimi sui amici in extremis vitæ, de talibus frequentissimum referebat dictum: Ad quem quum visitandum iam morti propinquantem ventitasset, & ille manuum gestu, se de sæculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum; Adhuc eum Ecclesiæ necessarium viuere posse, illum ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, respondisse ei: *Si nunquam, bene: Si aliquando, quare non modo?* Et talem sententiam mirabatur & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem veruntamen in villa natum & nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia.

Eius confidentia in exspectatione mortis.

Illud etiam cuiusdam ægrotantis dictum afferebat Episcopi de quo sanctus in Epistola sua quam de mortalitate scripsit, Martyr Cyprianus, ita retulit dicens: *Cùm quidam de collegis & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquante morte*

Cyprianus serm. de mortalitate.

*morte solicitus, commeatum sibi precaretur, adstitit deprecanti, & iam penè morienti, iuuenis honore & maiestate venerabilis, staturâ celsus, & clarus adspectu,* & quem adstantem sibi vix posset humanis adspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: *Pati timetis, exire non vultis; quid faciam vobis?*

Scribit libros Retractationum.

Antè proximum verò diem infirmitatis obitus sui, à se dictatos & editos recensuit libros, siue eos quos primo tempore conuersionis suæ adhuc Laicus, siue quos presbyteros, siue quos Episcopus dictauerat, & quæcunque in his recognouit, aliter quam se haberet Ecclesiastica Regula à se fuisse dictata, & scripta, cum adhuc Ecclesiasticum vsum minus sciret minusque intelligeret, à semetipso & reprehensa & correcta sunt. Vnde etiam duo conscripsit volumina quorum est titulus, *De Retractione vel recensione librorum*. Prærepros etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendatiorem à nonnullis Fratribus conquerebatur; licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam librorum suorum, præuentus morte reliquit. Quique prodesse omnibus volens & volentibus multa librorum legere; & non valentibus, ex vtroque diuino Testamento Veteri, & Nouo, præmissa præfatione præcepta diuina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit; atque ex his vnum codicem fecit; vt qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo inobediensue esset agnosceret. Et hoc opus voluit Speculum appellare.

Barbarorum irruptiones patitur.

Verùm breui consequenti tempore, diuina voluntate & potestate prouenit, vt manus ingens diuersis telis armata & bellis exercitata immanium hostium Wandalorum & Alanorum, commixtam secum habentes Gotthorum gentes, aliarumque diuersarum gentium personas ex Hispaniæ partibus transmarinis nauibus Aphricæ influxisset & irruisset; vniuersaque per loca Mauritaniarum, etiam ad alias nostras transiens prouincias & regiones, omni sæuiens crudelitate & atroci-

atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatiõne, cædibus, diuersisq́; tormentis,incendijs, alijsque innumerabilibus infandis malis depopulata est,nulli parcẽs ætati nec ipsis Dei sacerdotibus vel ædificijs.Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem,ille homo Dei, & factam fuisse, & fieri non vt cæteri homines sentiebat & cogitabat: sed altius & profundius eam considerans,& in hac animarũ prçcipuè,vel pericula,vel mortes præuidẽs,solito amplius(quoniam vt scriptum est: *Qui apponit scientiam apponit dolorẽ*; Et: *Cor intelligens,quasi tinea est ossibus*) fuerunt ei lachrymę panes die ac nocte amarissimamq́; & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam penè extremã ducebat ac tolerabat vitam.Videbat enim ille homo Dei,ciuitates excidio perditas, pariter cum ædificijs, villarumq́; habitatores, alios hostici nece extinctos,alios effugatos,atque dispersos,Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas Virginesq́; sacras & quosque Continentes; vbique dissipatos, & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captiuitate perditâ animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac durè hostibus deseruire: Hymnos Dei & laudes ab Ecclesijs deperisse,ędificia Ecclesiarum quam plurimis locis ignibus cõcremata, solemnia quoque quæ Deo debeatur de proprijs locis defecisse: sacrificia & sacramenta diuina, vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facilè reperiri: in ipsas montium SYLVAS ET CAVERNAS PETRARVM ET SPELVNCAS confugientes; vel ad quascunque munitiones; alios fuisse expugnatos & interfectos alios ita necessarijs sustentaculis* euolutos atq; priuatos vt fame contabescerent; ipsosque Ecclesiarũ Præpositos & Clericos,qui fortè Dei beneficio,vel eos non incurrerãt, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos egentissimos mendicare;nec ijs omnibus ad omnia,quibus fulciẽdi essent subueniri posse.Vix tres superstites ex innumerabilibus Ecclesijs, hoc est Carthaginensem, Hipponensem, & Cirtensem:quæ Dei beneficio excisæ nõ sunt,& earum permanẽt ciuitates & diuino & humano fultæ præsidio,licet post eius

Eccles. 1.

* interceptos.

obitum vrbs Hipponensis incolis destituta, ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala ille homo Dei, cuiusdam sapientis sententia consolabatur dicentis: *Non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna & lapides & moriuntur mortales*. Hæc ergo omnia ille, vt erat alte sapiens, quotidie vbertim plangebat. Accreuitque mœroribus & lamentationibus eius vt etiam adhuc eo in statu cõsistente ad eandem Hipponensium regionum ciuitatem, ab ijsdem hostibus veniretur obsidendam. Quoniam in eius tunc defensione erat constitutus Comes quidam Bonifacius, cum Gotthorum quondam fœderatus exercitu: quam vrbem, fermè quatuordecim mensibus conclusam, obsederunt. Nam & littus illi marinum interclusione abstulerunt. Quò etiam nosipsi de vicino cum alijs nostris Coëpiscopis confugeramus, in eademque omni eius obsidionis tempore fuimus. Vnde nobiscum sæpissimè colloquebamur, & Dei tremenda iudicia præ oculis nostris posita considerabamus dicentes: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Pariterque dolentes, gementes, & flentes orabamus miserationum patrem & Deum omnis consolationis, vt de eadem nos tribulatione subleuare dignaretur.

*Ciuitas Hipponensis obsidetur.*

*Psalm. 118.*

*Coepiscopi cum Augustino interclusi in Iudiciorũ Dei meditatione sese exercẽt.*

Et fortè prouenit, vt vnà cùm eodem ad mensam constitutis & inde confabulantibus nobis diceret: Noueritis me hoc tempore nostræ calamitatis Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circundatam liberare dignetur; aut si aliud ei videtur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat; aut certè vt me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens nosque instruens, deinceps cum eodem & nos cum nostris omnibus, & ipsi qui in eadem fuerant ciuitate, à summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit lecto, febribus fatigatus & illâ vltimâ exercebatur ægritudine. Nec suum sanè Dominus famulum fructu suæ precis fraudauit. Nam & sibiipsi, & eidem Ciuitati, quod & lachrymosis deposcit precibus, in tempore impetrauit. Noui quoque eundem & presbyterum & Episcopum pro quibusdam

*Preces eius apud Deũ quanti sint ponderis.*

*Oratione liberat Energumenos à dæmonibus.*

dam energumenis petentibus, vt oraret, rogatum: eumque in oratione lachrymas fundentem Deum rogasse, & dæmones ab hominibus recessisse. Itemque scio ad eum ægrotantem, & lecto iacentem, quendam cum suo ægroto venisse & rogauisse, vt eidem manum imponeret, vt sanus esse posset, eumque respondisse, si in aliquid in his posset sibi, hoc vtique primitus præstitisset: illumque dixisse visitatum se fuisse sibique per somnium dictum esse: Vade ad Augustinum Episcopum vt eidem manum imponat, & saluus erit. Quod dum comperisset, facere non distulit, illumque infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit.

Manus impositione ægrotum sanat.

Interea reticendum minimè est, cùm memorati impendêrent hostes, à sancto viro nostro Coëpiscopo Thabennensis Ecclesiæ Honorato, litteris fuisse consultum, vtrumnam illis aduentantibus; ex Ecclesijs Episcopis vel clericis recedendum esset, nec ne? Eique rescriptis insinuasse, quid magis ab illis euersoribus esset metuendum. Quam eius epistolam huic scripturæ inherere volui. Est enim sacerdotum Dei & ministrorum moribus valdè vtilis & necessaria. Isto modo rescriptum est ad eundem ab eodem: Sancto Fratri & Coëpiscopo Honorato Augustinus in Domino salutem. Charitati tuæ misso exemplo epistolæ, quam Fratri QuodvultDeo nostro Coëpiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse, quod mihi imposuisti, quærendo consilium quid in his periculis, quæ tempora nostra inuenerunt, facere debeatis. Quamuis enim Epistolam &c.

Honorato Episcopo Thabennẽsi, consulẽti, quid in his angustijs agendum, respondet.

Sanè ille sanctus in vita sua prolixa, pro vtilitate ac fœlicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ diuinitus condonatâ, vixit annis septuaginta sex: in Clericatu autem vel Episcopatu annis fermè quadraginta. Dicere nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod ipse fecit vltimâ, qua defunctus est, ægritudine. Nam sibi iusserat psalmos Dauidicos, qui

Docet quãtumcumq; sancto nõ debere mori absque pœnitentiâ

Psalmos pœnitētiales prolixis vbertim lacrymis legit.

qui sunt paucissimi, de pœnitentiâ scribi, ipsosque quaterniones, iacens in lecto contra parietem positos, diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, ante dies fermè decem quàm exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantùm horis, quibus medici ad inspiciendum intrabant, vel cùm ei inferretur refectio. Et ita obseruatum ac factum est: Qui omni illo tempore orationi vacabat.

Ante mortem solus vult esse, vt Deo & orationi vacet.

Etiam ægrotus prędicat.

Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremam ægritudinem impratermissè, alacriter, & fortiter, sanâ mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicauit. Membris omnibus suis corporis incolumis, integro adspectu, atque auditu, nobis adstantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit cum patribus suis, enutritus in bonâ senectute: & nobis coram positis, pro eius commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.

Orans pijssimè moritur.

Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. Ecclesiæ Bibliothecam omnesque codices, diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid verò Ecclesia, vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fideli presbytero, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in Proposito, vel extra constitutos, in suâ vitâ & morte vulgi more tractauit. Quibus, dum adhuc superesset, id, si opus fuit, quod & cæteris, erogauit; non, vt diuitias haberent, sed vt, aut non, aut minùs, egerent. Clerum sufficientissimum & monasteria virorum ac fœminarum continētium, cum suis Præpositis plena, Ecclesiæ dimisit, vnà cum Bibliothecis libros & tractatus, vel suos, vel aliorum sanctorum habentibus; In quibus dono Dei qualis quantusq; in Ecclesia fuerit noscitur, & in his semper viuere à fidelibus inuenitur: Iuxta quod etiam sæculariū quidam poëtarum suis iubens, quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro Epigrammate finxit dicens:

Quid commendare solitus.

Non respexit vnquā sanguinem

Viuit perenniter in suis libris.

*Viuere*

*Viuere post obitum vatem vis nosse viator?*
*Quod legis, ecce loquor: vox tua, nempe mea est.*

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus & carus Sacerdos, quantùm lucente veritate videre conceditur, rectæ ac sanæ fidei, spei, & caritatis Catholicæ Ecclesiæ, vixisse manifestatur. Quod agnoscunt qui eundem de diuinis scribentem, legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum & loquentem in Ecclesiâ præsentem audire & videre potuerunt, & eius prçsertim inter homines conuersationem non ignorauerunt. Erat enim non solùm eruditus scriba in regno cælorum, de thesauro suo proferens Noua & Vetera, & vnus negociatorum, qui inuentam preciosam margaritam, quæ habebat, venditis, comparauit: verùm etiam ex ijs extitit vnus, ad quos scriptum est: *Sic loquimini, & sic facite*, & de quibus Saluator dicit: *qui fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Peto autem impendiò vestram caritatem, qui hæc scripta legitis, vt mecum Omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, vt hæc in notitiam & præsentium & absentium præsentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuissem; & mecum, ac pro me oretis, vt illius quondam viri, cum quo annis fermè quadraginta Dei dono absque amarâ vllâ dissensione familiariter ac dulciter vixi, & in hoc seculo æmulator & imitator existam, & in futuro Omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar. Amen.

Eum Theologi sequũtur.

Mirum erat eum viuentem videre ac audire.

*Matth.* 13.

*Iacob.* 3.

*Matth.* 15.

Quanta fuerit in domo Augustini pax & charitas.

## DE TRANSLATIONE RELIQVIARVM S. P. AVGVSTINI.

Domino Regum pijssimo Carolo Magno, Petrus Oldradus indignus Mediolanensium Archiepiscopus, perennem in Christo Coronam.

Opus quod Celsitudo Vestra, dum in vrbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit, vt aliquid DE TRANSLATIONE CORPORIS B. AVGVSTINI EPISCOPI de Sardinia Papiam inquirerem, & fideli sermone Celsitudini Vestræ transcriberem:

Hanc Epistolam integram habes apud Baronium seculo 8. anno 725. Gregorij Papæ II. anno 12.

Leon. Isaurici Imp. an. 10. indictione 8.

scriberem: quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboraui; & quod ex literis & libris Regum Longobardorum ac etiam ex traditione multorum legi & audiui, Deo adiuuante breuiter scribam.

Corpus S. Augustini transfertur in Sardiniã an. Domini D.IV. per S. Fulgẽtium, quem Augustianum Monachũ, & Monachismi per Africam & Siciliã fuisse Propatorem fusè docuit Baronius, & Acta eiusdem apud Surium tomo I.

Beatus Augustinus Doctor Ecclesiarum Christi, post MVLTA MIRACVLORVM SIGNA quibus in hoc mundo effulsit: post multam insudationem laborum, qua obstinationem hæreticorum rectum iter viæ deprauantium oppugnauerat, Deo animam reddens, honorificè à fidelibus sepultus est in ciuitate Hipponensi, in Episcopatu, suo in Ecclesia sancti Stephani currẽte anno Incarnationis Christi * quadringentesimo: ibique honorificè sepultus per manũ DISCIPVLORVM SVORVM, iacuit annis ferè * quinquaginta sex deinde in Sardiniam trãslatum est à fidelibus & Catholicis Episcopis, qui ob Christi fidẽ ab iniquo Trasamundo Rege vnà cum FVLGENTIO Ruspensi Episcopo, cum innumerabilibus Christi fidelibus in eandẽ insulam relegati fuerant: quo tempore Wandali armis Aphricam vastabãt; ne gemma & thesaurus tantus ab immundis spiritibus pollueretur, secum cum nonnullis alijs sanctorum reliquijs deportarũt. Ibi MVLTIS MIRACVLIS CLARVIT ANNIS * DVCENTIS VIGINTI TRIBVS. In quo manifestum datur intelligi, quod quos Deus caros habet; ad sanctitatis eorum testimonium clarificat, & insignit veritatibus miraculorum.

* CDXXX.
* LXXIV.
* CCXXI.

Vnde Luithprando Asprandi filio Longobardorum Rege, quo tempore à die obitus ipsius sancti ducenti * & octuaginta anni euoluti fuerant, regno Longobardorum adepto, & perseuerante in vero religionis proposito; quippe qui protector & defensor fidelis Ecclesiarum Dei extitit, vir certè tanto principatu dignissimus, si prudentiam, sapientiam, consiliumq; quo plurimum valebat, quis inspexerit. Iustitiâ autem & clementiâ ita insignis haberetur vt difficile iudicaretur, qua in re maiorem promeretur laudem. Christianus adeò fuit ac religionis amator, vt nulla vnquam in regno templa sine suo suffragio ædificari permiserit. Nam vt de cæteris taceam, Papiæ plurima

*CCXXIV.

rima templa ornatu miro construxit, donatis & additis multis castris & possessionibus: & præcipuè in palatio suo oratorium in honorem Saluatoris mundi extruxit, vbi & Sacerdotes & Clericos multos instituit, qui die noctuque diuina officia exoluerent, attributis multis bonis vt honestius & alacriùs Deo inseruire possent.

Et primo Regni sui anno donationem quam B. PETRO Aripertus Rex donauerat, confirmauit, scilicet Alpes Cottias, in quibus Ianua est, & quicquid ab ea Alpes vsque Galliarum fines continebant. Et beato Petro Apostolorum Principi in suburbio Papiensi Monasterium construxit, artificis opere excellenter ornatum, cui etiam indidit nomen COELVM-AVREVM.

Transfertur ex Sardinia Ticinum & cum corpore etiam mitra & eiusdem baculus pastoralis, vide Baron. in notis Martyrologij Romani prid. Kal. Martij.

Barbarorum igitur infinita multitudo Sardiniam expugnare est aggressa: quàm cùm inuasissent & subiugatam destruerent, loca etiam sancta violenter aggressi polluebant: inter quæ sepulchrum BEATI AVGVSTINI. Hæc cùm iustitiæ cultor & amator religionis Luithprandus Rex audisset à sanctæ memoriæ Petro Papiensi Episcopo, quem Rex maximo honore & summâ reuerentiâ ob vitæ sanctitatem prosequebatur, videlicet, conquinari & inhonestè tractari sanctissimi AVGVSTINI locum, Legatos suos proceres nobiles, cum magno pondere auri & argenti transmisit in Sardiniam, vt corpus tanti sancti redimerent precio, & transferrent quamprimum ad ciuitatem Papiensem. Qui iussioni & desiderio pijssimi Regis satisfacere cupientes, nauigio venerunt in Sardiniam, & redimentes CORPVS SANCTVM à barbaris, nauique illud imponentes, Dei misericordia & ingenti eorum gaudio, plenis velis per tranquillum mare, in vnius diei & noctis spatio, perducti sunt ante portum, & stationem Ianuensem: & per legatos Regi quæ facta erant denunciarunt, & vt honorificè occurrerent ad reliquias tam GLORIOSI CORPORIS suscipiendas.

Quo audito Rex immenso gaudio perfusus, gratias ingentes Deo referebat quòd desiderium suum impleuisset, omnique negotio postposito, rogatis & conuocatis omnibus, ciuitatum suarum Episcopis & vniuerso clero, vsque ad finem agri Dertonensis ad suscipiendum tam PRÆCLARVM DEI MVNVS, cùm maxima humilitate processit; & more Dauidico ad accipiendam arcam Domini, & reponendam in decentiori loco, properabat cum innumerabili procerum, & populi vtriusque sexus multitudine, Deo gratias omnes agentes de tantis donis datis.

Cùm autem ad locum, vbi iacebat sanctum corpus, appropinquasset, depositis regalis aulæ insignibus, nudatoque capite & pedibus, cum tanta humilitate & deuotione procedebat, vt omnes qui aderant mirarentur, & Deum super tanta deuotione pijssimi Regis laudarent. Ad confessorem autem suum clarificandum misericors Dominus dignatus est, MVLTA MIRACVLA operari. Multi enim aliquo officio corporis priuati aderant, qui recuperatâ sanitate, alacres ad laudem & honorem Dei vociferantes, læti ad propria remeabant. Vnde Corpus Beati Confessoris cum laudibus & hymnis deferẽtes, peruenerunt ad fines agri Dertonensis, ad prædium quod appellant Sauinariense, vbi Rex Luithprandus cum vniuerso Episcoporum & procerum comitatu pernoctantes, & debitum tanto patre officium dignè peragentes, Rex ipse tanquam vnus de plebe, propè sanctissimi corporis Reliquias nimio deuotionis zelo ardens pernoctauit.

Cùm autem aurora sequentis diei illucesceret, ad peragendum iter ad vrbem Ticinensem sistentes, NVLLO MODO SANCTVM CORPVS MOVERE POTVERVNT. Cùm igitur plures ad feretrum accederent, nec quicquam proficerent, Rex Luithprandus scissis vestibus, & deformata facie, in terra deuolutabatur. Quippè qui in immenso desiderio tanti patris transferendi reliquias ad vrbem Ticinum æstuabat nimis. Ac tum omninò ab omni spe ceciderat, posse amoueri sanctum Cor-

Corpus, quo MIRACVLO omnes Episcopi & Proceres stupebant, cogitantes intra se, quidnam Deus omnipotens indicare vellet de Reliquijs tam gloriosi Doctoris. Aderat inter cœtum Episcoporum, sanctæ memoriæ Gratianus Nouariensis Ecclesiæ Præsul, vir multa doctrina præditus, & omni scientiarum genere illustris, & verè Dei Sacerdos, qui accessit confidenter ad Luithpardum Regem, affirmans Dei misericordiam non verbis & actibus externis, sed magis votis & operibus implorandam. Quæ Rex libentissimè monita audiens, facto voto deliberauit, si Dominus Deus omnipotēs corpus B. Augustini Ticinum deferri permitteret, quod supra nominatum prædium Sauinariense, Deo & Ecclesiæ B. PETRI, ad quam ipsum sanctum corpus deferre volebat, perpetuo habendum tribueret. Factum est igitur, vt cum votum persoluisset, accederet ad feretrum: qui cùm corpus de terra leuare tentaret, ita LEVISSIMVM INVENIT, VT NVLLO VLTERIVS ONERE IMPEDIENTE, CORPVS BEATISSIMVM, QVOD PRIVS NEC MOVERI POTERAT A PLVRIBVS, MODO NON PROHIBERETVR FERRI A DVOBVS. Peragebant igitur incœptum iter ingenti gaudio & exultatione, laudantes Dei omnipotentiam, qui vota Regis tam facilè audisset.

Hoc prædium Ecclesiamque possident hodie cum Canonicis Regularibus Eremitæ Augustiniani, qui seiunctis hinc inde Monasterio vno tēplo & choro coutuntur.

Cùm autem in vrbe auditum esset de aduentu Regis cum Reliquijs Beatissimi Confessoris; ad suscipiendum CORPVS SANCTISSIMVM, omnes qui residui fuerant, festinarunt occurrere, cum summo honore; vtpote tanto Patri debito, detulerunt, cum Hymnis & Canticis, & totius populi concursu summo gaudio perfusi, & reposuerunt in Ecclesia B. PETRI in Cœlo-Aureo. Iure autem in Apostolica positus est Ecclesia, qui pro Ecclesiastica dimicans fide, diabolicas hæreticorum fraudes dispersit. Vbi etiam ad sanctitatis eius testimonium, ad argumentum fidei posterorum, MVLTIS SIGNIS ET MIRACVLIS CLARVIT.

S. Augustinus apparet quibusdam vltra-montanis infirmis.

Illud memoria dignum contigit, post translationem Papiam factam, quo Deo Beatoque Patri Augustino gratam

fuiſſe eam Tranſlationẽ innotuit. Si quidem MVLTI TACTV SACRORVM PIGNORVM TANTVM, EX VARIIS MORBIS STATIM CONVALVERE. Sed inſignis fuit illa apparitio facta quibuſdam Vltramontanis numero XL. qui petentes Romam prope viculum Cauæ Papia diſtantis circiter tria millia paſſuum, quo membra feſſa in longo itinere curarent, pernoctantes, circa ſecundam horam noctis; ab Eccleſia, quæ vicina erat dicata ſanctis Martyribus Coſmæ & Damiano, viderunt egredi hominem, habitu Pontificali ornatum, qui ipſis appropinquans, percunctatus eſt: Quò pergerent? Cùm reſpondiſſent ſe Romam ad Baſilicas ſanctorum Petri & Pauli proficiſci; quatenus à Domino impetrarent liberari ab infirmitatibus, quibus vnuſquiſque eorum affligebatur. Erant enim omnes infirmi, ideò Romam peregrinabantur, tum vt viſerent ſancta loca, tum vt ſanctorum meritis ibi quieſcentium, Deus eos ſanaret. Dixit illis Pontifex: Dirigite greſſus veſtros ad vrbem vobis vicinam, Papiam nempè; & ingredimini templum B. Petri in Cœlo-Aureo: ingreſſi ſanabimini à languoribus veſtris. Quis eſſet interrogantibus peregrinis, reſpondit ſe eſſe AVGVSTINVM Hipponenſem Epiſcopum. His auditis, ſtupore & gaudio repleti feſtinantes Papiam & templum ingreſſi, clamantes dixerunt: Sancte AVGVSTINE ſicut pollicitus es, reſtitue nobis ſanitatem. His vix pronunciatis, SENSERVNT SE PRISTINÆ INCOLVMITATI REDDITOS, & Deo beatoque AVGVSTINO gratias agentes, ad propria læti & incolumes remearunt, narrantes MIRABILIA * quæ fecerat Dominus INTERCESSIONE TANTI DOCTORIS.

*Pręter antefata miracula alia quamplurima patrauit Monachorũ ille Magnus Pater Auguſtinus: qui etiam anno M. D. III.

Dona autem quæ pijſſimus Rex Luithpardus Eccleſiæ B. Petri donauit, tam in prædijs & poſſeſſionibus, quam in vaſis aureis & argenteis, & veſtibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum & Catholicorum opinionem. Exiſtimabat autem Rex ille, ſe tantum non poſſe donare miniſtris, qui cuſtodiebant corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati

ſuæ


ſuç penitus ſatisfaceret. Et tanto gaudio ad corpus tanti viri receptum repletus eſt, quod die ac nocte in Hymnis & Canticis Dei cum Clericis & Sacerdotibus in Eccleſia pernoctaret, & tanquam vnus de miniſtris,& canticis Dei & pſalmodia ſe exerceret. Hæc TRANSLATIO CORPORIS S. AVGVSTINI, facta fuit pridie Calendas Martij, ſedente in ſancta Petri ſede bonæ memoriæ Gregorio eius nominis ſecundo.

Excellentiam Magnitudinis Veſtræ, per multa annorum curricula Rex Regum Chriſtus Dominus, ſuâ dignetur cuſtodire potentiâ. Datum in vrbe Mediolani, anno ſalutiferæ Incarnationis Domini, ſeptingentiſimo nonageſimo ſexto.

vrbem Ticinenſem peſte grauiſsima laborantem liberauit: in cuius accepti beneficij memoriam, duodeuiginti Senatores Ciuitatis, totidem faces albas eius templo inferunt & Liberatori ſuo offerunt: quem & in curia ſua anguſtâ ſanè formâ quotannis habitu Eremitano pingi iuſſere: qualem his oculis aliquando vidi.



CAPVT



## CAPVT XXIII.

# D. AVRELIJ AVGVSTINI REGVLA SANCTIMONIALIBVS MANDATA MONACHIS COMMENDATA.

## PRÆFATIO.

Hanc Regulam verbotenus inueniet Lector tomo 2. S. Augu. ep. 109. quã ipsemet scripsit ad Sanctimoniales à se institutas; quæ dum studẽt mutare Præpositam, indecenter fuerant tumultuatę.



ICVT parata est seueritas peccata qui inuenerit, vindicare; ita non vult caritas quod vindicet inuenire. Hæc causa fecit, vt ad vos non venirem, cùm meam præsentiam quæreretis; non ad pacis vestræ gaudium, sed ad dissensionis vestræ augmẽtum. Quomodo enim contemnerem & impunitum relinquerem, si & me præsente, tantus vester tumultus existeret, quantus me absente, etsi oculos meos latuit, tamen aures meas vestris vocibus verberauit? Nam fortassis etiam maior esset vestra seditio in præsentia mea, cùm necesse esset vobis non concedi, quæ in perniciosissimùm exemplum, contra sanam disciplinam, quod vobis non expedit, petebatis: ac sic quales non volo inuenirem

rem vos, & ipse inuenirer à vobis qualem non volebatis.

Cùm ergo scribat Apostolus ad Corinthios, dicens; *Testem Deum facio, super animam meam; quia parcens vobis, nondum veni, Corinthum; non quia dominamur fidei vestræ, sed cooperatores sumus gaudij vestri:* Hoc ego etiam dico vobis; *Quia parcens vobis non ad vos veni*. Peperci etiam mihi; ne tristitiam super tristitiam haberem; & elegi non vt exhiberem faciem meam vobis, sed effundere cor meum Deo pro vobis; & causam magni periculi vestri, nō apud vos verbis, sed apud Deum lachrymis agerem, ne conuertat in luctum gaudium meum, quo soleo gaudere de vobis, & inter tanta scandala, quibus vbique abundat hic mundus, aliquando consolari; cogitans COPIOSAM CONGREGATIONEM, & castam dilectionem, & sanctam conuersationem vestram; & largiorem gratiam Dei, quæ data est vobis, vt non solùm CARNALES NVPTIAS contemneretis, verùm etiam eligeretis in domo SOCIETATEM vnanimes habitandi, vt sit *vobis anima vna, & cor vnum in Deum.*

*2. Cor. 1.* Aduerte discretam tanti Præsulis prouidentiam.

Nota, virgines olim votiuas, duplicis fuisse generis: quarū aliæ priuatis in domibus, aliæ verò viuebant in cœnobijs.

Hæc in vobis bona, hæc Dei dona considerans, inter multas tempestates, quibus ex alijs malis quatitur cor meum, solet vtcunque requiescere. *Currebatis bene, quis vos fascinauit?* Suasio illa, non est ex Deo qui vocauit vos. *Modicum fermenti:* Nolo dicere quod sequitur. Hoc enim magis cupio & oro & hortor, vt ipsum fermentum conuertatur in melius, ne tota massa, sicut penè iam fecerat, conuertatur in peius. Si ergo repullulastis sanum sapere, orate ne intretis in tentationem, ne iterum in contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, seditiones, susurrationes. Non enim sic plātauimus & rigauimus hortum dominicum in vobis, vt spinas metamus istas ex vobis.

*Ad Gal. 5.*

*1. Cor. 5.*

VITIA MVLIEBRIA.

Si autem adhuc vestra tumultuatur infirmitas, orate vt eruamini de tentatione. Quæ autem conturbant vos, si adhuc conturbant vos, nisi correxerint se, portabunt iudicium quæcunque illæ fuerint. Cogitate quid mali sit, vt cùm de Deo natis in VNITATE gaudeamus, interna schismata in MONASTERIO

lugeamus: Perseuerate in bono Proposito, & non desiderabitis mutare Prępositā, quâ in MONASTERIO illo, per tā multos annos perseuerante, & numero & ætate creuistis; quæ vos Mater non vtero, sed animo suscepit. Omnes enim quæ illuc venistis, ibi eam aut sanctæ PRÆPOSITÆ SORORI MEÆ seruientem, placentem, aut etiam ipsam PRÆPOSITAM, quæ vos suscepit, inuenistis: sub illa estis eruditæ; sub illa VELATÆ; sub illa multiplicatæ; & sic tumultuamini, vt eam vobis mutetis, cùm lugere deberetis, si eam vobis mutare vellemus? Ipsa est quam nostis, ipsa est ad quam venistis, ipsa est quam per tot annos habendo creuistis. Nouum non accepistis, nisi PRÆPOSITVM: aut si propter illum quæritis nouitatem, & in eius inuidiam contra Matrem vestram sic rebellastis, cur non potius id petistis, vt ipse vobis mutetur? Si autem hoc exhorretis, quia noui quomodo eum in Christo venerabiliter diligatis; cur nō potius illam? In vobis namque regendis, sic Præpositi rudimenta turbantur, vt magis velit vos ipse deserere, quàm istam ex vobis famam & inuidiam sustinere, vt dicatur, Nō vos aliam quæsituras fuisse PRÆPOSITAM, ni ipsum cœpissetis habere PRÆPOSITVM.

Notauit Magnus Baronius seculo 4. Annal. Virgines Africanas MITELLAS pro religionis symbolo tulisse, tamen hîc Augustinianas VELATAS aduertimus. quid vetat, & mitellis & velis tegi?

Tranquillet ergo Deus, & componat animos vestros; vt non in vobis præualeat opus diaboli, sed pax Christi vincat in cordibus vestris: Nec dolore animi, quia non fit, quòd vultis, vel quia pudet voluisse, quod velle non debuistis, erubescendo curratis in mortem, sed potius pœnitendo resumatis virtutem, nec habeatis pœnitentiam Iudæ traditoris, sed potius lachrymas Petri pastoris.

## REGVLA.

*HOC EXORDI OLIM NON EST AVGVSTINVM.

1. NTE* *omnia*, FRATRES CHARISSIMI, *diligatur Deus, deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis*

*nobis data. Hæc igitur sunt quæ ut obseruetis præcipimus in* MONASTERIO *constituti. Primum, propter quod in vnum estis congregati; Ut vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia: & distribuatur vnicuique vestrum à* PRÆPOSITO *vestro, victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia nõ æqualiter valetis omnes: sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit, tribuatur. Sic enim legitis in Act. Apostol: Quia* erant illis OMNIA COMMVNIA, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat.

2. *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt* MONASTERIVM, *libenter velint illud esse commune: Qui autem non habebant, non ea quærãt in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt; sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideo se putent esse felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris habere nõ potue-*

1. HÆc sunt quæ vt obseruetis, præcipimus, in MONASTERIO constitutæ. Primùm propter quod estis in vnum congregatæ, vt vnanimes habitetis in domo & sit vobis cor vnum & anima vna in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum à Præposita vestra, victus & tegumentum, nõ æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed vnicuique sicút opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia *erant eis omnia communia, & distribuebatur singulis prout cuique opus erat.*

REGVLA AVGVSTINI TOTA APOSTOLICA

2. Quæ aliquid habebant in seculo, quãdo ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Quæ autem non habebant, nõ ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt: sed tamen earum infirmitati quod opus est tribuatur, etsi paupperies earum, quãdo foris erant, nec ipsa necessaria poterat inueniret. Ac non ideo putent se esse felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale

RERVM COMMVNITAS.

foris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem, quia sociantur eis ad quas foris accedere non audebāt, sed sursum cor habeāt, &*terrena bona nō quærant, ne incipiant Monasteria esse diuitibus vtilia, non pauperibus; si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

*al. terrena ac vana.

3. Sed rursus etiam illæ quæ aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio SORORES SVAS, quæ ad illam sanctam societatem, ex paupertate venerunt. Magis autem studeant, non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperū SORORVM societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quam si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: superbia verò bonis operibus insidiatur vt pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, si Anima misera superbior efficiatur contemnendo, quam fuerat pos-

*runt. Nec erigant ceruicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena ac vana nō quærant, ne incipiant esse* MONASTERIA *diuitibus vtilia non pauperibus; si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.*

3. *Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio* FRATRES SVOS, *qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerūt, magis autem studeant, nō de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum* FRATRVM *societate gloriari. Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas in* MONASTERIO *partiūtur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunque Iniquitas, in malis operibus exercetur, vt fiant; Superbia verò, etiā bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri; cùm Anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer.*

*corditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum, cuius Templa facti estis.*

4. *Orationibus instate horis & temporibus constitutis. In* ORATORIO *nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit: vt si fortè aliqui, etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint; non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis & Hymnis, cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.*

5. *Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: ne solæ vobis fauces su-*

sidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum, cuius Templa factæ estis.

4. Orationibus instate horis & temporibus constitutis. In ORATORIO nemo agat, nisi ad quod est factum, vnde & nomen accepit: vt si aliquæ, etiam præter horas cōstitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, quæ ibi aliquid agere voluerint. Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: & nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur. OFFICIVM DIVINVM.

5. Carnem vestram domate ieiunijs & abstinentia escæ & potus quantum valetudo permittit. Quando autem aliqua non potest ieiunare; nō tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secūdum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite; RATIO VICTVS ET ABSTINENTIA

dite. Nec folæ vobis fauces fumant cibum, fed & aures percipiant Dei verbum. Quæ infirmæ funt ex priftina confuetudine, fi aliter tractantur in victu, nō debet alijs moleftum effe, nec iniuftum videri quas fecit alia confuetudo fortiores. Nec illas feliciores putēt, quia fumunt quod non fumūt ipfæ: fed fibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illæ. Et fi eis quæ venerūt ex moribus delicatioribus ad Monafterium, aliquid alimētorum, veftimentorum, ftramentorum, operimentorum, datur, quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus non datur; cogitare debent quibus nō datur, quantum de fua feculari vita illæ ad iftam defcēderint, quamuis vfq; ad aliarum quæ funt corpore fortiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec illæ debent conturbari, quod eas vident amplius (non quia honorātur, fed quia tolerantur) accipere, ne contingant deteftanda peruerfitas, vt in Monafterio, vbi quantum poffunt fiunt, diuites laboriofæ, fiant pauperes delicatæ. Sanè quemadmodum æ-

*mant cibum, fed & aures efuriant Dei verbum. Qui infirmi funt ex priftina confuetudine, fi aliter tractentur in victu, non debet alijs moleftum effe, nec iniuftum videri eis, quos fecit aliqua confuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia fumūt, quod non fumunt ipfi: fed fibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Et fi eis qui venerūt ex moribus delicatioribus ad Monafterium, aliquid alimentorum, veftimentorum, operimentorumúe datur, quod alijs fortioribus & ideo felicioribus, nō datur; cogitare debent quibus non datur, quantum de fua feculari vita illi ad iftam defcenderint, quamuis vfque ad aliorum qui funt corpore firmiores, frugalitatē peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, (non quia honorātur, fed quia tolerantur) accipere: ne contingat deteftanda peruerfitas, vt in monafterio vbi quantum poffunt fiunt diuites laboriofi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceffe habent minus accipere ne grauentur, ita & poft ægritudinem fic tractandi funt, vt citius recreentur, etiamfi de humillima*

*millima seculi paupertate venerint; tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quanto minus indigent: nec cibi eos teneat voluptas, iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos: Illos sanè existiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: Melius est enim minus egere quàm plus habere.*

*6. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.*

*7. Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quò itis simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris, nihil fiat, quod cuiusquam*

grotantes necesse habent minus accipere ne grauentur, ita post ægritudinē sic tractandæ sunt vt citius recreentur, etiāsi de humillima seculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recētior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas recuperauerint, redeāt ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulas Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: nec ibi eas teneat voluntas iam vegetas, quò necessitas leuarat infirmas. Illæ se existiment ditiores, quæ fuerint in sustinēda parcitate fortiores. Melius est enim minus egere, quam plus habere.

6. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Nec sint nobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris, vel spargat negligentia, vel componat industria. VESTITVS.

7. Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quò itis simul state. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris, nihil fiat, INCESSVS ET IN PVBLICVM PROCESSVS.

quod

quod illiciat cuiusquam libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatẽ. Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neq; enim quãdo proceditis, viros videre prohibemini, sed appetere aut ab ipsis appeti velle. Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impúdicus oculus impudici cordis est nũcius. Et cum se inuicem sibi, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet quæ in masculum fugit oculũ, & illius in seipsam diligit, fixum, non ab alijs videri cùm hoc facit, videtur omnino & à quibus videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo superno Inspectore, quem latêre nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patien-

OCVLORVM LASCIVIA, ET LACI-NIA.

*offendat adspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam: neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu, & affectu, sed adspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum: Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Et cùm se inuicem, sibimet, etiam tacente linguâ, cõspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis, alterutro delectatur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit Castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminã figit oculum, & illius in seipsum diligit fixum, ab alijs se non videri, cùm hoc fecit: videtur omnino: & à quibus se videri non arbitratur. Sed etsi lateat, & à nemine hominum videatur; Quid faciet de illo desuper Inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt sapientius, quanto patientius? Illi ergo vir sanctus timeat*

*timeat displicere, ne velit fœminæ male placere: Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ malè videri: Illius namque in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & vbicunque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite: Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo, custodiet vos ex vobis.*

8. *Et si hanc, de qua loquor vobis, oculi petulantiam, in aliquo vestrum aduerteritis: statim admonete; ne malè cœpta progrediantur, sed de proximo corrigãtur. Si autem post admonitionem, iterum, vel alio quocunque die, id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum: vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis; magis quippè innocentes nõ estis, si* FRATRES *vestros quos indicando corrigere potestis, tacendo*

rius, quanto sapientius? Illi ergo timeat sancta fœmina displicere, ne velit viro malè placere: Illum cogitet omnia videre, ne velit * virò male videri. Illius namque & in hac causa commẽdatus est timor, vbi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & vbicunque, vbi & viri sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite: Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis.

* *al.* virum male videre.

8. Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliqua vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed ex proximo corrigantur. Si autem & post admonitionem iterum vel alio quocunq; die idipsum eam facere videritis, iam velut vulneratam sanandã prodat, quæcunque inuenire potuit hoc, prius tamen & alteri vel tertiæ demonstratam, vt duarum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Nec vos iudicetis esse maleuolas, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si SORORES

vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim SOROR tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, Nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eam debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quas conuincenda est, si negauerit; prius PRÆPOSITÆ debet ostendi; si admonita, neglexerit, corrigi; ne fortè possit secretius * correpta, innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendæ sunt aliæ, vt iam coram omnibus possit, non ab vna teste argui, sed à duabus tribusúe conuinci. Conuicta verò secundùm PRÆPOSITÆ vel PRESBYTERI arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam; quam si ferre recusauerit, etsi ipsa nō abscesserit, de vestra societate proijciatur. Nō enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer: ne contagione pestiferâ plurimas perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis,

* al. correcta.

*perire permittitis, Si enim* FRATER *tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timet secari, Nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eum debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit; prius* PRÆPOSITO *debet ostēdi. si admonitus neglexerit, corrigi: ne fortè possit secretius correptus, non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, etiam coram omnibus; vt possit non ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò secundùm* PRAEPOSITI, *vel etiam* PRESBYTERI, *ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendaioriam subire vindictam: quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis prohibendis, indicandis, conuincendis, indicandisque peccatis, diligenter & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum*

*tiorum.*

9. *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè* *LITERAS AB ALIQVO *vel quodlibet* MVNVS *acceperit: si hoc vltro confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur & conuincitur, secundùm arbitrium* PRAEPOSITI *vel* PRESBYTERI *grauius emendetur.*

10. VESTES *vestras in vnum habeatis sub vno Custode vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno Cellario, sic induamini ex vno Vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis* INDVMENTVM *pro temporum congruentia, proferatur: vtrum hoc recipiat vnusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen vnicuique prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis, se deterius accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse quod nō cui necesse fuerit, præbeatur,*

conuincendis, vindicandisque peccatis, diligenter obseruetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.

9. Quæcunque autem in tātum progessa fuerit malum, vt occultè ab aliquo LITERAS, vel quælibet MVNVSCVLA accipiat; si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea. Si autem deprehenditur atque conuincitur, secundùm arbitrium PRAEPOSITAE, vel PRESBYTERI, vel etiam EPISCOPI, grauius emendetur.

10. VESTES vestras in vno loco habere, sub vna Custode vel duabus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno Cellario, sic induamini ex vno Vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnaquæque vestrū, quod deposuerat, an aliud quod altera habuerat, dum tamē vnicuiq; quod opus est, nō negetur. Si autē hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliqua deterius aliquid se accepisse, quàm priùs habuerat, & indignam

* Hic planè arbitror legendum AB ALIQVA non autem AB ALIQVO: & MVNVSCVLVM non verò munus. Pergit enim in materia lasciuientium oculorum, quam concludit in libidinosa literarū ac munusculorum confessatione. *Vide quæ scripsi in meo Nucleo. Hist. Regulæ S. P. Aug. impress. Tornaci an. 1618.*

gnam se, quæ non ita vestiatur, sicut alia SOROR eius vestiebatur; hinc vos probate; quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, quæ pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod posueratis, in vno tamen loco sub communibus Custodibus habere, quod ponitis; ita sanè vt nulla sibi aliquid operetur, siue vnde induatur, siue vbi iaceat, siue vnde cingatur, vel operiatur, vel caput contegat: sed omnia opera vestra in commune fiant, maiore studio & frequentiori alacritate; quã si vobis propria faceretis. Caritas enim, de qua scriptum est, quòd non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur: Quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem quàm propriam curaueritis; tanto amplius vos profecisse noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur transitura Necessitas, supereminear quæ permanet Caritas. Consequens ergo est, vt etiam illud quod suis vel filiabus, vel aliqua necessitudine ad se pertinẽtibus in MONASTERIO

COMMVNIS VTENSILIVM VSVS ET CVSTODIA.

*ita vestiatur, sicut alius* FRATER *vestitur; hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod posueratis; in vnum tamen locum sub communibus Custodibus habete quod ponitis; ita sanè vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli propria feceritis. Caritas enim de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem quam propriam curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitoria necessitas superemineat quæ permanet caritas. Consequens ergo est, vt etiam, cum quis suis filijs aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in* MONASTERIO *constitutis, aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum; non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur.*

*Quod*

*Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.*

constitutis, aliquis vel aliqua contulerit, siue vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate PRÆPOSITÆ, vt in commune redactum, cùm necessarium fuerit præbeatur. Quod si aliqua rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

11. INDVMENTA *vestra, secundùm arbitrium* PRÆPOSITI, *lauentur siue à vobis siue à fullonibus; Ne interiores animæ sordes, contrahat mundæ vestis nimius appetitus*

11. INDVMENTA vestra, secundùm arbitrium PRÆPOSITÆ, lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus; ne interiores animę sordes, contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

LOTIO VESTIVM.

12. LAVACRVM *etiam corporis, cùm infirmitatis cogit necessitas, minimè denegetur. Fiat tamen sine murmure, de consilio medici: ita vt etiam si nolit, iubente* PRÆPOSITO, *faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit; suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore,* FAMVLO DEI *dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat; si non est certum, medi-*

12. LAVACRVM etiam corporum, vsusq; balnearum non sit assiduus, sed eo quo solet interuallo temporis tribuatur, hoc est, semel in mense. Cuius autem infirmitatis necessitas cogit lauãdum corpus, non longius differatur. Fiat sine murmure de consilio medici, ita vt etiam si nolit, iubente PRÆPOSITA; faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: aliquando enim etiam si noceat, prodesse crediter quod delectat. Denique si

MENSTRVA CORPORVM LOTIO.

latens est dolor in corpore, FAMVLÆ DEI dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur: sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat; si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balneas, siue quocunque ire necesse fuerit, minus quam tres. Nec illa quæ habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipsa voluerit, sed cum quibus PRÆPOSITA iusserit, ire debebit.

ÆGROTANTIVM CVRA. 13. ÆGROTANTIVM cura siue post ægritudinem reficiẽdarum, siue aliquâ imbecillitate, etiam sine febribus laborantium, alicui debet iniungi, vt ipsa de Cellario petat quod cuique opus esse perspexerit. Siue autem quæ Cellario, siue quæ Vestibus, siue quæ Codicibus præponuntur, sine murmure seruiant SORORIBVS suis.

CODICES. 14. CODICES certa hora singulis diebus petantur; extram horam quæ petiuerint, non accipiant. VESTIMENTA verò & CALCEAMENTA, quando fuerint indigenti necessaria, dare non differant, sub quarum custodia sunt, quæ poscuntur.

*cus consulatur. Nec eant ad balnea siue quocunq; ire necesse fuerit, minus quàm duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus* PRAEPOSITVS *iusserit, ire debebit.*

13. ÆGROTANTIVM *cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate, etiam sine febribus, laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de Cellario petat quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem qui Cellario, siue qui Vestibus, siue qui Codicibus præponuntur, sine murmure seruiant* FRATRIBVS *suis.*

14. CODICES *certa hora, singulis diebus, petantur: extra horam qui petierint, non accipiãt,* VESTIMENTA *verò &* CALCEAMENTA *quando indigentibus fuerint necessaria, dare nõ differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.*

15. *Lites*

15. LITES *aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis; ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit* FRATREM *suũ homicida est.*

16. *Quicunque cõuicio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit; meminerit satisfactione, quàm citius curare quod fecit: & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebũt, propter Orationes vestras; quas vtique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. Melior est enim, qui quamuis irâ sæpè tentetur, tamẽ impetrare festinat vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.*

17. *Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex*

LITES SEDANDAE.

15. LITES aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Neq; enim ad solos viros pertinet quod scriptum est: Qui odit fratrem suũ homicida est: sed sexu masculino, quem primum Deus fecit, etiam fœmineus præceptum sexus accepit.

OFFENSARVM REMISSIO.

16. Quæcunque conuicio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, alteram læserit, meminerit satisfactione, quãtocyus curare quod fecit, & illa quæ læsa est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserunt, inuicem sibi debita relaxare debebunt, propter Orationes vestras; quas vtique, quanto crebriores, habetis, tanto sanctiores habere debetis. Melior est autem, quæ quamuis irâ sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriã, quàm quæ tardius irascitur, & ad veniam petendam difficilius inclinatur.

17. Quæ non vult dimittere SORORI, non speret accipere

* Orationē Dominicā intelligit; vbi legitur: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus &c.

cipere * ORATIONIS effectum: quæ autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si non inde proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.

*animo petit, siue causa est in* MONASTERIO, *etiam si inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.*

CORRECTIONIS EXCESSVS.

18. Quando autem necessitas disciplinæ, minoribus coërcendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis; non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subiectas, dū nimia seruatur humilitas, regendi frāgatur authoritas. Sed tamen, petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eas, quas plus iusto fortè corripitis, quantâ beneuolentiâ diligatis.

18. *Quando autem necessitas disciplinæ, in moribus coërcēdis, vos dicere verba dura compellit: etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis, veniam postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia, ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis; quantâ beneuolentiâ diligatis.*

AMOR CARNALIS.

19. Non autem carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio. Nam quæ faciunt pudoris immemores, etiam fœminis fœminæ, iocādo turpiter & ludendo, non solùm à viduis & intactis ancillis Christi in sancto proposito consti-

19. *Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.*

20. PRÆPOSITO tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid minus ſeruatum fuerit, non negligenter prætereatur, ſed vt emendandum, corrigendúmque curetur; ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Preſbyterum, cuius eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum vel vires eius excedit.

21. Ipſe verò qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed caritate ſeruiente felicem. Honore coram vobis prælatus ſit vobis, timore coram Deo, ſubſtratus ſit pedibus veſtris.

22. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exẽplum. Corripiat inquietos, cõſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes, diſciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque ſit neceſſarium: plus tamen à vobis amari appetat quàm timeri ſemper cogitans Deo ſe pro vobis red-

turis, ſed omninò nec à mulieribus nuptis, nec à virginibus ſunt facienda nupturis.

20. PRÆPOSITÆ tanquam Matri obediatur, honore ſeruato, ne in illa offendatur Deus: multo magis Preſbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, ſed emendandum corrigendumque curetur, ad Præpoſitam præcipuè pertinet, ita vt ad Presbyterum qui vobis intendit, referat, quod modum vel vires eius excedit. OBEDIENTIA.

21. Ipſa verò non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed caritate ſeruiente felicem. Honore coram hominibus, prælata ſit vobis, coram Deo ſubſtrata ſit pedibus veſtris.

22. Circa omnes ſeipſam bonorum operum prębeat exemplum. Corripiat inquietas, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmas, patiens ſit ad omnes, diſciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque ſit neceſſarium; tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri,

ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurам eſſe rationem. Vnde magis obediendo, non ſolùm veſtri, verùm etiam ipſius miſeremini, quæ inter vos, quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo maiori verſatur.

23. Donet Dominus vt obſeruetis hæc omnia, cum dilectione, tanquam ſpiritalis pulchritudinis amatrices, & bono Chriſti odore, de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ancillæ ſub lege, ſed ſicut liberæ ſub gratia conſtitutæ.

HEBDOMADALIS REGVLAE LECTIO.

24. Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo vos poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur: & vbi vos inueneretis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: vbi autem ſibi quæcunq; veſtrum, videt deeſſe aliquid, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

*diturum eſſe rationem. Vnde vos magis obediendo non ſolùm veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini qui inter vos quanto in loco ſuperiori tanto in periculo maiori verſatur.*

*23. Donet Dominus vt obſeruetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes: non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.*

*24. Vt autem vos in hoc libello tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: Vbi autem ſibi quicunque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro: orans vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.*

CAPVT

## CAPVT XXIIII.

*Disquisitiones aliquot Historicæ, in præfatam S.* AVGVSTINI *Regulam. Ea puellis tradita: & cur Latinè? Item de varijs Ordinibus sub ea Domino militantibus; quorum aliquot Insignia proponimus.*



RIMVM quidem disquiri velim, Cur Maximus ille Patriarcha noster AVGVSTINVS, EPISTOLAM simul & REGVLAM, puellis Africanis scribat & præscribat, Latino stylo exaratam? Nunquid Pœnas mulierculas, punicè docere oportuit? Quis enim magister, discipulis suis, non intelligendus, fieri voluit *æs sonans aut cimbalum tinniens?* Sed fortasse Monasterij PRÆPOSITVS aut PRESBYTER, adhibitus interpres, Legislatoris mentem, puellis Latinæ linguæ ignaris aperuit. Hoc sentiat qui tã antiquas antiquitates à limine salutauit: dum nos Historiarum penetralia scrutamur. Afris quidem propriã, quandam fuisse linguam eamque à Latina planè diuersam, dicet in primis AVGVSTINVS ipse; qui *diuitias* Punicè *mammon* appellari docet. Sed & apud Apuleium, agaso quidam Afer, à Romano milite grammaticè loqui nesciente, interrogatus: *Vbi ducis istum asinum*; quia misellus Romanum non intelligeret, palis exceptus vapulauit.

Quodnam igitur idioma Punicum fuit? dabit ecce Plautus subsequente Scena, quam totam huc referre placuit, vt miscellaneum ibidem Latinum aduertere Lector valeat, eâ quam subdam causâ.

*Ny thalonini valon vth si corathisima consith.*
*Chym lach chunyth mumys tyalmyctibari imischi*
*Lypho canet byth bynithij ad ædin bynuthij.*

*Plautus in Pœnulo Act. 5. Scen. 1.*

 *Byrnarob*

*Byrnarob syllo homalonin uby misyrthoho*
*Bytqlym mothyn noctothij velechanti dasmachon*
*Yssidele brim tysel yeh chylys chon, them lyphul*
*Uth bynim ysdibur thinno cuth nu Agorastocles*
*Ythe manet thy chyrsae lycoeh sith naso*
*Bynni id chil lubili gubylim lasibith thim*
*Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth lusim*
*Exanolim volanus succuratim misti Atticum esse*
*Concubitum à bello cutim beant lalacant chona enus es*
*Huiec silec panesse athidamascon alem induberte felono buthume*
*Celtum comurco lueni, at enim auosouber hent hyach Aristoclem*
*Et te se aneche nasoctelia elicos alemus duberter my comps vespiti*
*Aodeanec lictor bodes iussum limnimcolus.*
*Deos deásque veneror, qui hanc vrbem colunt;*
*Vt quod de mea re huc veni, ritè venerim:*
*Meásque vt gnatas, & mei fratris filium,*
*Reperire me siritis. Dij vostram fidem,*
*Quæ mihi surreptæ sunt, & fratris filium.*
*Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.*
*Eum fecisse aiunt sibi quod faciendum fuit,*
*Eius filium hic prædicant esse Agorastoclem,*
*Deum hospitalem, ac tesseram mecum fero.*
*In bisce habitare monstratu'st regionibus:*
*Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.*

Vides Afrum, idioma Barbarum Latinis verbis miscere, ac demum Latinè loqui? Vtramque linguam calluisse oportuit, qui sic luderet.

Quid autem mirùm? Nam cultioris conditionis nemo homo idiomatis Latini ignarus, in Africa viuere permissus; ex quo eam Romani debellârant. Victores siquidem, more suo vsi, quascunque gentes superarant, easdem Latinâ linguâ loqui

loqui coëgere. Belgas vsos lingua verna, capitis à Cæsare diro nostrarum Galliarum tyranno, damnatos, tradunt Auctores non infidi. Hoc est quod apud ipsum AVGVSTINVM legimus: *Data est opera vt Ciuitas Imperiosa, non solùm iugum, verùm etiam* LINGVAM SVAM, *domitis gentibus, per pacem societatis* (reponi velim *sociatis* aut certè *per speciem societatis*) *imponeret*. Denique longè adeo lateque sparsa paucis temporibus hæc lingua, vt Plutarchus scripserit *Omnes fere homines suo æuo ea vsos.* Vide Ioan. Cognat. in Hist Ternati li 8. cap. 8. Aug. li. 19. de Ciuit. Dei cap 8.

Hinc Orationes & Conciones sacræ Cypriani, hinc Fulgentij nostri lucubrationes, hinc inquam scripta Patrum Occidentalis Ecclesiæ, Latina. Scribit Hieronymus ad Marcellam, Paulam, Eustochium, Latinè semper. A pulpitis Africanis exulabat lingua patria, & Græca. Vnde Valerius Hipponensis Episcopus homo naturâ, Græcus concionandi munus in humeros AVGVSTINI reiecit, quia linguam Latinam minus callens, minus vtilem Ecclesiæ se peruidebat.

Itane omnes in Africa Latinè intelligentes, loquentes, scribentes? Omnes inquam, si paucos agrestes, rusticos, ac stupidioris Mineruæ homines excipias. Nam & AVGVSTINVS ipse Latinam linguam didicisse se ait, *inter blandimenta Nutricum & ioca arridentium puellarum.* Confess. lib.

Latinè dixi locutos omnes, non Grammaticè tamen: huius enim caussâ literarios ludos frequentabant, etiam Romæ: vbi qui sermonis purioris normulas callebat, liberaliter loqui, & scientias liberales nosse censebant: quibus distinguebatur ab illiberali vulgo & fece populi, *Latinum* quidem, sed non Latinè loquentis; prout aduertere superiùs licuit in præsidiario milite rogante: *Vbi ducis istum asinum?*

Huiusmodi hominum causâ, AVGVSTINVS, vir alioquin disertissimus, seipso minor fieri voluit, pluribus profuturus. Nam & de Barbarismis suis, quasi glorianter ipse testatur hisce verbis: *Plerumque loquendi consuetudo vulgaris vtilior est, significandis rebus, quàm integritas litterata. Mallem quip-* Aug. li. 3. de doct. Christ. cap. 3.

gibus coërciti SERVI DEI & bono proposito cum eo, primùm RVRE in eremo, tum in Monasterio horti Valeriani, ac demum in Episcopali domo perseuerantes? Criticus quidam AVGVSTINIANVS, ait nullam videri Clericis Hipponensibus, aut Monachis traditam ab AVGVSTINO REGVLAM: non enim apparere quidquam de ea, apud Possidium, siue in Indiculo, siue in vita S. AVGVSTINI, neque apud ipsum AVGVSTINVM.

Criticum hunc ad Criticorum tribunal examinandum appello. Nunquid enim AVGVSTINVS quinquagesimo sermone de Diuersis, eum apertè iugulauit? Audiatur. *Quomodo viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de scriptura sancta multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Apostolorum lectio recitabitur; vt videatur vbi descripta sit forma quam desideramus implere*. Legit Lazarus Diaconus quæ in Actis Apostolorum scripta sunt; & inter alia: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quod paullò inferiùs habetur: Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Quibus lectis Augustinus eadem, & ipse repetijt, déque his ad suos præclaram orationem habuit*.

*Aug. serm. 50. de diuers.*

*Act. 4.*

Possidius ipse scribit eum factum Presbyterum cum SERVIS DEI viuere cœpisse *secundùm* REGVLAM *sub sanctis Apostolis constitutam*, quod etiam dudum fecerat cùm de *transmarinis ad propria remeasset*.

*Possidius in vit. S. Aug.*

Neque verò absurdum est, Monasterium à D. AVGVSTINO conditum, sine peculiari scriptâ viuendi normulâ dirigi. Qua nâque REGVLA olim in Ægypto, & Palæstina Cœnobitæ simul & Eremitæ fuerunt vsi, sub Antonio, & Hilarione? Quibus legibus subditi Turonenses Martino, Mediolanenses Simpliciano, & Ambrosio, Bethleemitici Hieronymo? Nullane viris tam Regularibus fuerit REGVLA? Nulla (quod legatur) præter Apo-

MONACHI ANTIQVI VIVENTES SINE SCRIPTA REGVLA.

Apostolicos ACTVS & Euangelium.

AVGVSTINVS LEX VIVA VIRIS, ABSENTIBVS FOEMINIS SCRIBIT.

Præterea, *Nonnas* illas, magis quàm *Nonnos*, indiguisse præscriptâ viuendi Normula, quis non aduertat? Lege scriptâ non indiget, qui loquētem Legem, id est, Legislatorem ipsum præsentem semper habet. Immò verò, præfatum Vestalium cœnobium, non minus XX. annos sine scripta REGVLA, constitisse, probabili supputatione docuit Bernardus Vindingus, Augustinianus Theologus, Vir accuratè doctus. Cùm enim, ab sanctissimo illo Legislatore exarata est, iam obijsse satis indicat germanam suam, quæ *Vidua Deo seruiens*, MVLTO *tempore vsque ad diē obitus sui*, PRÆPOSITA ANCILLARVM DEI *vixit*. Quæ autem eidem demortuæ surrogata est, Felicitas fuit. Atqui SVB ILLA *in Monasterio illo per tam* MVLTOS ANNOS *perseuerante Sanctimoniales & numero & ætate creuerant*. Vbi planè aduertendum, eas sine REGVLA velatas, professas & multiplicatas, sine REGVLA æternùm in SANCTO PROPOSITO permansuras, nisi rixarum plenæ, mutari sibi Præpositam voluissent. Per TOT ANNOS, dum scribit, haud minùs quàm *decem* intelligit, cùm eâdem loquendi formula *decennalem* Africę gemitum, PER TOT ANNOS continuatum scribit.

*Vide Præfationem in Regulam.*

*Augu. epist. 162.*

QVATVOR PRÆLATI SANCTIMONIALIVM AVGVSTINIANARVM

Notatum insuper velim ad lucem huius Regulæ; quatuor fuisse Superiores Sanctimonialibus Augustinianis Prælatos: PRÆPOSITAM, PRÆPOSITVM, PRESBYTERVM, & EPISCOPVM. Huius tetrarchiæ ignoratio, multis lectoribus & aliquot scriptoribus tenebras offudit.

Hactenus quidem de REGVLA nostra, nonne plus satis? Addendi mihi sunt insuper ORDINES varij, sub ea, quasi sub vnius Imperatoris vexillo, Regi Regum militantes: quorum etiam aliquot Insignia præponimus; dum aliorum Sculptoris scalpro subducemus.

ORDO

Sf Quan-

* Orationē Dominicā intelligit; vbi legitur: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus &c.

cipere * ORATIONIS effectum: quæ autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si non inde proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.

*animo petit, siue causa est in MONASTERIO, etiam si inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.*

CORRECTIONIS EXCESSVS.

18. Quando autem necessitas disciplinæ, minoribus coërcendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis; non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subiectas, dū nimia seruatur humilitas, regendi frāgatur authoritas. Sed tamen, petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eas, quas plus iusto fortè corripitis, quantâ beneuolentiâ diligatis.

18. *Quando autem necessitas disciplinæ, in moribus coërcēdis, vos dicere verba dura compellit: etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis, veniam postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia, ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis; quantâ beneuolentiâ diligatis.*

AMOR CARNALIS.

19. Non autem carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio. Nam quæ faciunt pudoris immemores, etiam fœminis fœminæ, iocādo turpiter & ludendo, non solùm à viduis & intactis ancillis Christi in sancto proposito consti-

19. *Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.*

PRÆPO-

turis, sed omninò nec à mulieribus nuptis, nec à virginibus sunt facienda nupturis.

20. *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid minus seruatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendúmque curetur; ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas, referat, quod modum vel vires eius excedit.*

20. PRÆPOSITÆ tanquam Matri obediatur, honore seruato, ne in illa offendatur Deus: multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad Præpositam præcipuè pertinet, ita vt ad Presbyterum qui vobis intendit, referat, quod modum vel vires eius excedit. OBEDIENTIA.

21. *Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed caritate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris.*

21. Ipsa verò non se existimet potestate dominante, sed caritate seruiente felicem. Honore coram hominibus, prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris.

22. *Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exẽplum. Corripiat inquietos, cõsoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens, habeat metuens imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium: plus tamen à vobis amari appetat quàm timeri semper cogitans Deo se pro vobis red-*

22. Circa omnes seipsam bonorum operum prębeat exemplum. Corripiat inquietas, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmas, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium; tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri, semper

semper cogitans Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Vnde magis obediendo, non solùm vestri, verùm etiam ipsius miseremini, quæ inter vos, quanto in loco superiore, tanto in periculo maiori versatur.

23. Donet Dominus vt obseruetis hæc omnia, cum dilectione, tanquam spiritalis pulchritudinis amatrices, & bono Christi odore, de bona conuersatione fragrantes, non sicut ancillæ sub lege, sed sicut liberæ sub gratia constitutæ.

HEBDOMADALIS REGVLAE LECTIO.

24. Vt autem in hoc libello tanquam in speculo vos possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur: & vbi vos inueneretis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: vbi autem sibi quæcunq; vestrum, videt deesse aliquid, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

*diturum esse rationem. Vnde vos magis obediendo non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini qui inter vos quanto in loco superiori tanto in periculo maiori versatur.*

*23. Donet Dominus vt obseruetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes: non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.*

*24. Vt autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: Vbi autem sibi quicunque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro: orans vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.*

CAPVT

## CAPVT XXIIII.

*Disquisitiones aliquot Historicæ, in præfatam S.* AVGVSTINI *Regulam. Ea puellis tradita: & cur Latinè? Item de varijs Ordinibus sub ea Domino militantibus; quorum aliquot Insignia proponimus.*



RIMVM quidem disquiri velim, Cur Maximus ille Patriarcha noster AVGVSTINVS, EPISTOLAM simul & REGVLAM, puellis Africanis scribat & præscribat, Latino stylo exaratam? Nunquid Pœnas mulierculas, punicè docere oportuit? Quis enim magister, discipulis suis, non intelligendus, fieri voluit *æs sonans aut cimbalum tinniens?* Sed fortasse Monasterij PRÆPOSITVS aut PRESBYTER, adhibitus interpres, Legislatoris mentem, puellis Latinæ linguæ ignaris aperuit. Hoc sentiat qui tã antiquas antiquitates à limine salutauit: dum nos Historiarum penetralia scrutamur. Afris quidem propriã, quandam fuisse linguam eamque à Latina planè diuersam, dicet in primis AVGVSTINVS ipse; qui *diuitias* Punicè *mammon* appellari docet. Sed & apud Apuleium, agaso quidam Afer, à Romano milite grammaticè loqui nesciente, interrogatus: *Vbi ducis istum asinum*; quia misellus Romanum non intelligeret, palis exceptus vapulauit.

Quodnam igitur idioma Punicum fuit? dabit ecce Plautus subsequente Scena, quam totam huc referre placuit, vt miscellaneum ibidem Latinum aduertere Lector valeat, eâ quam subdam caussâ.

*Ny thalonini valon vth si corathisima consith.*
*Chym lach chunyth mumys tyalmyctibari imisebi* *Plautus in Pœnulo Act. 5. Scen. 1.*
*Lypho canet byth bynithij ad ædin bynuthij.*

Rr 2 *Byrnarob*

*Byrnarob syllo homalonin uby misyrthoho*
*Bytqlym mothyn noctothij velechanti dasmachon*
*Yssidele brim tysel yeb chylys chon, them lyphul*
*Uth bynim ysdibur thinno cuth nu Agorastocles*
*Ythe manet thy chyrsae lycoeh sith naso*
*Bynni id chil lubili gubylim lasibith thim*
*Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth lusim*
*Exanolim volanus succuratim misti Atticum esse*
*Concubitum à bello cutim beant lalacant chona enus es*
*Huiec silec panesse athidamascon alem induberte felono bu-thume*
*Celtum comurco lueni, at enim auosouber bent hyach Ari-stoclem*
*Et te se aneche nasoctelia elicos alemus duberter my comps ve-spiti*
*Aodeanec lictor bodes iussum limnimcolus.*
*Deos deásque veneror, qui hanc vrbem colunt;*
*Vt quod de mea re huc veni, ritè venerim:*
*Meásque vt gnatas, & mei fratris filium,*
*Reperire me siritis. Dij vostram fidem,*
*Quæ mihi surreptæ sunt, & fratris filium.*
*Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.*
*Eum fecisse aiunt sibi quod faciendum fuit,*
*Eius filium hic prædicant esse Agorastoclem,*
*Deum hospitalem, ac tesseram mecum fero.*
*In hisce habitare monstratu'st regionibus:*
*Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.*

Vides Afrum, idioma Barbarum Latinis verbis miscere, ac demum Latinè loqui? Vtramque linguam calluisse oportuit, qui sic luderet.

Quid autem mirùm? Nam cultioris conditionis nemo homo idiomatis Latini ignarus, in Africa viuere permissus; ex quo eam Romani debellârant. Victores siquidem, more suo vsi, quascunque gentes superarant, easdem Latinâ linguâ loqui

loqui coëgere. Belgas vsos lingua verna, capitis à Cæsare diro nostrarum Galliarum tyranno, damnatos, tradunt Auctores non infidi. Hoc est quod apud ipsum AVGVSTINVM legimus: *Data est opera vt Ciuitas Imperiosa, non solùm iugum, verùm etiam* LINGVAM SVAM, *domitis gentibus, per pacem societatis* (reponi velim *sociatis* aut certè *per speciem societatis*) *imponeret*. Denique longè adeo lateque sparsa paucis temporibus hæc lingua, vt Plutarchus scripserit *Omnes fere homines suo æuo ea vsos.* *Vide Ioan. Cognat. in Hist Tornali 8. cap. 8. Aug. li. 19. de Ciuit. Dei cap 8.*

Hinc Orationes & Conciones sacræ Cypriani, hinc Fulgentij nostri lucubrationes, hinc inquam scripta Patrum Occidentalis Ecclesiæ, Latina. Scribit Hieronymus ad Marcellam, Paulam, Eustochium, Latinè semper. A pulpitis Africanis exulabat lingua patria, & Græca. Vnde Valerius Hipponensis Episcopus homo naturâ Græcus concionandi munus in humeros AVGVSTINI reiecit, quia linguam Latinam minus callens, minus vtilem Ecclesiæ se peruidebat.

Itane omnes in Africa Latinè intelligentes, loquentes, scribentes? Omnes inquam, si paucos agrestes, rusticos, ac stupidioris Mineruæ homines excipias. Nam & AVGVSTINVS ipse Latinam linguam didicisse se ait, *inter blandimenta Nutricum & ioca arridentium puellarum.* *Confess. lib.*

Latinè dixi locutos omnes, non Grammàticè tamen: huius enim caussâ literarios ludos frequentabant, etiam Romæ: vbi qui sermonis purioris normulas callebat, liberaliter loqui, & scientias liberales nosse censebant: quibus distinguebatur ab illiberali vulgo & fece populi, *Latinum* quidem, sed non Latinè loquentis; prout aduertere superiùs licuit in præsidiario milite rogante: *Vbi ducis istum asinum?*

Huiusmodi hominum caussâ, AVGVSTINVS, vir alioquin disertissimus, seipso minor fieri voluit, pluribus profuturus. Nam & de Barbarismis suis, quasi glorianter ipse testatur hisce verbis: *Plerumque loquendi consuetudo vulgaris vtilior est, significandis rebus, quàm integritas litterata. Mallem quippè cum* *Aug. li. 3. de doct. Christ. cap. 3.*

gibus coërciti SERVI DEI & bono proposito cum eo, primùm RVRE in eremo, tum in Monasterio horti Valeriani, ac demum in Episcopali domo perseuerantes? Criticus quidam AVGVSTINIANVS, ait nullam videri Clericis Hipponensibus, aut Monachis traditam ab AVGVSTINO REGVLAM: non enim apparere quidquam de ea, apud Possidium, siue in Indiculo, siue in vita S. AVGVSTINI, neque apud ipsum AVGVSTINVM.

Criticum hunc ad Criticorum tribunal examinandum appello. Nunquid enim AVGVSTINVS quinquagesimo sermone de Diuersis, eum apertè iugulauit? Audiatur. *Quomodo viuere velimus, quomodo Deo propitio iam viuamus, quamuis de scriptura sancta multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Apostolorum lectio recitabitur; vt videatur vbi descripta sit forma quam desideramus implere.* Legit Lazarus Diaconus quæ in Actis Apostolorum scripta sunt; & inter alia: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quod paullò inferiùs habetur: Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Quibus lectis Augustinus eadem, & ipse repetijt, déque his ad suos præclaram orationem habuit.*

*Aug. serm. 50. de diuers.*

*Act. 4.*

Possidius ipse scribit eum factum Presbyterum cum SERVIS DEI viuere cœpisse *secundùm* REGVLAM *sub sanctis Apostolis constitutam*, quod etiam dudum fecerat cùm de *transmarinis ad propria remeasset.*

*Possidius in vit. S. Aug.*

Neque verò absurdum est, Monasterium à D. AVGVSTINO conditum, sine peculiari scriptâ viuendi normulâ dirigi. Quanàque REGVLA olim in Ægypto, & Palæstina Cœnobitæ simul & Eremitæ fuerunt vsi, sub Antonio, & Hilarione? Quibus legibus subditi Turonenses Martino, Mediolanenses Simpliciano, & Ambrosio, Bethleemitici Hieronymo? Nullane viris tam Regularibus fuerit REGVLA? Nulla (quod legatur) præter Apo-

MONACHI ANTIQVI VIVENTES SINE SCRIPTA REGVLA.

Apoſtolicos ACTVS & Euangelium.

AVGVSTINVS LEX VIVA VIRIS, ABSENTIBVS FOEMINIS SCRIBIT.

Præterea, *Nonnas* illas, magis quàm *Nonnos*, indiguiſſe præſcriptâ viuendi Normula, quis non aduertat? Lege ſcriptâ non indiget, qui loquētem Legem, id eſt, Legiſlatorem ipſum præſentem ſemper habet. Immò verò, præfatum Veſtalium cœnobium, non minus XX. annos ſine ſcripta REGVLA, conſtitiſſe, probabili ſupputatione docuit Bernardus Vindingus, Auguſtinianus Theologus, Vir accuratè doctus. Cùm enim, ab ſanctiſſimo illo Legiſlatore exarata eſt, iam obijſſe ſatis indicat germanam ſuam, quæ *Vidua Deo ſeruiens*, MVLTO *tempore vſque ad diē obitus ſui*, PRÆPOSITA ANCILLARVM DEI *vixit*. Quæ autem eidem demortuæ ſurrogata eſt, Felicitas fuit. Atqui SVB ILLA *in Monaſterio illo per tam* MVLTOS ANNOS *perſeuerante Sanctimoniales & numero & ætate creuerant*. Vbi planè aduertendum, eas ſine REGVLA velatas, profeſſas & multiplicatas, ſine REGVLA æternùm in SANCTO PROPOSITO permanſuras, niſi rixarum plenæ, mutari ſibi Præpoſitam voluiſſent. Per TOT ANNOS, dum ſcribit, haud minùs quàm *decem* intelligit, cùm eâdem loquendi formula *decennalem* Africę gemitum, PER TOT ANNOS continuatum ſcribit.

*Vide Præfationem in Regulam.*

*Augu. epiſt. 161.*

QVATVOR PRÆLATI SANCTIMONIALIVM AVGVSTINIANARVM

Notatum inſuper velim ad lucem huius Regulæ; quatuor fuiſſe Superiores Sanctimonialibus Auguſtinianis Prælatos: PRÆPOSITAM, PRÆPOSITVM, PRESBYTERVM, & EPISCOPVM. Huius tetrarchiæ ignoratio, multis lectoribus & aliquot ſcriptoribus tenebras offudit.

Hactenus quidem de REGVLA noſtra, nonne plus ſatis? Addendi mihi ſunt inſuper ORDINES varij, ſub ea, quaſi ſub vnius Imperatoris vexillo, Regi Regum militantes: quorum etiam aliquot Inſignia præponimus; dum aliorum Sculptoris ſcalpro ſubducemus.

ORDO

Quan-




Ordo Eremitarvm S. Auguſtini ab ipſomet inſtitutus in Africa: cuius tutelares vindecias præ ceteris egregiè ſuſcepit Ioannes Marques S. T. Doctor Salamantinus, peculiari libro ibidem impreſſo anno Domini M. DC. XVIII. Huius autem Ordinis Congregationes ſunt ſubſequentes:

Congregationes Ord. Erem. S. Auguſtini.

- *Lombardica.*
- *Illicetana.*
- *Carbonara.*
- *Peruſina.*
- *Ianuenſis.*
- *Montis Ortoni.*
- *Apula.*
- *Calabrica.*
- *Dalmata.*
- *S. Mariæ de Colorito.*
- *Montis VVlturni.*
- *Saxonica.*

ORDO CANONICORVM REGVLARIVM, ab Apostolis primùm institutus, S. Augustinum restauratorem agnoscit: isque in varias Congregationes diuiditur, quarum series subnectitur:

*De institutione & laudibus Ordinis Canonicorũ Regul. Vide quæ fusius scripsi ca. 4. lib. Fund. & Regul.*

Canonicorum Regularium Congregationes primariæ.

- *Lateranensis.*
- *Sancti Saluatoris.*
- *Sancti Spiritus.*
- *Sancti Victoris.*
- *Sancti Marci de Mantua.*
- *Sancti Marci Venetijs.*
- *Sancti Rufi.*
- *Sancti Georgij.*
- *Sancti Iuonis.*
- *Barnabitarum.*
- *Bursfeldensis.*
- *Et aliæ multo plures.*

Aliquot earum Insignia placuit hîc addere, dum reliqua quæ desiderantur, expectamus, alibi reponenda.

LATERANENSIS.




S. SALVATORIS.



S. SPIRITVS.



S. MARCI.




Inter Canonicorum Regularium Primarios, etiam recensentur Reuerendi D D. PRÆMONSTRATENSES ab Sanctissimo viro Norberto Magdeburgensi Archiepiscopo fundati, anno M. C. X X. Nomen porrò suum sortiuntur à PRÆMONSTRATO primo

primo illius Inſtituti Cœnobio: cuius etiam hîc Inſignia proponimus.



Reliquos ORDINES, Familiaſque Monaſticas, ſub eadem REGVLA militantes, ſubſequens pyctacium, ſerie miſcellaneâ, continebit.

Ordines monaſtici, ſub Auguſtini Regula Chriſto famulantes.

- *Ordo vitæ communis.*
- *Clericorum Hoſpital. S. Antonij.*
- *Grandimontenſium.*
- *Prædicatorum.*
- *S. Mariæ de la Merced.*
- *S. Mariæ Seruorum.*
- *Pœnitentium S. Mariæ Magdalenæ*
- *Fratrum de pœnitentia Ieſu-Chriſti, ſiue Saccitarum.*
- *Alexianorum.*
- *S. Pauli primi Eremitæ.*
- *S. Ambroſij.*
- *Ieſuatorum.*

*Brigittanorum, vtriusque sexus.*
*Eremitarum sancti Hieronymi.*
*Monachorum sancti Hieronymi.*
*Cruciferorum* { cum Stella. cum Nauicula. Italorum. Belgarum. Hispanorum.
*Armeniorum.*
*Fratrum de pœnitentia S. Demetrij.*
*Guillelmitarum.*
*Clericorum Boni IESV.*
*FF. Eremit. S. Pauli primi Eremitæ.*

Inter præfatos Ordines frustra requiret aliquis Institutum SANCTISSIMÆ TRINITATIS, quod sub Augustiniana Regula profiteri, malè scripsit Aubertus Mireus, Cornelius. Lancillottus, & alij de Republica Monastica optimè meriti. Ego ipse, eo irretitus errore fui, donec illam nescietatis nubeculam animo detersit ipsa eorundem Regula, quæ suis temporibus Lectorum oculis subijcienda, ad manus meas deuenit. Illam siquidem seriò quæritare cœpi, lectis hisce verbis Epitaphij Ioannis Matthæ, eiusdem Ordinis cum S. Felice, Fundatoris:

*Epitah. Ioā. Mattha, Romæ.* ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M. C. XCVII. PONTIFICATVS VERO DOMINI INNOCENTII PAPÆ III. ANNO PRIMO, XV. CAL. IANVARII INSTITVTVS EST NVTV DEI, ORDO SANCTISSIMÆ TRINITATIS, A FRATRE IOANNE, SVB PROPRIA REGVLA SIBI AB APOSTOLICA SEDE CONCESSA. SEPVLTVS EST IDEM FRATER IN HOC LOCO, ANNO DOMINI M. CC. XIII. DECEMB. XXI.

Neque

Neque verò Monastici tantùm Ordines, sub hac Regula degere comperiuntur; sed & Equestres complures sub eadem militare certum est. Forum Cathalogum sic habes.

ORDO

- *Equitum Tarraconensium.*
- *Equit S. Militia de Palmera.*
- *Militia S. Ioan. Baptista.*
- *S. Maria de Redempt. Capt.*
- *Militia gaudentium Equit.*
- *Equitum S. Georgij.*
- *Templariorum.*
- *Equitum S. Sepulchri.*
- *Equitum S. Maria Teuthonicorum.*
- *Equitum D. Iacobi Hispanorum.*
- *Equitum S. Lazari Hierosol.*
- *Equitum S. Hieronymi.*

Sunt & Ordines alij tum Monastici, tum Militares, sub eadem Regula militantes, quos curæ nostræ secundæ in publicum aliquando eruent; & huic pyctacio adscriptos, accuratiùs disquirent.

CAPVT

## CAPVT XXV.

*Regula S. Cæsarij ex Monacho Lerinensi Arelatensis Episcopi, qui floruit anno Domini C D. L I V. & peruenit ad annum eiusdem C D. X C I X. Sed hæc quidem Regula mendis scatens à Lectore comperietur: adeóque pluribus in locis obscura, vt in eius interpretatione sim Dauus.*

*Hanc Regulam desumpsi ex Bibliotheca SS. Patrum.*



N Christi nomine, REGVLA, qualis debeat esse in Monasterio, vbi Abbas est quicunque fuerit.

In primis, si quis ad conuersionem venerit, ea conditione excipiatur, vt vsque ad mortem suam ibi perseueret: VESTIMENTA verò LAICA, non ei mutentur, nisi antea de facultate sua, chartas venditionis esse,* sicut Dominus præcepit, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus & veni, sequere me.* Certè si non vult vendere donationis chartas, aut parentibus aut Monasterio faciat, dummodò liber sit: & nihil habeat proprium. Si verò pater eius aut mater viuat, & non habet potestatem faciendi, quãdo illi migrauerint, cogatur facere. Quęcunque secum exhibuit, Abbati tradat; nihil sibi reseruet: Et si aliquis de propinquis aliquid transmiserit, offerat Abbati. Si ipsi est necessarium, ipso iubente habeat: si illi necesse non est, in commune redactum, cui opus est tribuatur.

* Aliquid deesse videtur.

II. Sint vobis omnia communia.

III. Cellam peculiarem, aut armariolum, vel quamlibet clausuram, nullus habeat. In vna schola, omnes maneant.

IV. Non iurent: quia Dominus dixit: *Nolite iurare omnino, sed sit sermo vester est, est, non, non.*

V. Mentiri qui inuentus fuerit; disciplinam ligitimam accipiat: quia *Os quod mentitur, occidit animam:* Et, *Perdes*

*eos*

*eos qui loquuntur mendacium.*

VI. Non maledicant: quia scriptum est: *Neque maledici, regnum Dei possidebunt.*

VII. Operam, non quam vnusquisque voluerit, sed quæ eis ordinata fuerint, faciant.

VIII. Dum psallimus, nullus loqui præsumat.

IX. Ad mensam dum manducant, nullus loquatur; sed vnus legat quemcumque librum; vt sicut corpus reficitur tantùm cibo, ita anima reficiatur Dei verbo. Sic dicit Dominus: *Non autem solo pane viuit homo, sed ex omni verbo Dei.* Qualis est terra sinè pluuia, & caro sine cibo, talis est anima, si non reficiatur Dei verbo.

X. Filium, de Baptismo, nullus excipiat.

XI. Mulieres in Monasterio nunquam ingrediantur. Qui in remoto loco est, signo tacto, ad omne opus Dei nullus tardius veniat. Si tardius venerit, statim de ferula in manus accipiat. Arguente Abbate, aut Præposito, aut quolibet Seniore, respondere penitùs non præsumat.

XII. Lites inter vos non habeatis, sic enim dicit amplius: *Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Certe si excesserit, vt est humana fragilitas, vt se sermonibus duris exstimulent, *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

XIII. Sed nec vllus præsumat iratum culpare: sed qui se sciunt fecisse, quod non debuerunt, inuicem sibi veniam petant; implentes illud Dei mandatum vbi dicit: *Dimittite & dimittetur vobis, si vos non dimiseritis nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Ira viri iustitiam Dei non operatur. Si offers munus tuum ad altare & recordatus fueris, quia frater tuus habet aduersum te, vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum.* Certus esto quia dum iratus es contra alium, oratio tua non recipitur: nec irato, licet communicare. Et ideo implete, quod Dominus dicit: *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis. In hoc cognoscent omnes homines quod mei discipuli estis, si vos inuicem diligitis.* Dixit amplius Ioãnes:

nes: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Qui odit fratrem suum homicida est. Charitas Deus est, qui manet in charitate, Deus in eo manet.* Et qui inimicos iubemur diligere & bene eis facere, quâ fronte fratres odimus.

XIV. Omni tempore vsque ad Tertiam legant: post Tertiam, vnusquisque sibi opera iniuncta faciat.

XV. Nullus occultè aliquid accipiat. Præcipuè EPISTOLAS, sine scientia Abbatis, nullus accipiat, nec transmittat.

XVI. VICTUM & VESTIMENTA Abbas ministret: quia sicut sancitum vt nihil proprium habeant, ita iustum est, vt omnes quæ necessaria fuerint, à sancto Abbate accipiant.

XVII. INFIRMI sic tractentur, vt citiùs conualescant.

XVIII. Omne ministerium cum bona voluntate facite; vt impleatis illud: *Voluntariè sacrificabo tibi:* quia satis alta merces erit illius, qui voluntariè, quàm illius qui inuitus facit, quod iubetur.

XIX. *Contendite intrare per angustam portam, quia arcta & laboriosa est via, quæ ducit ad vitam; lata & spatiosa, quæ ducit ad mortem.* Vos verò, sicut certamen habituri eratis, si in pugna contra gentem aliquam ambulassetis, vt non ibi mortem faceretis: tanto magis in isto, spiritale certamen pugnate, vt non vos aduersarij animæ percutiant. Quanta vitia habueritis, tantos habebitis aduersarios. Et ideo, certate sicut milites Christi, vt cum ipso regnetis in cælis, qui dixit: *Si quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit, si quis reliquerit patrem, matrem, vxorem, filios, & facultates, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Hoc certamen habete inter vos, qui alterum vincat per humilitatem, per charitatem, qui sit minor, qui sit in opus Dei vigilantior, qui patientiam habeat maiorem, qui sit tacitus, mitis, blandus, compunctus: vt lætetur Deus & Angeli eius, de vestrâ sanctâ conuersatione; & confundatur diabolus hostis antiquus, qui semper cogit miserum hominem

contra

contra Dei facere voluntatem: ne sit ibi vnde ille pro sua præsumptione iactatus est. *Sic currite vt adprehendatis & possitis dicere: Viam mandatorum tuorum cucurri. Videte,* FRATRES, *quomodo cautè ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris patri & Deo; subiecti inuicem in timore Christi.*

XX. VIGILIAS à mense Octobri, vsque ad Pascha, duos Nocturnos faciant; & tres Missas. Ab vna Missa, legat Frater folia tria, & Orate: legat alia tria, & leuet se.

XXI. * Dicite Antiphona Responsorium & alia Antiphona, Antiphonas ipsas de ordine Psalterij. Post hoc dicant Matutinos directaneum, *Exaltabo te Deus meus, & Rex meus*. Deinde in ordine totus Matutinarius in Antiphonas dicatur. Omni Dominica, sex Missas facite. Prima Missâ, semper *Resurrectio* legatur. Dum *Resurrectio* legitur, nullus sedeat. Perfectas Missas dicite Matutinos directaneo, *Exaltabo te Deus meus, & Rex meus*. Deinde, *Confitemini*. Inde, *Cantemus Domino*. *Lauda anima mea Dominum*: Benedictionem, *Laudate Dominum de cælis*. *Te Deum laudamus*. *Gloria in excelsis Deo*. Et capitello, omni Dominica sic dicatur.

* Hæc subsequentia valde sunt intricata.

XXII. A sancta Pascha, vsque mense Septembre, quarta & sexta tantùm ieiunādum. A mense Septembre vsque ad Domini Natale quotidie ieiunandum. Iterum antè duas hebdomadas, ante quadragesimam, quotidie ieiunandum: excepto Dominica, in qua non licet penitus ieiunare, propter Resurrectionem Domini. Si quis die Dominico ieiunauerit, peccat. A Domini Natale vsque ante duas hebdomadas de quadragesima, secundâ, quartâ, & sextâ. Inde postea vsque Pascha, omni die ieiunandum absque die Dominico, qui Dominica ieiunat peccat. Missas verò in ieiunio tres, in prandio verò, & in

cæna duo tantum præparentur: in prandio liberis, & in cæna accipiant, in ieiunio ternas. Ad lectum suum nullus præsumat habere quod manducetur aut bibatur.

XXIII. Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in vna cella recludatur, & cum vno Seniore ibi legat donec iubeatur ad veniam venire.

XXIV. Pulli & carnes nunquam sani accipiant, infirmis quicquid necesse fuerit ministretur.

XXV. Omni Sabbatho, & omni Dominica, vel diebus festis, duodecim Psalmos, tres Antiphonas, tres Lectiones, vna de Prophetis; alia de Apostolo, & tertia de Euangelio dicantur.


*Hæc.

*Ignitas diaboli tædas vel fasces vel sagittas.

XXVI. * Et licet minus idonei bellatores arma vobis spiritualia contra * ignotas diaboli prouidemus. *Gaudete & exultate in Domino*, venerabiles filij, & gratias illi iugiter vberes agite, qui vos de tenebrosa seculi huius, conuersatione, ad portum quietis & religionis adtrahere, & prouocare dignatus est. Cogitate iugiter vnde existis, & vbi peruenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras & lucem Christi fœliciter videre cœpistis. Contempsistis libidinis incendium & ad castitatis refrigerium peruenistis; respuistis gulam, & abstinentiam elegistis, repudiastis auaritiam atque luxuriam, & caritatem vel misericordiam tenuistis. Et quamuis vobis vsque ad exitum vitæ, non deerit pugna; tamen, Deo donante securi sumus de vestra victoria. Sed rogo vos, venerabiles Filij, vt quantùm estis securi de præteritis, tantùm sitis soliciti de futuris. Omnia enim crimina vel peccata citò ad nos reuertuntur, si non quottidie bonis operibus expugnantur. Audite Apostolum Petrum dicentem: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, aliquid deuorare quærens, circuit*. Quamdiu in hoc corpore viuimus, diu noctuque, Christo adiutore, vel duce, contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod peius est, negligentes & tepidi, qui de solo Christinianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis

illis sufficiat vestem mutasse, & Religionis tantum habitum suscepisse; nescientes illud Propheticum: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*; Nec sententiam Psalmistæ considerantes: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras*; Et illud, quod Apostolus dixit: *Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum cœlorum*. Vestes enim seculares deponere, & religiosas adsumere, vnius horæ momento possumus; Mores verò bonos iugiter retinere, vel contra malè dulces voluptates seculi huius, quamdiu viuimus, Christo adiutore, laborare debemus, quia *non qui incœperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit*.





## CAPVT XXVI.

*De altera Regula S. Cæsarij: quam Regulæ S. P. N. Augustini conferimus.*

Bibliot. SS. PP. tomo 5. parte 3. Colo apud Hierart ann. 1618. pag. mihi 792.



CAPITE superiori, REGVLAM S. Cæsarij Arelatensis Episcopi dedimus qualē Tomus V. Bibliothecæ SS. Patrum, editionis Coloniensis nobis subministrauit, hoc titulo: INCIPIT REGVLA *à S. Teridio presbytero, nepote beatæ memoriæ S. Cæsarij Episcopi Arelatensis, Abbati, meâ paruâ personâ rogante, transmissa; quam à suo supramemorato Domino Cæsario, dixit ipse dictatam: quam, dum esset sacerdos, ipse per diuersa monasteria transmittebat.*

Postrema Parisiens. editio pag. mihi 997.

Extat insuper alia eiusdem SANCTI CÆSARII REGVLA, capitibus XLIII. constans, Sanctimonialibus indicta: quam in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Parisiensis editionis, reperire datur, sic incipiens: *Sanctis & plurimùm in Christo venerandis Sororibus, in Monasterio, quod Deo inspirante, condidimus, constitutis: Cæsarius Episcopus*. In ea porrò satis adparet, quantum, velut ex conducto, patrissarit sanctissimus is PRÆLATVS, quem AVGVSTINI DISCIPVLVM fuisse, fides est historica, potiùs quàm traditio. Quisquis volet, conferat vtriusque Regulas; & quid à Doctore suo desumpserit CÆSARIVS, statim intelliget. Iuuat aliquot periodos in medium proferre; atque imprimis.

Cap. 19.

*Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingrediuntur Monasterium, humiliter illud offerent Matri, communibus vsibus profuturum. Quæ autem non habuerunt, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Illæ verò quæ aliquid videbantur habere in seculo, non fastidiant Sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt; nec sic de suis diuitijs superbiant, quas Monasterio obtulerunt, quomodo si eis in seculo frueren-*

*fruerentur. Quid prodest dispergere, & dando pauperibus, pauperem fieri; si misera anima, diabolicâ infletur superbiâ? Omnes ergò vnanimiter & concorditer viuite & honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa esse meruistis.* Paullò post: *Cùm Psalmis & Hymnis oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.*

Rursum subdit: *Ægrotantes sic tractandæ sunt, vt citiùs conualescant; sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant, ad feliciorem abstinentiæ consuetudinem.* Cap. 20.

*Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, quod vestrum decet propositum.*

Continuat Auctor præfatus, Augustini cautiones in oculorum lasciuiam, quas in Epistolarum mutuâ contesseratione concludit hisce verbis: *Quæcunque autem, (quod Deus non patiatur) in tantum progressa fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, aut quælibet mandata, aut munuscula accipiat; si hoc vltro confessa fuerit, indulgentiam mereatur & oretur pro ea: si autem celans proditur, vel conuincitur; secundùm statuta Monasterij, grauius emendetur.* Cap. 23.

Cæterùm, eiusmodi cautionem, in amatorias dumtaxat Epistolarum contesserationes (sicut alibi notatum volui) decretam esse, docet ipsa Regulæ sequela: *Simili etiam districtioni subiaceat, si vel ipsa cuicunque literas aut munuscula transmittere, sacrilego ausu præsumpserit, &c.* Quid pluribus immoror? Muta quædam verba Cæsarij, & habes totam Regulam Augustini. Ibidem.

CAPVT

## CAPVT XXVII.

*De Ordine S. Benedicti pauca præloquimur. Eiusdem Sanctissimi Patriarchæ vitam & Instituta, poëmatio (sed alieno) pangimus.*



D Instituta Benedictini Ordinis, Ordinum omnium facilè principis, iuxta temporum seriem vergimus. Celeberrimus hic Ordo Auctorem nomine reque BENEDICTVM agnoscit, virum, sicut antiquo stemmate, sic & sanctitate pernobilem: cuius etiam Insignia gentilitia (fuit enim Anicio stemmate clarissimus) Lectorum nostrorum obtutui proponimus.




Huius sanctissimi Patriarchæ Historiam, stilo prosecutus est Gregorius Magnus, Sanctus pro Sancto lucubrans: quam versu pentametro retulit Sangrinus; Saphico quidam, apud Arnoldum, anonymus; ac demum Heroico, IOANNES CARPENTEIVS domo Atrebas; cuius etiam in Isaiam carmina felici genio cusa & fusa leguntur. Huc eum aduocare lubet, & Magni herois, heroo cothurno, stratagemata pandentem audire.

HISTO-

A





## CAPVT XXVIII.

## *HISTORIA*

# SANCTI BENEDICTI,

## TETRASTICIS HEROICIS,

*SINGVLARVM RERVM AB EO præclarè gestarum seriem complectens.*



VRSIA *me genuit, Romam misere parentes:*
*Hinc ego, nec doctus satis, & iam doctus abunde*
*Egredior ducente Deo, comitatur alumna.*
*Qui volet esse pius populosas deserat vrbes.*

*Venimus Effiden, stabat cribraria vannus*
*Fictilis, illa cadens in partes dissilit, hospes*
*Nutrixque inclamant, ego supplex numen adoro;*
*Illæsa est vannus. Quid non pia vota merentur?*

*Fama volat, laudor, factum latuisse volebam,*
*Exeo clam nutrice, & Sublacensia solus*
*Tesqua peto, haud ponens rumores ante salutem.*
*Nam populi plausus, magni res plena pericli est.*

*Abditus in solis dum dego rupibus æuum,*
*Obuius ecce senex, quis sim rogat, in genua illi*
*Procido, dat vitæ normámque modúmque gerendæ,*
*Cùm veste: at vestis frustra est, nisi vita sequatur.*

*Victum, corbe dabat, suberat cui nola, diurnum*
*Demissa Pater exesum Romanus in antrum.*
*Inuidit Sathan, nolam petit vndique saxis:*
*Frangitur, interea pascor: quid vane minaris?*

*Pascha aderat, nec rupe latens, lucem ipse notaram,*
*Missus qui moneat festum solenne sacerdos;*
*Hic mecum celebrat, mensæque accumbimus vnà:*
*Non memor haud vnquam visus Deus esse suorum.*
*Pastores deprensum inter fruteta, putarunt*
*Esse feram; at propiùs facti, mihi liba ministrant,*
*Pomáque, & agrestes fructus: ego verba rependo*
*Doctrinæ: hoc verè est æterna reponere fluxis.*
*Assimilis merulæ dæmon mihi verbere vultum*
*Pennarum tundebat; & ecce libidine flagro:*
*Quid facerem? nudum paliuris corpus acutis*
*Induo. Victa nouo cessit noua flamma dolori.*
*Et iam notus eram, veniunt, cellamque coronant,*
*Inuitumque trahunt Monachi. Patremque cooptant*
*Durior vt visus, mihi clam medicata propinant*
*Pocula; signo cruce, illa ruunt, ego claustra relinquo.*
*Rursum adeunt alij, bis sex quibus atria pono,*
*Præfictoque Patres totidem, mihi seligo paucos,*
*In primis Maurum & Placidum, par nobile quondam*
*Christi in militia disciplináque futuros.*
*Continuare preces iussum & parere negantem*
*Æthiopis libito, ferrique trahique videbam;*
*Et Mauro ostendi. Multatum denique liquit*
*Æthiops: horret enim virgarum verbera dæmon.*
*Tres numero ex omni cella manante carebant*
*Fonte, petunt fratres transferri, ego nocte propinquum*
*Scando iugum post vota, locum tribus annoto saxis,*
*Mandato fodi, fodiunt, riuus salit inde perennis.*
*Et mihi successit per feruida vota fidemque,*
*Quod quondam Solymis Helizæo euenit in oris*
*Mersa acies sequitur capulum, imo reddita fundo,*
*Et quod vix plumæ, ferro fit nabile flumen.*
*Pone metum Placide ô placidissime, terra tenax est*
*Quam tu reris aquam: viden' vt te crine prehensum*

*Maurus*

*Maurus aquas calcans saluum incolumemque reducit?*
*Salua quoque vrna. Deo fluuij & liquida omnia parent.*
*Quid? quod & admonitu fidi lætalia corui*
*Liba cauere dedit? Florentius illa mihi ipse*
*Pinsuerat: coruus renuit, sed in auia iussus*
*Effert, mox solitam reuolat ieiunus ad escam.*
*Saltabant septem nudæ prope septa puellæ,*
*Has sic ornarat Florentius intuleratque:*
*Horruimus visu subito, fugimúsque pauentes:*
*Nam lædunt castas spectacula talia mentes.*
*Sed non ille diu facto lætatus inani est:*
*Namque suæ diris subitisque fragoribus ædis*
*Obrutus interijt: quæ dum quasi nuntia Maurus*
*Læta refert, casum ingemui vel sontis acerbum.*
*Inde monente Deo, petimus iuga celsa Casini,*
*Quem prius arcitenens cum Pallade Phœbus habebat:*
*Cedite monstra, Deo meliori cedite, dixi.*
*Illi abeunt, magnóque locum stridore relinquunt.*
*Templa deûm & lucos, dum demolimur & aras,*
*Erigimúsque nouas; lapidi, quem nulla mouere*
*Vis poterat, dæmon insederat: hunc cruce postquam*
*Deieci, saxum sequitur iam sponte mouentes.*
*Fundanti templum, statuam retulêre repertam*
*Fossores: figi fumosæ edico culinæ.*
*Non tulit iratus dæmon, incendia miscet;*
*Crux sola hæc, nullæ potuêre extinguere lymphæ.*
*Hic victus dæmon, alias se vertit ad artes:*
*Præsensi insidias, monuique cauere; sed antè*
*Oppressus muro puer est labente, relatum*
*Restituit vitæ Deus exoratus ademptæ.*
*Admissum in legem me interrogitante negabant*
*Fortè duo Fratres: ego contra remque locumque,*
*Atque cibi potúsque vices mirantibus edo.*
*Conuicti veniam petiêre, feruntque petitam.*

*Nec magis iste suum potuit celare reatum,*
*Quem mihi proiectum ante pedes hic cernis, amœni*
*Pellectus specie prati, ieiunia soluit,*
*Quæ bis à comite oratus non soluerat ante.*
*Me quoque tentauit Totilas si fallere posset,*
*Veste tegens vilem & sceptro & diademate seruum:*
*Pone, inquam, tyaram, & quæ fers insignia, serue,*
*Non tua sunt: dicto hoc vt fulmine corruit ictus.*
*Erubuit Totilas, verôque apparuit ore;*
*Dúmque meis pedibus supplex aduoluitur, illum*
*Apprehensum dextra & trepidantem attollo, meísque*
*Præmonitum verbis ad regia tecta remitto.*
*Pone, Camisinæ Præsul celeberrime sedis,*
*Romanæ stragis Totila vincente timorem;*
*Non vrbem excindet, grauior de fulmine clades*
*Imminet & tonitru. O vtinam sim falsus aruspex!*
*Ordinis ô sacri nimis ambitiose petitor,*
*Iam sanus fuge qui tibi non debetur honorem:*
*Nî facias, prædico, malus te spiritus isto*
*Nequior exacto, suprema ad fata tenebit.*
*Vbertim flebam, causámque rogabat amicus:*
*In promptu caussa est: excindet barbarus istam*
*Quam loco nunc sedem. Serua Pater optime diuûm,*
*Serua homines, tuáque in lapides deferueat ira.*
*Vicina de vite duas mihi ferre lagenas*
*Iussus fortè puer, porrecta cominus vna:*
*Altera vbi est? dixi, dum mussat. Si sapis, inquam,*
*Proijce quam retines. dum proijcit, emicat anguis.*
*Rursus ab audaci mendacia turpia Fratre*
*Exprimo, cui strophium dederat monialis habendum;*
*Excutióque sinum: deprensus ad arma cucurrit*
*Tuta preces, lacrimísque scelus lauit omne profusis.*
*Et mihi vel tacitos alienæ mentis ab alto*
*Conceptus præscire dedit diuûm atque hominum Rex.*

Scio

*Scis Frater, mihi cùm faculam præferre superbè*
*Dedignareris, monui, tu fassus abisti.*
*Quid modicæ fidei dubitatis? quinque supersunt*
*Hic tantùm panes: quid tum? lux crastina, dixi,*
*Far dabit: vnde illud? nulli mea dicta probantur,*
*Lux tamen exhibuit ducentos orta medimnos.*
*Solicitos claustri super Anxuris arua locandi,*
*Admoneo in somnis formæque sitúsque locique:*
*Nulla fides somno, veniunt, promissa reposcunt:*
*Quod petitis, vos visa (inquam) nocturna docebunt.*
*Indignis sibi facta senex conuitia dictis*
*Detulerat, reæ erant sacræ mea cura puellæ:*
*Dira minor, mors atra rapit, templóque sepultas*
*Vox sacra depellit, mea vota precésque reducunt.*
*Mira loquar, sine pace mea puer atria linquens*
*Inuisit patrem, moritur, tumulatur, eum bis*
*Terra vomit, cordi sacratam impono synaxim,*
*Depositum ex illo tellus placata recepit.*
*Limina quidam alius sacra me probibente parabat*
*Linquere, iamque pedem extulerat: squammosus biánsque*
*Occurrit draco, vertit iter fugitiuus, & vnde*
*Venerat, exanguis pallensque, treménsque reuertit.*
*Gratia magna tibi, Deus optime maxime rerum,*
*Tu lacrymis euicte meis precibúsque, tenello*
*Tympanitem, vetulo pepulisti corpore lepram:*
*Quæ facimus, per te facimus: tua munera sunt hæc.*
*Debitor exanguis, quem neruo impingere durus*
*Creditor, inque situ & pædore necare parabat,*
*Poscit opem, cælo ora manúsque attollo supinas:*
*Audior, & misero datur æs, siluítque petitor.*
*Dura silex vitrò cessit, tenuítque liquorem*
*Vas lapidi impactum, promo parcente negatum,*
*Seriáque Assyrio vacuata redundat oliuo.*
*En Natura, preces quid possint, victa fatetur.*

O medicum insignem! strigosa siccine mula
Vectus ades? sic nos operam mentite salubrem
Inuisis! tibi ego hoc inflicto verbere, corpus
Hoc miserum iubeo egrediare, orcumque reuisas.
Non patiar torqueri hominem: mihi reddidit aurum
Quod per vim extorques: pergis? feriere repentè.
Sessor equo excutitur sternace, caditque supinus;
Pastus & admonitus, pacem orat, fertque petitam.
Parce pater natum lacrymis efferre peremptum:
Viuet, ego dixi, palmásque vtrasque tetendi,
Et subitò natus mirante parente reuixit.
Rustica nos iterum ad rastra intermissa redimus.
Dum germana meo dicentis pendet ab ore,
Fessus eram: finem facienti abitumque paranti
Non nube, at precibus, cælo citus ingruit imber:
Nox ruit, interea dicendo ducimus horas.
Intempestiuo tamen hæc mihi funere rapta est,
Si raptam fas est sublatam dicere cælo:
Nam mihi visa polos imitata secare columbam,
At Fratres missi dant virginis ossa sepulcro.
Necnon solari visus germanus in orbe
Nocte rapi in cælum, ferrique per æthera dextris
Angelicis: mitto mortis qui disceret horam:
Illa ipsa inuenta est quam lux signauerat antè.
Iam senior leges ad quarum edicta nepotes
Dirigerent, stadium vitæ metamque beatæ
Præscripsi, quas Pontifices Regésque benignè
Amplexi, sanxere suo diplomate læti.
Tandem animi constans, sed fessus mole senectæ,
Fratribus attonitis mihi fata instare suprema
Nuncio, & hæc tacitis vt seruent nuntia linguis,
Edico, supplex sacra deinde viatica sumo.
Hic finis Diui, quem stantem fama superstes
Ante aras fudisse animam, loquitúrque loquetúrque.

Illum

*Illum expirantem socij videre, poloſque*
*Luce viam mira insolitam ſignante petentem.*
*Iamque ſpecus ſacer hic quem quondam habitauerat heros,*
*Numen habet: mulier feriata mente peragrans,*
*Thyas vti, nemora & ſaltus, ad limina ſacra*
*Victa ſopore cadit, mox excita ſana reſurgit.*
*Saluete ô dulces animæ, fratérque ſorórque;*
*Vnanimi quem mente Deum coluiſtis, eundem*
*Cernitis en coram: facite ô duo lumina cæli,*
*Nos eadem hæc veſtris adiutos cernere votis.*

AMEN.

BEATIS-



## BEATISSIMI PATRIS BENEDICTI

### IN REGVLAM SVAM

### PROLOGVS.



AVSCVLTA ô Fli, præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians proprijs voluptatibus, Domino Christo vero regi militaturus, obedientiæ fortissima, atque præclara arma assumis.

In primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissimâ oratione deposcas; vt qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquādo de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, vt non solùm vt iratus pater non aliquando filios exhæredet: sed nec vt metuendus dominus iritatus malis nostris, vt nequissimos seruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad gloriam. Exurgamus ergò tandem aliquando, excitante nos scri-
*Rom. 13.* ptura, ac dicente: Hora est iam nos de somno surgere. Et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidiè clamans quid nos admoneat vox dicens:
*Psalm. 94.* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.
*Apoc. 2. & 3.* Et iterum: Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus di-
*Psal. 33.* cat Ecclesijs. Et quid dicit? Venite filij, audite me, timorem
*Ioan. 12.* Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens Dominus in multitudine populi sui, cui hæc clamat, operarium suum, ite-
rum

rum dicit: Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit dies videre *Pſal. 33. & 1. Pet. 3.*
bonos? Quod ſi tu audiens, reſpondeas: Ego: dicit tibi Deus:
Si vis habere veram & perpetuam vitam; prohibe linguam
tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à ma- *Pſal. 33.*
lo, & fac bonum: inquire pacem & ſequere eam. Et cùm hæc
feceritis, oculi mei ſuper vos: & aures meæ ad preces veſtras: *Pſal. 33.*
& antequàm me inuocetis, dicam, Ecce adſum. Quid dulcius *Iſa. 58. 65.*
nobis hac voce Domini inuitantis nos, Fratres chariſſimi? Ecce
pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ. Succinctis
ergo fide, vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris,
per ducatum Euangelij, pergamus itinera eius: vt mereamur
eum, qui nos vocauit, in regno ſuo videre. In cuius regni ta-
bernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus curren-
do, minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Propheta
Dominum dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo *Pſal. 14.*
tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Poſt hanc inter-
rogationem, Fratres, audiamus Dominum reſpondentem, &
oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi, & dicentem: Qui
ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, Qui loquitur ve-
ritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. Qui
non fecit proximo ſuo malum: qui opprobrium non accepit
aduerſus proximum ſuum. Qui malignum diabolum aliqua
ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis
ſui reſpuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius *Pſalm. 136.*
tenuit, & alliſit ad Chriſtum. Qui timentes Dominum, de bo-
na obſeruantia ſua, non ſe reddunt elatos: ſed ipſa in ſe bona
non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in
ſe Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non *Pſalm. 113.*
nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Sicut
nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputa-
uit dicens: Gratia Dei ſum id quod ſum. Et iterum ipſe dicit: *1. Cor. 15.*
Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vnde & Dominus in E- *2. Cor. 10.*
uangelio ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo *Matth. 7.*
eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſupra petram. Ve

nerunt flumina, flauerunt venti & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Hæc complens Dominus, expectat quotidiè, his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, di-
Rom. 2. cente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad pœnitentiam
Ezech. 33. te adducit? Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Cùm ergo interrogassemus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed et si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum. Ergo præparanda sunt corda nostra, & corpora sanctæ preceptorum obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam; dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat. Constituenda est ergo à nobis Dominici schola seruitij, in qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus. Sed & si quid paululum restrictiùs, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, & conseruationem charitatis processerit, non ilicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda.
Psalm. 118. Processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipsius nunquàm magisterio discedentes, in eius doctrina vsque
2. Tim. 2. ad mortem in monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemur, vt regni eius mereamur esse consortes.

AMEN.

INCI-

# REGVLA.



ONACHORVM quatuor genera esse, manifestum est. Primum Cœnobitarum, hoc est Monasteriale militans sub Regula vel Abbate. Deinde secundùm genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum. Horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed Monasterij probatione diuturnâ, didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium verò Monachorum teterrimum genus est Sarabaïtarum, qui nulla Regula approbati, experientia magistri sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli sine pastore, non dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cùm quicquid putauerint vel egerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus Monachorum est, quod vocatur Gyrouagum. Qui totam vitam suam, per diuersas prouincias, ternis, aut quaternis diebus, per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi & nunquam stabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaïtis. De quorum omnium horum miserrima conuersatione, meliùs est silere, quàm loqui. His ergo omissis, ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino veniamus. DE GENERIBVS MONACHORVM

II. Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen Maioris, factis implere. Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis QVALIS DEBEAT ESSE ABBAS. Rom. 8.

Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ideoq; Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet docere, aut constituere, vel iubere. Sed iussio eius, vel doctrina fermentum diuinæ iustitiç in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo Dei iudicio facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, vt si inquieto, vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita: Pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona, & sancta factis ampliùs, quàm verbis ostendere, vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero corde, & simplicioribus, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur; ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia dictante, Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat, sin alias, propria teneant loca. Quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino

æqualem

æqualem ſeruitutis militiam baiulamus. Quia non eſt apud eum perſonarum acceptio. Solummodò in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores alijs, in operibus bonis, & humiles inueniamur.

Ergo æqualis ſit omnibus ab eo caritas: vna præbeatur omnibus ſecundùm merita diſciplina. In doctrina namque ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, in qua dicit: Argue, obſecra, increpa, id eſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum, id eſt, indiſciplinatos, & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem, & mites, & patientes, vt in meliùs proficiant, obſecrare. Negligentes autem, & contemnentes, vt increpet, & corripiat, admonemus. Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox vt cœperint oriri, radicitùs ea (vt præualet) amputet; memor periculi Hely Sacerdotis de Sylo. Et honeſtiores quidem, atque intelligibiles animos prima, vel ſecunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros corde ac ſuperbos, vel inobedientes verberum, vel corporis caſtigatione, in ipſo initio peccati coërceat, ſciens ſcriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterum: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.

Meminiſſe debet ſemper Abbas quod eſt, meminiſſe quod dicitur, & ſcire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quàm difficilem & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus: & iocundum vniuſcuiuſque qualitatem, vel intelligentiam, ita ſe omnibus conformet, & aptet, vt non ſolum detrimenta gregis ſibi comiſſi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne diſſimulans, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non plus gerat ſolicitudinem de rebus tranſitorijs, & terrenis, atque caducis: ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas,

de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de mino-
Matth.6. ri fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum: Nihil deeſt timentibus eum. Sciatque, quia
Pſalm.33.
qui ſuſcepit animas regendas, præparet ſe ad rationem reddendam. Et quantum ſub cura ſua Fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem, ſine dubio; additâ & ſuæ animæ. Et ita timens ſemper futuram diſcuſſionem Paſtoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſolicitus. Et cum de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat, ipſe efficitur à vitijs emendatus.

DE ADHIBENDIS AD CONSILIVM FRATRIBVS.

III. Quotiens aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio; conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipſe vnde agitur. Et audiens conſilium Fratrum, tractet apud ſe, & quod vtilius iudicauerit, faciat.

Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus, quia ſæpe Iuniori Dominus reuelat, quod melius eſt. Sic autem dent Fratres conſilium cum omni humilitatis ſubiectione, vt non præſumant procaciter defendere quod eis viſum fuerit, ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio; vt quod ſalubrius eſſe iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed ſicut diſcipulis conuenit obedire Magiſtro: ita & ipſum prouidè, & iuſtè condecet cuncta diſponere. In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque temerè ab ea deuietur à quoquam. Nullus in Monaſterio, ſequatur proprij cordis voluntatem. Neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proteruè, intus vel foris Monaſterio contendere. Quòd ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione Regulæ omnia faciat; ſciens ſe proculdubiò de omnibus iudicijs ſuis ęquiſſimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus; Seniorum tantùm vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt: Omnia fac
Eccleſ. 32.
cum

cum consilio, & post factum non penitebis.

IV. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. *Deut.* 6.

QVÆ SVNT INSTRVMENTA BONORVM OPERVM.

Deinde proximum tanquam seipsum. *Matt.* 22.
Deinde, Non occidere. *Luc.* 18.
Non adulterari. *Matt.* 19.
Non facere furtum. *Leuit.* 19,
Non concupiscere. *Deut.* 5.
Non falsum testimonium dicere. *Marc.* 10.
Honorare omnes homines. 1. *Pet.* 2.
Et quod sibi fieri quis non vult, alij ne faciat. *Tob.* 4.
Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. *Luc.* 9.
Corpus castigare. 1. *Cor.* 9.
Delicias non amplecti. 1. *Tim.* 5. *&* 2. *Pet.* 2.
Ieiunium amare. *Ioel.* 1. *&* 2.
Pauperes recreare. *Eccles.* 4.
Nudum vestire. *Isa.* 58.
Infirmum visitare. *Eccles.* 7.
Mortuum sepelire. *Tob.* 1. *&* 2.
In tribulatione subuenire. *Eccles.* 6.
Dolentem consolari. 1. *Thess.* 5.
A seculi actibus se facere alienum. *Iacob.* 1.
Nihil amore Christi præponere. *Matt.* 10.
Iram non perficere. *Matt.* 5.
Iracundiæ tempus non reseruare. *Ephes.* 4.
Dolum in corde non tenere. *Psal.* 14.
Pacem falsam non dare. *Rom.* 12.
Caritatem non derelinquere. 1. *Pet.* 4.
Non iurare, ne fortè periuret. *Matt.* 5.
Veritatem ex corde & ore proferre. *Psalm.* 14.
Malum pro malo non reddere. 1. *Thessal.* 5.
Iniuriam non facere: sed & factam patienter sufferre. 1. *Cor.* 6.
Inimicos diligere. *Luc.* 6.

Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. 1. *Pet.* 3.

Persecutionem propter iustitiam sustinere. *Matth.* 5.

Non esse superbum. *Tob.* 4.

Non vinolentum. 1. *Tim.* 3.

Non multùm edacem. *Eccles.* 37.

Non somnolentum. *Prou.* 20.

Non pigrum. *Rom.* 12.

Non murmuriosum. 1. *Cor.* 10.

Non detractorem. *Sap.* 1.

Spem suam Deo committere. *Psal.* 72.

Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. 1. *Cor.* 4.

Malum verò à se semper factum sciat, & sibi reputet. *Ose.* 13.

Diem iudicij timere. *Luc.* 12.

Gehennam expauescere. *Matth.* 10.

Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. *Philip.* 1.

Mortem quotidiè ante oculos suspectam habere. *Matt.* 24.

Actus vitæ suæ omni hora custodire. *Deut.* 4.

In omni loco Deum se respicere pro certo scire. *Prou.* 5.

Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & Seniori spirituali patefacere. *Psal.* 136.

Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire. *Psal.* 33.

Multùm loqui non amare. *Eccl.* 32.

Verba vana, aut risui apta non loqui. 2. *Tim.* 2.

Risum multum, aut excussum non amare. *Eccles.* 21.

Lectiones sanctas libenter audire. *Luc.* 11.

Orationi frequenter incumbere. *Coloss.* 4.

Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare. *Psalm.* 6.

Desideria carnis non perficere. *Gal.* 5.

Voluntatem propriam odire. *Ecclesiastici* 18.

Præcep-

Præceptis Abbatis in omnibus obedire: etiamsi ipse (quod absit) aliter agat, memores illius Dominici præcepti:

Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. *Matt.* 23.

Non velle dici sanctum antequam sit: sed prius esse, vt veriùs dicatur. *Matt.* 6.

Præcepta Dei factis quotidiè adimplere. *Eccles.* 6.

Castitatem amare. 1. *Tim.* 5.

Nullum odire. *Leuit.* 19.

Zelum & inuidiam non habere. *Jacob.* 3.

Contentionem non amare. 2. *Tim.* 2.

Elationem & iactantiam fugere. *Psal.* 130.

Seniores venerari. *Leuit.* 19.

Iuniores diligere. 1. *Tim.* 5.

In Christi amore, pro inimicis orare. *Matt.* 5.

Cùm discordantibus ante solis occasum in pacem redire. *Ephes.* 4.

Et de Dei misericordia nunquam desperare. *Psal.* 51.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cùm fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata; illa merces à Domino nobis recompensabitur, quàm ipse promisit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus, his qui diligunt eum. Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt Monasterij & stabilitas in congregatione.

V. Primus humilitatis gradus est, Obedientia sine mora. Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Ab auditu oris obediuit mihi. Et item dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim **DE OBEDIENTIA.**

quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis ſequuntur. Et veluti vno momento prædicta Magiſtri iuſſio, & perfecta diſcipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo anguſtam viam arripiunt, vnde Dominus ait: Anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, vt non ſuo arbitrio viuentes vel deſiderijs ſuis, & voluptatibus odedientes; ſed ambulantes alieno iudicio & imperio, in cœnobijs degentes. Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur ſententiam, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Sed hæc ipſa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, & dulcis hominibus; ſi quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſponſione nolentis efficiatur: quia obedientia quæ Maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipſe enim dixit. Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à diſcipulis præberi oportet: quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolùm ore, verùm etiam in corde ſi murmurauerit; & ſi impleat iuſſionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor reſpicit murmurantis. Et pro tali facto nullam conſequitur gratiam: Imò pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.

De taciturnitate.

VI. Faciamus quod ait Propheta: Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam: obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hic oſtendit Propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari. Ergo quamuis de bonis, & ſanctis, ad ædificationem eloquijs, perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem rara loquendi concedatur licentia: quia ſcriptum eſt: In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi: Mors & vita in manibus linguæ. Nam loqui, & docere Magiſtrum

ſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit. Et ideo ſi qua requirenda ſunt; à Priore, cum omni humilitate, & ſubiectione reuerentiæ requirantur. Scurrillitates verò vel verba ocioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum os aperire non permittimus.

VII. Clamat nobis ſcriptura diuina Fratres dicens: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Cùm hæc ergo dicit, oſtendit nobis omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ. Quod ſe cauere Propheta indicat dicens: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Sed quid? Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retribues in animam meam. Vnde Fratres ſi ſummæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cæleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire; actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſummo Iacob apparuit, per quam ei deſcendentes Angeli, & aſcendentes monſtrabantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, & aſcenſus à nobis intelligitur; niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta, noſtra eſt vita eſt in ſeculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cœlum. Latera enim eiuſdem ſcalæ noſtrum dicimus eſſe corpus & animam, in quæ latera diuerſos gradus humilitatis, vel diſciplinæ euocatio diuina aſcendendos inſeruit. DE HVMILITATE.

Primus itaque gradus humilitatis eſt, ſi timorem Dei ſibi ante oculos ſemper ponens, obliuionem omnino fugiat. Et ſemper ſit memor omnium, quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper reuoluat. Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis & vitijs, id eſt, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pe-

dum, vel voluntatis propriæ, sed & desideria carnis amputare festinet. Æstimet se homo de cœlis à Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nuntiari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris, ita Deum semper præsentem ostendit dicens: Scrutans corda & renes Deus. Et item: Dominus nouit cogitationes hominum. Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas à longè: Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam vt solicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat semper vtilis Frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea. Volũtatem verò propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auertere. Et item, rogamus Deum in oratione, vt fiat voluntas eius in nobis. Docemur ergo meritò nostram non facere voluntatem, cùm cauemus illud, quod dicit sancta Scriptura: Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit: & cùm item cauemus illud, quod de negligentibus dictum est: Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis. In desiderijs verò carnis, ita nobis Deum credamus semper esse præsentem, cùm dicit Propheta Domino: Ante te est, omne desiderium meum. Cauendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde scriptura præcipit dicens: Post concupiscentias tuas non eas. Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cœlo semper respicit super filios hominum, vt videat si est intelligẽs, aut requirens Deum, & si ab Angelis deputatis nobis quotidiè die noctuque Domino factori nostro, opera nostra nuntiantur, cauendum est ergo omni hora Fratres (sicut dicit in Psalmo Propheta) ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & expectat nos conuerti in melius: dicat nobis in futuro: Hæc fecisti, & tacui.

Secundus

Secundus humilitatis gradus est, si quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui me misit. Item dicit Scriptura: Voluntas habet pœnam: & necessitas parit coronam.

Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus obediens Patri vsque ad mortem.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris, & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs tacita conscientia patientiam amplectatur & sustinens non lassescat, vel discedat dicente scriptura: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Item, confortetur cor tuum; & sustine Dominum. Et ostēdens fidelem pro Domino vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit etiam ex persona sufferentium: Propter te morte afficimur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis. Et securi de spe retributionis. Diuinæ, subsequuntur gaudentes, & dicentes: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco scriptura: Probasti nos (inquit) Deus: igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Et vt ostendat sub Priore nos debere esse, subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra. Sed & præceptum Domini in aduersis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam, præbent & aliam: auferenti tunicam, dimittunt & pallium, angariati miliario, vadunt & duo, cum Paulo Apostolo falsos Fratres sustinent, & persecutionem sustinent, & maledicentes se, benedicunt.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Hortans nos de hac re scriptura dicit: Reuela Domino viam tuam,

& ſpera in eum. Et itẽ dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino: & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

Sextus humilitatis gradus eſt, ſi omni vilitate, vel extremitate ſit contentus Monachus: & ad omnia quæ ſibi iniunguntur, velut operarium malum & indignum ſe iudicet, dicens cum Propheta: Ad nihilum redactus ſum, & neſciui: vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.

Septimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem, & viliorem non ſolum ſua lingua pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe, & dicens cum Propheta: Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Exaltatus ſum, & humiliatus, & confuſus. Et item, bonum mihi quod humiliaſti me: vt diſcam mandata tua.

Octauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.

Nonus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat Monachus: & taciturnitatem habens, vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante ſcriptura: quia in multiloquio non effugietur peccatum: & quia vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.

Decimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſit facilis, ac promptus in riſu, quia ſcriptum eſt: Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.

Vndecimus humilitatis gradus eſt, ſi cùm loquitur Monachus, leniter, & ſine riſu, humiliter cum grauitate, & pauca verba, & rationabilia loquatur; & non ſit clamoſus in voce, ſicut ſcriptum eſt: Sapiens verbis innoteſcit paucis.

Duodecimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſolùm corde Monachus, ſed etiam corpore humilitatem ſe videntibus ſemper

per

per indicet, id est in opere: in Monasterio: in Oratorio: in horto: in via, in agro, vel vbicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari æstimet, dicens semper illud, quod Publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine, non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum. Et iterum cum Propheta: Incuruatus sum, & humilitatis gradibus ascensis Monachus mox ad caritatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum: quæ Dominus iam in operario suo mundo à vitijs & peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

VIII. Hiemis tempore, id est, à Calendis Nouembris vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis octaua hora noctis surgendum est, vt modicè amplius de media nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quòd verò restat post vigilias, à Fratribus, qui psalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur. A Pascha autem vsque ad supradictas Calendas Nouembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo Fratres ad necessaria naturę exeant, custodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

QVANTI PSALMI DICENDI SVNT NOCTVRNIS HORIS.

IX. Hiemis tempore præmisso in primis versu, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina: in secundo ter dicendum: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphona, aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto versu: benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus

bus in scamnis, legantur vicissim à Fratribus in codice super analogium tres lectiones: inter quas tria responsoria canantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus surgant ob honorem, & reuerentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs tam veteris Testamenti, quàm noui diuinæ authoritatis: & expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis, & catholicis patribus factæ sunt. Post has verò tres lectiones cum responsorijs suis, sequantur reliqui sex psalmi cum Alleluya canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, & versus, & supplicatio litaniæ, id est, Kyrie eleyson, & sic finiantur vigiliæ nocturnæ.

QVALITER ÆSTATIS TEMPORE NOCTVRNA LAVS AGATVR.

x. A Pascha autem vsque ad Calendas Nouembris omnis (vt supra dictum est) Psalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quod lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus vna de Veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur, id est, vt nunquàm minùs à duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio, & nonagesimo quarto psalmo.

QVALITER DOMINICIS DIEBVS VIGILIÆ AGANTVR.

xi. Dominico die temperiùs surgatur ad vigilias, in quibus vigilijs teneatur mensura, id est modulatis (vt suprà disposuimus) sex psalmis, & versu, residentibus cunctis disposite, & per ordinem in subsellijs, legantur in codice (vt suprà diximus) quatuor lectiones cum responsorijs suis, vbi tantùm in responsorio quarto dicatur à cantante, Gloria. Quam cùm incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex psalmi cum antiphonis sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum responsorijs suis ordine, quo suprà. Post quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ Cantica cum Alleluya psallantur. Dicto etiam versu & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de

Nouo

Nouo Testamento ordine, quo suprà. Post quartum autem responsorium incipiat Abbas hymnum: Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeāt omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas hymnum: Te decet laus. Et data benedictione, incipiant matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æstatis, quam hyemis æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè (quod absit) tardiùs surgant, & aliquid de lectionibus breuiandum est, aut responsorijs, quod tamen omnino caueatur, ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

XII. In matutinis Dominico die, in primis dicatur psalmus 66. sine antiphona, indirectum. Post quem dicatur quinquagesimus, cum Alleluya. Post quem dicatur centesimus decimus septimus, & sexagesimus secundus. Inde benedictiones & laudes: lectio de Apocalypsi vna ex corde, responsorium Ambrosianum, versus, Canticum de Euangelio, litaniæ, & completum est. QVALITER MATVTINORVM SOLEMNITAS AGATVR.

XIII. Diebus autem priuatis matutinorum solemnitas ita agatur, id est, Sexagesimus sextus psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modicè sicut Dominica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alij duo psalmi dicantur secundùm consuetudinem, id est, Secunda feria, quintus & trigesimus quintus. Tertia feria, quadragesimus secundus & quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius & sexagesimus quartus. Quinta feria, octogesimus septimus & octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbatho autem centesimus quadragesimus secundus: & Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die suo ex Prophetis sicut psallit Ecclesia Romana. Post hæc sequantur laudes, deinde lectio vna Apostoli memoriter recitanda, Responsoriū, Ambrosianum: QVALITER PRIVATIS DIEBVS MATVTINI AGANTVR.

sianum: versus: canticum de Euangelio, litania, & complet. Planè agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur: Sed libera nos à malo.

QVALITER IN NATALITIIS SANCTORVM VIGILIÆ AGANTVR.

XIV. In sanctorum verò festiuitatibus, vel omnibus solennitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto, quòd psalmi, aut antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diē pertinentes, dicātur, modus autem supra scriptus teneatur.

QVIBVS TEMPORIBVS ALLELVYA DICATVR.

XV. A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur Alleluya, tam in psalmis, quàm in responsorijs. A Pencosten autem vsque ad caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantùm ad nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadragesimam cantica matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque, cùm Alleluya dicantur, vespera verò cum antiphona. Responsoria verò nunquam dicantur cum Alleluya, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten.

QVALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTVR.

XVI. Vt ait Propheta: septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur: si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ Completorijque tempore nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his horis dicit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super Iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera. Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

QVANTI PSALMI PER EASDEM

XVII. Iam de nocturnis, vel matutinis digessimus ordinem psalmodiæ, nunc de sequentibus horis videamus. Prima

ma hora dicantur tres psalmi sigillatim, & non sub vna Gloria, Hymnus eiusdem horæ post versum, Deus in adiutorium meum intende, antequam psalmi incipiantur. Post expletionem trium psalmorum recitetur lectio vna, versus, & Kyrie eleison & missæ sint. Tertia verò, Sexta, & Nona, item eodem ordine celebretur, oratio, versus, Hymni earundem horarum, terni psalmi, lectio, versus, Kyrie eleison, & missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis; si verò minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur: post quos psalmos lectio recitanda est, inde responsorium, Ambrosianum, versus, Canticum de Euangelio, litania, & oratio Dominica, & fiant missæ. Completorium autem trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt, post quos Hymnus eiusdem horæ, lectio vna, versus, Kyrie eleison, & benedictio, & missæ fiant. HORAS DICENDI SVNT

XVIII. In primis semper diurnis horis dicatur versus Deus in adiutorium meum intende, & Gloria. Inde Hymnus vniuscuiusque horæ. Deinde prima hora Dominica dicenda quatuor Capitula psalmi centesimi octaui decimi. Reliquis verò horis, id est, Tertia, Sexta, Nona, terna Capitula supradicti psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Ad Primam autem secundæ feriæ, dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, & sextus; & ita per singulos dies ad primam, vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni psalmi vsque ad nonum decimum psalmum, ita sanè, vt nonus psalmus, & septimus decimus diuidantur in binas Glorias; & sic fiat, vt ad vigilias Dominica semper à vigesimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, & Nonam secundæ feriæ nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo octauo decimo psalmo, ipsa terna per easdē horas dicantur. Expenso igitur psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, id est, Dominica, & 2. feria, tertia feria, iam ad Tertiā, Sextā, vel Nonā psallantur terni psalmi à centesimo nono decimo vsque ad centesimū vigesimū septimū, psalmi no- QVO ORDINE PSALMI DICENDI SVNT.

mi nouem. Quique psalmi semper vsque ad Dominicā per easdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus lectionum vel versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata, & ita scilicet, vt semper Dominica à centesimo octauo decimo incipiatur. Vespera autem quotidiè quatuor psalmorū modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur à centesimo nono, vsque centesimum quadragesimum septimum, exceptis his qui in diuersis horis ex eis sequestrantur, id est à centesimo decimo septimo, vsque ad centesimum vigesimum septimum & centesimo trigesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minùs veniunt tres psalmi, ideo diuidendi sunt, qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, id est, centesimus trigesimus octauus, & centesimus quadragesimus tertius. & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quintodecimo coniungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorū, reliqua, id est lectiones, respōsoria, hymni versus, vel cātica, sicut suprà taxauimus, impleantur. Ad Completoriium verò quotidiè ijdem psalmi repetantur, id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi: & duodecim per vnamquamque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet si meliùs aliter iudicauerit: dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada psalterium ex integro numero centū quinquaginta psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt monachi, qui minùs psalterio cum canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt, dum legamus, sanctos Patres nostros vno die strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinam septimana integra persoluamus.

XIX. Vbi-

XIX. Vbique credimus diuinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos, & malos. Maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta: Seruite Domino in timore. Et iterum: Psallite sapienter. Et in conspectu Angelorum psallam tibi. Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu diuinitatis & Angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ. DE DISCIPLINA PSALLENDI

XX. Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reuerentia: quantò magis Domino Deo vniuersorum cùm omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum non exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse, & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto signo à priore, omnes pariter surgant. DE REVERENTIA ORATIONIS.

XXI. Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij, & sanctæ conuersationis, & constituantur decani, qui sollicitudinem gerant, super decanias suas in omnia secundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. Qui decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiat onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis aliquà fortè inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis; correptus semel, & iterum, atque tertiò, si emendare noluerit, deijciatur: & alter in loco eius, qui dignus est, succedat. Et de Præposito eadem constituimus. DE DECANIS MONASTERII.

XXII. Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conuersationis secundùm dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vnum locum dormiant. Si autem multitudo non sinit; deni, aut viceni cum Senioribus, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela iugiter QVOMODÒ DORMIANT MONACHI.

in eadem cella ardeat vſque mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus: & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, ne fortè per ſomnum vulnerentur dormientes. Et vt parati ſint Monachi ſemper, & facto ſigno, abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate, & modeſtia. Adoleſcentiores Fratres iuxta ſe non habeant lecta; ſed permixti cum ſenioribus. Surgentes verò, ad opus Dei inuicem ſe moderatè cohortentur, propter ſomnolentorum excuſationes.

DE EXCOMMVNICATIONE CVLPARVM

XXIII. Si quis Frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit; hic ſecundùm Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel, & ſecundò ſecreto à Senioribus ſuis: ſi non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus: ſi vero neque ſic correxerit; ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat. Sin autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.

QVALIS DEBET ESSE MODVS EXCOMMVNICATIONIS.

XXIV. Secundùm modum culpæ, & excommunicationis, vel diſciplinæ debet extendi menſura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen Frater in leuioribus culpis inuenitur; à menſæ participatione priuetur. Priuati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio, vt in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt Fratrum refectionem ſolus accipiat. Vt ſi (verbi gratia) Fratres reficiunt ſexta hora, ille Frater nona: ſi Fratres nona, ille veſpera, vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.

DE GRAVIORIBVS CVLPIS.

XXV. Is autem Frater qui grauioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à menſa ſimul & ab oratorio: nullus ei Fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: Traditum huiuſmodi

iusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura, vel hora, qua præuiderit ei Abbas competere: nec à quoquam benedicatur transeunte, neque cibus qui ei datur.

XXVI. Si quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam. DE HIS, QVI SINE IVSSIONE ABBATIS IVNGVNT SE EXCOMMVNICATIS.

XXVII. Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres, quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Et ideo vti debet omni modo vt sapiens medicus: immittere quasi occultos consolatores senipetas, id est, Seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem. Et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur. Sed sicut ait Apostolus: confirmetur in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate, & industria curas, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, perquem dicit Deus: Quod crassum videbatis, assumebatis: & quod debile erat, proijciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum: qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem, quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem. QVALITER SOLICITVS SIT ABBAS CIRCA EXCOMMVNICATOS.

XXVIII. Si quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ita correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus. Si exhibuit fométa, si vnguenta DE HIS, QVI SAEPIVS CORREPTI, NON EMENDAVERINT.

ta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & iam si viderit nihil suam præualere industriam; adhibeat etiam, quod maius est, suam, & omnium Fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

SI DEBEANT FRATRES ITERVM RECIPI DE MONASTERIO EXEVNTES.

XXIX. Frater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monasterio, si reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij pro quo egressus est, & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quod si denuò exierit, vsque tertio ita recipiatur. Iam verò postea sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.

DE PVERIS MINORI ÆTATI QVALITER CORRIPIANTVR.

XXX. Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quotiens pueri, vel adolescentiores ætate aut qui minùs intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis; hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acris verberibus coërceantur vt sanentur.

DE CELLERARIO MONASTERII, QVALIS SIT.

XXXI. Cellerarius Monasterij eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobriùs, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus: sine iussione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur custodiat: Fratres non contristet. Si quis autem Frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat: memor semper illius Apostolici præcepti: quia qui bene ministrauerit, gradum bonum, sibi acquirit. Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem

nem redditurus est. Omnia vasa Monasterij, cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat: nihil ducat negligendum: neque auaritiæ studeat: neque prodigus sit, aut stirpator substantiæ Monasterij: sed omnia mensuratè faciat, & secundùm iussionem Abbatis. Humilitatem ante omnia habeat, & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus: vt scriptum est, Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipsa habeat sub cura sua: à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo, vel mora offerat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij quid mereatur, qui scãdalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dẽtur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt; vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

XXXII. Substantia Monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus, prouideat Abbas Fratres, de quorum vita, & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat, vt dum sibi in ipsa assignata Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè, aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ subiaceat. DE FERRAMENTIS VEL REBVS MONASTERII.

XXXIII. Præcipuè hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre Monasterij sperare; nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est; nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quòd si quisquam huic nequissimo SI DEBEANT MONACHI PROPRIVM ALIQVID HABERE.

vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum. Si non emendauerit, correptioni subiaceat.

SI OMNES ÆQVALITER DEBEANT NECESSARIA ACCIPERE.

XXXIV. Sicut scriptum est: Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

DE SEPTIMANARIIS COQVINAE.

XXXV. Fratres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis, quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundùm modum congregationis, aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, cellerarius excusetur à coquina, vel si qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub caritate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat. Lintea, cùm quibus sibi Fratres manus aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda, & sana cellerario reconsignet. Qui cellerarius item intranti consignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem; vt hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant Fratribus suis. In diebus tamen solennibus, vsque ad missas sustineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana, dicant hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuasti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem

ctionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus: & accepta benedictione, ingrediatur.

XXXVI. Infirmorum cura ante omnia, & super omnia adhibenda est; vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me. Et, quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent Fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens, ac sollicitus. Balnearum vsus infirmis quotiens expedit, offeratur: sanis autem, & maximè iuuenibus tardiùs concedatur. Sed & carnium esus infirmis omnino debilibusque pro reparatione, concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Cura autem maxima sit Abbati, ne à cellerarijs, aut seruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur. DE INFIRMIS FRATRIBVS.

XXXVII. Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet, & infantum; tamen & regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas. DE SENIBVS VEL INFANTIBVS.

XXXVIII. Mensis Fratrum edentium lectio deesse non debet; nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit DE HEBDOMADARIO LECTORE.

laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent Fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunque signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam referre, ne detur occasio: nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priùs quàm incipiat legere, propter communionem sanctam: & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadarijs, & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, sed qui ædificent audientes.

DE MENSVRA CIBORVM.

XXXIX. Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ, quàm nonæ omnibus mensibus cocta duo pulmentaria, pro diuersorum infirmitatibus, vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta Fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quod si cænaturi sunt, de eadem libra tertia pars à cellerario reseruetur, reddenda cœnaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio, & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt nunquam Monacho subripiat indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas: sed minor quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate. Carnium quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio: præter omnino debiles, & ægrotos.

DE MENSVRA POTVS.

XL. Vnusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura

mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quòd si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis ampliùs poposcerit, in arbitrio prioris consistat: considerans in omnibus ne subrepat satietas, vel ebrietas. Licèt legamus vinum omnino Monachorum non esse; sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multò minùs, aut ex toto nihil; Benedicant Deum qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, vt absque murmuratione sint Fratres.

XLI. A sancto Pascha vsque ad Pentecosten ad sextam reficiant Fratres: & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria ieiunent vsque ad nonam; reliquis diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit continuanda erit: & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet, atque disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciunt Fratres, absque vlla murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembribus, vsque ad caput quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. In quadragesima verò vsque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes: sed luce adhuc diei omnia consumentur. Sed & omni tempore siue cœnæ, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia. QVIBVS HORIS OPORTEAT REFICERE FRATRES.

XLII. Omni tempore silentio debent studere Monachi: maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt VT POST COMPLETORIVM NEMO LOQVATVR.

surrexerint à cœna, sedeant omnes in vno loco: & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud, quod ædificet audientes, non autem Eptaticum aut regum. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit: dicta vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus: & lectis quatuor aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis: si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum congregati compleant. Et exeuntes à completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat: excepto si necessitas hospitum superuenerit: aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat.

DE HIS, QVI AD OPVS DEI, VEL AD MENSAM TARDE OCCVRRERINT

XLIII. Ad horam diuini officij, mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur; cùm grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quòd si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet: aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas: vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut seorsum iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris oratorium remaneant, erit fortè talis, qui se, aut recollocet, & dormiat, aut certè sedeat foris, vel fabulis vacet, ne detur occasio maligno. Sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis qui ad opus Dei post versum & Gloriam

riam primi psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit, lege, qua superius diximus, in vltimo stet loco: nec præsumat sociari choro psallentium vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc. Ad horam verò refectionis, qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum, & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam: qui per negligentiã suam, aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem propter id corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem. sed sequestratus à consortio omnium, reficiat solus, ablatâ ei portione sua vini vsque ad satisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Et ne quis præsumat ante statutam horam aut postea quicquam cibi, aut potus sumere. Sed & si cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit: hora qua desiderauerit, hoc quod prius recusauit, aut aliud omnino, non accipiat, vsque ad emendationem congruam.

XLIV. Qui pro grauioribus culpis ab oratorio, & à mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens: nisi tantùm posito in terra capite stratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluat se ante pedes ipsius Abbatis, deinde omnium vestigijs, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel ordine quo Abbas decreuerit: ita planè vt psalmum, aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei proijciat se in terra in loco, quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantum à mensa, in oratorio satisfaciant vsq; ad iussionẽ Abbatis. Et hoc semper faciant, vsq; dum benedicat, & dicat sufficit.

DE HIS QVI EXCOMMVNICANTVR QVOMODO SATISFACIANT.

XLV. Si i

DE HIS, QVI FALLVNTVR IN ORATORIO.

XLV. Si quis dum pronuntiat psalmum, aut responsorium, aut antiphonam, vel lectionem fallitur: nisi per satisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat; quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

DE HIS, QVI IN ALIQVIBVS REBVS LEVIBVS DELINQVVNT.

XLVI. Si quis dum in labore quouis, in coquina, in cellerario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel quid excesserit vbiubi: & non veniens continuò ante Abbatem, vel congregationem ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus Senioribus patefaciat: qui sciant curare sua vulnera & aliena, non detegere, aut publicare.

DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI.

XLVII. Nuncianda hora operis Dei die noctuque sit cura Abbati, aut ipse nunciare, aut tali sollicito Fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur: psalmos autem vel antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit imponant. Cantare autem, & legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere: vt ædificentur audiētes. Quod cum humilitate, & grauitate, ac tremore faciat, & cui iusserit Abbas.

DE OPERE MANVVM QVOTIDIANO.

XLVIII. Ociositas inimica est animæ, Et ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac dispositione credimus vtraque tempora ordinari: id est, vt à Pascha vsque ad Calend. Octobris manè exeuntes à prima vsque ad horam penè quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam lectioni vacent: post sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio: aut fortè qui voluerit legere, sibi sic legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs mediante octaua hora: & iterum quod faciendum est operentur vsque ad vesperum.

vesperum. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt: sicut & Patres nostri, & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes. A Calend. autem Octobris vsque ad caput quadragesimæ vsque ad horam secundam plenam lectioni vacent: hora secunda agatur tertia: & vsque ad horam nonam omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ, disiungant se ab opere suo singuli: & sint parati, dum secundùm signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut psalmis. In quadragesimæ verò diebus à mane vsque ad tertiam plenam lectioni vacent: & vsque ad decimam plenam operentur, quod eis iniungitur. In quibus diebus quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, qui codices in caput quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputetur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant Fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur Frater accidiosus, qui vacet ocio, aut fabulis, & non est intentus lectioni: & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat; & taliter, vt cæteri metum habeant. Neque Frater ad Fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes: exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis verò ita negligens, & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis talis opera, aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

XLIX. Licet omni tempore vita Monachi quadragesimæ obser- DE QVADRAGESIMÆ OBSERVATIONE.

obseruationem debet habere: tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, id est omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ: orationes peculiares, ciborum & potus abstinentiam: & vnusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio sancti Spirirus offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio sanctum Pascha exspectet. Hoc ipsum tamen, quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate. Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda sunt.

DE FRATRIBVS, QVI LONGE AB ORATORIO LABORANT, AVT IN VIA SVNT.

L. Fratres, qui omnino longè sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ: sed vt possunt agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.

DE FRATRIBVS, QVI NON SATIS LONGE PROFICISCVNTVR.

LI. Fratres, qui pro quouis responso proficiscuntur, & ea die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omninò à quouis rogentur: nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint; excommunicentur.

DE ORATORIO MONASTERII.

LII. Oratorium hoc sit quod dicitur: nec ibi quicquam aliud agatur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant: & agatur reuerentia Deo: vt Frater, qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius impro-

improbitate. Sed & si alter vult sibi fortè secretius orare; simpliciter intret, & oret, non in clamosa voce, sed in lachrymis, & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur explicito opere Dei remorari in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

LIII. Omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur; quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè tamen domesticis fidei, & peregrinis. Vt ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei à priore, vel à fratribus cum omni officio caritatis: & primitùs orent pariter, & sic sibi socientur in pace: quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas, In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, siue discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem: & postea sedeat cum eis prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina vt ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium à priore frangatur propter hospitem: nisi forte præcipuus sit dies ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem ieiuniorum prosequātur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes vero hospitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio lauet, quibus lotis, hunc versum dicant. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Pauperum & peregrinorum maximè susceptio omni cura sollicitè exhibeatur: quia in ipsis Christus magis suscipitur. Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hospitum per se sit, vt incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent Fratres: in quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus vt indigent, solatia administrentur eis, vt absque murmuratione seruiant. Et iterum, quando occupationem mino-

DE HOSPITIBVS SVSCIPIENDIS

rem habent, exeant vbi eis imperatur in opera. Et non solùm in ipsis, sed & in omnibus officijs Monasterij ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia administrentur eis: & iterum quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam Frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur. Sed si obuiauerit, aut viderit: salutatis humiliter, vt dictum est, & petita benedictione, pertranseat: dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

VT NON DEBEAT MONACHVS LITERAS, VEL EVLOGIAS ACCIPERE.

LIV. Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, aut eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quòd si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quòd si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud dare iubeat: & non contristetur Frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.

DE INDVMENTIS FRATRVM.

LV. Vestimenta Fratribus secundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aërum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hæc ergo consideratio penes Abbatem est. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam & tunicam, cucullam in hyeme villosam: in æstate puram, aut vetustam, & scapulare propter opera: Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia, qua habitant, aut quod viliùs comparari potest. Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus ea, sed mensurata. Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti, deponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, &

duas

duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipsas res iam quod supra fuerit, superfluum est, amputari debet. Et pedules, & quodcunque est vetustum, reddant cum accipiunt nouum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes, lota ibi restituant. Et cucullæ, & tunicæ sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modice meliores: quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, & reuertentes restituant. Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena, & capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne inueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dētur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mapula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper cōsideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis prout cuiq; opus erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis Dei retributionem cogitet.

LVI. Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult de Fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores tamen vnum aut duos semper cum Fratribus dimittendum procuret propter disciplinam. DE MENSA ABBATIS.

LVII. Artifices si sunt in Monasterio, cum omni humilitate, faciant ipsas artes: si tamen iusserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quòd videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuò per eam non transeat: nisi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ, & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in cor- DE ARTIFICIBVS MONASTERII.

pore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretijs non subrepat auaritiæ malum; sed semper aliquantulum viliùs detur, quàm ab alijs secularibus, vt in omnibus glorificetur Deus.

DE DISCIPLINA SVSCIPIENDORVM FRATRVM.

LVIII. Nouiter veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus. Sed sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias,& difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ; annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit, si verè Deum quærit: si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura, & aspera, per quæ itur ad Deum: & si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, sub qua militare vis: si potes obseruare,ingredere; si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei Regula, vt sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem Regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio,nec collum excutere de sub iugo Regulæ,quam sub tam morosa deliberatione licuit excusare.

Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo & sanctis eius; vt si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione

sua

ſua faciat petitionem ad nomen ſanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quàm petitionem manu ſua ſcribat: aut certè ſi non ſcit literas, alter ab eo rogatus ſcribat: & ille nouitius ſignum faciat: & manu ſua eam ſuper altare ponat. Quàm cum poſuerit, incipiat ipſe nouitius mox hunc verſum: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & ne confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis congregatio tertiò reſpondeat, adiungentes Gloria Patri. Tunc ipſe Frater nouitius proſternatur ſingulorum pedibus vt orent pro eo: & iam ex illa die in congregatione reputetur. Res ſi quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta ſolemniter donatione conferat Monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus: quippe qui ex illa die, nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exuitur reponantur in veſtiario conſeruanda: vt ſi aliquando, ſuadente diabolo, conſenſerit vt egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus monaſterij, proijciatur. Illam tamen petitionem, quam deſuper altare Abbas tulit, non recipiat; ſed in Monaſterio reſeruetur.

DE FILIIS NOBILIVM VEL PAVPERVM QVOMODO SVSCIPIANTVR

LIX. Si quis forte de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio: ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes eius faciant petitionem, quam ſuprà diximus, & cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri inuoluant palla altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis aut in præſenti petitione promittant ſub iureiurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſione habendi. Vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua; faciant ex rebus, quas dare volunt Monaſterio, donationem, reſeruato ſibi, ſi ita voluerint, vſufructuario. Atque ita omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores

res faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

DE SACERDOTIBVS, QVI VOLVERINT IN MONASTERIO HABITARE.

LX. Si quis de ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, non ei citiùs quidem aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſeruaturũ, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſicut ſcriptum eſt: Amice ad quid veniſti? Concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare, & benedicere, aut Miſſas tenere; ſi tamen iuſſerit ei Abbas. Sin alias, nullatenus aliqua præſumat, ſciens ſe diſciplinæ regulari ſubditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si fortè ordinationis, aut alicuius rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locum attendat, quando ingreſſus eſt in Monaſterium, non illum, qui ei pro reuerentia Sacerdotij conceſſus eſt. Clericorum autem ſi quis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur; ſi promittit tamen ipſe de obſeruatione Regulæ, vel propria ſtabilitate.

DE MONACHIS PEREGRINIS QVOMODO SVSCIPIATVR.

LXI. Si quis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs ſuperuenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè ſuperfluitate ſua perturbat Monaſterium; ſed ſimpliciter contentus eſt, quod inuenerit; ſuſcipiatur quanto tempore cupit. Si qua ſanè rationabiliter, & cum humilitate caritatis reprehendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè ad hoc ipſum Dominus eum direxerit. Si verò poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas; & maximè, quia tempore hoſpitalitatis potuit eius vita dignoſci. Quòd ſi ſuperfluus, aut vitioſus repertus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolùm non debet ſociari corpori Monaſterij; verùm etiam dicatur ei honeſtè vt diſcedat, ne eius miſeria etiam alij vitientur. Quòd ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci, non ſolùm ſi petierit, ſuſcipiatur congregationi ſociandus; verùm etiam ſuadeatur, vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur, &

quia

quia in omni loco vni Domino seruitur, vni regi militatur. Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de supra scriptis gradibus Sacerdotum, vel clericorum, stabilire potest Abbas in maiori, quam ingreditur loco; si eorum talem perspexerit esse vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs; quia scriptum est: Quòd tibi non vis fieri, alij ne feceris.

DE SACERDOTIBVS MONASTERII.

LXII. Si quis Abbas sibi Presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam, nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione Sacerdotij obliuiscatur Regulæ obedientiam & disciplinam; sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est monasterium, præter officium altaris, & si fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis, pro vitæ merito eum promouere voluerit; qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam sciat se seruare. Quòd si aliter præsumpserit, non Sacerdos, sed rebellio iudicetur. Et sæpe admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis proijciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire Regulæ nolit.

DE ORDINIBVS CONGREGATIONIS.

LXIII. Ordines suos in Monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs, & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundùm or-

dines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel, & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (vt diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes vt conuertuntur ita sint. Vt (verbi gratia) qui secunda diei hora venerit in Monasterio iuniorem se nouerit illius esse qui prima hora diei venit, cuiuslibet ætatis, aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Iuniores igitur priores suos honorent, priores iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine; sed priores iuniores suos Fratres nominent, iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Christi agere creditur, dominus, & Abbas vocetur; non sua assumptione, sed honore, & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicumque autem sibi obuiant Fratres, iunior à priore benedictionem petat: transeunte maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat iunior consedere, nisi ei præcipiat senior suus; vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes. Pueri vel adolescentes in oratorio, vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur; foris autem vel vbiubi custodiam habeant, & disciplinam, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

De ordinando Abbate.

LXIV. In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis cohors Congregationis secundùm timorem Dei, siue etiam pars, quamuis parua congregationis saniori consilio elegerit: vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis. Quòd si etiam

iam omnis congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit: & vitia ipsa aliquatenus in notitiam peruenerint Episcopi (ad cuius diœcesim pertinet locus ipse) vel Abbatibus aut Christianis vicinis clarueriint, prohibeant prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè, & zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum si negligant. Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ: sciatque sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo, eum esse doctum lege diuina, vt sciat & sit vnde proferat noua & vetera, castum, sobrium misericordem, humilem, & semper superexaltantem misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque, calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia: sed prudenter, & cum caritate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iam diximus, & studeat plus amari, quàm timeri. Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius, & obstinatus, non sit zelotypus, & nimis suspiciosus: quia nunquam requiescit. In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus: siue secundum Deum, siue secundùm seculum sint. Opera, quæ iniungit, discernat, & temperet, cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo, aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt & fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè vt præsentem Regulam in omnibus conseruet: vt dum bene ministrauerit, audiat à Domino, quod Seruus bonus, qui erogauit triticum

conseruis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.

De Præposito Monasterii.

LXV. Sæpius quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi, scandala grauia in Monasterijs oriantur: dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, existimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quòd quàm sit absurdum, facilè aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi: dum ei suggeritur à cogitationibus suis exutum eum esse à potestate Abbatis sui: quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes: vt dum contraria sibi Abbas, Præpositusque sentiunt; & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: & hi qui sub ipsis sunt, dùm adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illis respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui: & si potest fieri, per decanos ordinetur, vt ante disposuimus, omnis vtilitas Monasterij prout Abbas disposuerit: vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire; quemcumque elegerit cum consilio Fratrum timentium Deum ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, & ordinationem faciens: quia quantùm Prælatus est cæteris, tantùm eum oportet sollicitè obseruare præcepta Regulæ. Qui Præpositus si repertus fuerit

rit

rit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater: si non emendauerit; adhibeatur ei correctio disciplinæ Regularis. Quòd si neque sic correxerit; tunc deijciatur de ordine præpositura: & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd & si postea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem: ne fortè inuidiæ, aut zeli flamma vrat animam.

LXVI. Ad portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam: vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat; & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum feruore caritatis. Qui portarius si indiget solatio, iuniorem Fratrem accipiat. Monasterium autem, si possit fieri, ita debet construi: vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur: vt non sit necessitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpiùs volumus in congregatione legi, ne quis Fratrum se de ignorantia excuset. DE OSTIARIIS MONASTERII.

LXVII. Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatis orationi se commendent, & semper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via Fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas horas dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus; ne quid fortè subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam DE FRATRIBUS IN VIA DIRECTIS.

alio referre, quæcumque foris Monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocumque ire, vel quippiam, quamuis parum, sine Abbatis iussione facere.

SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIVNGVNTVR.

LXVIII. Si cui Fratri aliqua fortè grauia, aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine, & obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter, & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quòd si post suggestionem suam, in sua sententia prioris imperium perdurauerit, sciat Iunior ita sibi expedire: & ex caritate confidens de adiutorio Dei obediat.

VT IN MONASTERIO NON PRÆSVMAT ALTER ALTERVM DEFENDERE.

LXIX. Præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alius alium defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coërceatur.

VT NON PRÆSVMAT QVISQVAM ALIVM CÆDERE.

LXX. Vetetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintumdecimum annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus: sed & hoc cum omni mensura, & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit; disciplinæ Regulari subiaceat: quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.

LXXI. Obe-

VT OBEDIENTES SIBI SINT FRATRES INVICEM.

LXXI. Obedientiæ bonum non solùm Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem ita obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam, se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi; de cætero omnes iuniores prioribus suis omni caritate, & sollicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur; corripiatur. Si quis autem Frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque priore suo corripitur quolibet modo; vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè; mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

DE ZELO BONO QVEM DEBENT MONACHI HABERE.

LXXII. Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum: ita est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant Monachi, id est, vt honore se inuicem præueniant. Infirmitates suas siue corporum, siue morum patientissimè tolerent: obedientiam sibi certatim impendant. Nullus quod sibi vtile iudicat, sequatur; sed quod magis alij. Caritatem Fraternitatis casto impendant amore; Deum timeant; Abbatem suum sincera, & humili caritate diligant; Christo omnino nihil præponant: qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

DE EO, QVÒD NON OMNIS OBSERVATIO IVSTITIAE IN HAC SIT REGVLA CONSTITVTA.

LXXIII. Regulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterùm ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctrinę sanctorum Patrum: quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac Noui Testamenti non est

rectissima

rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum patrum hoc non resonat; vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? Necnon & collationes patrum, & instituta, & vita eorum, & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ suprà commemorauimus, doctrinæ, virtutúmque culmina Deo protegente peruenies.





## CAPVT XXX.

*Præmissâ Sanctissimi Patriarchæ* BENEDICTI REGVLA, *ad lucem eius nonnulla de mensuris cibi potusque, ex alienis lucubrationibus subiungimus; Item Paximatia, quinam qualesue panes antiquis fuerint.*



Vplex est libra, Romana duodecim vnciarum, & mercatoria sedecim vnciarum: sed his multo maior est Benedictina. Nam sanctus BENEDICTVS cap. * XXXIX. suæ Regulæ præscribens mensuram ciborum, ait: *Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio: siue prandij & cœnæ.*

*Ad verbum Iacobus du Breul Monachus S. Germani à Pratis, in Supplemento Antiquitatū vrbis Parisiaca pagina mihi 91.*

**Capita Regula aliter atque aliter distinguntur.*

Quem locum Casinenses in suo declaratorio interpretati, dixerunt. *Cum pondus libræ (vt habuimus à Monasterio Casinensi) sit vnciarum triginta trium & semis: vt vix tantum panis vnus frater die vna manducare possit: volumus consuetudinem nostram seruari, vt scilicet apponatur panis quantum satis est.* Huic interpretationi congruit libra plumbea, quam habebant Fossatenses quondam Monachi, nunc verò canonici in suo *tablino*, quamque semel concessam ponderaui. Est enim totidem vnciarum. Hanc multa Galliæ Monasteria sub ipso Patre BENEDICTO militantia antiquitus retinuisse constat. Quinetiam anno Domini M. D. LXXI. adhuc panis conuentualis Cœnobij S. Medardi Suessionensis, erat triginta duarum vnciarum: vt scilicet sescuncia cum furfure penes pistorem, pro decoctione & labore eius remaneret. Habent quoque quatuor iuuenes Semipræbendarios, vt vocant: qui ex vrbe aduenientes, tenentur Dominicis diebus adesse processioni: & pro tali obsequio egressi accipiunt singuli à pistore Cœnobij singulos panes tri-

ginta duarum vnciarum. Ab his simile pondus panis Celestini vicini mutuati sunt: ne scilicet à Regula S. BENEDICTI (in quam pariter voto solenni iurarunt) vel in hoc deuiarent.

*Hodie est Episcopatus.* Turpinus Archiepiscopus Rhemensis in suo Chronico, loquens de Monachis Monasterij Crassæ siue Crassensis, de nouo constructi, ait Carolo Magno. *Ponatis eis pondus in pane, ne possit diminui: vt æqualis portio omnibus tribuatur.* Et multis intermedijs folijs subiungitur. *Et dedit pondus panis, vt nunquam augmenteturnec minuatur, de lapide quodam, qui fuit inuentus in capite cuiusdam piscis, qui Cetus ab omnibus nuncupatur.* Hoc in nostro Turpino M. S. habetur, non in alijs impressis & adulteratis.

Cassianus lib. 2. Collationum, cap. 19. de optimo cibi quotidiani modo, libram non nisi duodecim vnciarum facit: quando scribit Monachis Ægypti duo paxamacia panis, per singulos dies singulis data fuisse, quæ vix libram æquarent. *Discutientes* (inquit) *continentias diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant: præposuere cunctis illis refectionem sicci panis: cuius æquissimum modum in duobus paxamacijs statuerunt: quos paruulos panes vix vnius libræ pondus habere certissimum est.* Et cap. 26. *Hora nona duo paxamacia nobis canonica mensura iure debentur.*

In vitis Patrum parte 3. cap. 46. exemplum est memorabile, de Serapione Abbate, qui cum adhuc puerulus esset sub *al. Paximacium.* regimine Theonis Abbatis, solebat de eius mēsa paxamacium, id est panem sex vnciarum furari, atque illud ignorante ipso Theone sero comedere. Sed tandem corde contritus & ore confessus, veniam meruit, proiecto in conspectu omnium simili paxamacio, quod tunc suadente diabolo in sinu absconditum habebat. Et ecce statim velut lampas ignis accensa de eius sinu procedens tanto fœtore cellam repleuit: vt vix in ea resideri posset. Et sic virtute confessionis dominatio diabolica in eo est extincta.

Palla-

Palladius sectione seu cap. 25. historiæ Lausiacæ, in vita Abbatis Pauli Simplicis, appellat Paxamidia, quæ Cassianus Paxamacia. *Fert* (inquit) *panes Antonius, & imponit mensæ quatuor paxamidia sex vnciarum: & sibi quidem vnum madefecit, erant enim sicci.* Suidas panem bis coctum significare tradit.

Cassianus li. 5. cap. 5. ostendens non posse omnibus vniformem ieiuniorum regulam præscribi, nec ab eis æqualiter obseruari, quoniam robur idem cunctis corporibus nõ inest: monet singulorum attendendam qualitatem, ætatem, sexum. *Non vniuersis* (inquit) *sicci panis refectio castigata conceditur. Alius quantitate librarum duarum saturitatem non sentit. Alius libræ vnius siue vnciarum sex edulio prægrauatur. Attamen vnus in omnibus his continentiæ finis est: ne quis iuxta mensuram capacitatis suæ, saturitatis oneretur ingluuie.* Idipsum est, quod ait D. BENEDICTVS. *In arbitrio & potestate Abbatis erit (si expediat) aliquid augere, remota præ omnibus crapula: vt nunquam subrepat Monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula:* sicut ait Dominus noster. *Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Cap. 39. Luc. 21

Ex Epistola Theodemari Abbatis duodecimi Casinensis, ad Carolum Magnum Imp. quæ nunc cum Aimoino & Chronico Casinensi impressa est. *Dixerimus pondus quatuor librarum, ad cuius æqualitatem ponderis panis debeat fieri: qui in quaternos quadros singularum librarum (iuxta sacræ Regulæ textum) possit diuidi: quando pondus, sicut ab ipso Patre est institutum, in hoc est loco repertum.* Pain cornu ou quarré.

Baronius tom. I. Annalium, sub anno Christi LVIII. pag. 546. Apud Romanos constat fuisse vsu receptum, vt panem quemlibet, placentamúe, quadrifida decussatum incisione ad diuidendum postea in partes quatuor coquerent: Cuius singulæ partes quadræ nominarentur, nõ quod quadratam figuram referrent, sed quod quarta pars panis esset. Et infrà. Panes in Christianorum monumentis eo modo efformatos inspicere licet: quod typus Crucis illis fuit; quam omnibus decoquendis

panibus imprimere solebant. Idque ex B. Greg. li. 1. dial. c. 11. patet, de Martyrio Monacho prouinciæ Valeriæ. Dum enim quadam die Fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent crucis signum imprimere, sicut in hac prouincia crudi panes signo signari solent: vt per quadras quatuor partiti videantur, idem Dei famulus adfuit, eisque referentibus signatum vnum non fuisse cognouit. Cumque iam panis ille prunis esset & cineribus coopertus, dixit. Quare hunc minimè signastis? Qui hoc dicens, signum Crucis digito contra prunas fecit. Quo signante, protinus immensum crepitum panis dedit: ac si ingens in ignibus olla crepuisset. Qui cùm coctus postmodum fuisset: ab igne subtractus, ea Cruce signatus inuentus est, quem non contactus, sed fides fecit.

QVADRÆ MENSVRARVM VNDE DICTI.

Athenæus li.3 pag.86. Palæmon li.1. de omnigenis oraculis, Blomillios panes dici scribit, incisuris diuisos, quos Quadratos appellant Romani,

## DE HEMINA BENEDICTINA.

SAnctus BENEDICTVS cap. XL. suæ Regulæ, loquens de mensura potus, qualem ipse charissimo filio suo Mauro in Gallias proficiscenti dederat, ait: *Credimus Heminam vini per singulos sufficere per diem.* Cuius mensuræ varia est interpretatio. Nam Venerabilis Petrus du Mas, Reformator sui monasterij Casæ Benedicti, Diœcesis Bituricensis (vnde prodit Congregatio Franciæ sub nomine Casalis-Benedicti, omnibus suo fulgore notissima) hanc vocem ita interpretatur. *Hemina (sicut à quibusdam expositoribus Regulæ accepimus) est quædam mensura continens vnam libram cum quarta parte alicuius liquoris. Et est quasi tertia pars quartæ vini Parisiensis. Quæ mensura satis est consona & sufficiens Religiosis. Ideo hanc mensuram volumus & ordinamus cuilibet Religioso Monasterij nostri dare.* Minorem heminam adhuc facit Smaragdus in eadem Regulam commentatus: Nam subtracto quadrante, æquat eam libræ. Et eius opinionem

HEMINA QVID SIT.

nionem ſequitur Cælius Rhodiginus li. XXVIII. Antiquarum lectionum, dicens: *Hemina libram appendit vnam.*

In Archiuo S. Mauri Foſſatenſis erat ſacculus coriaceus, continens pondera plumbea panis & vini pro victu quotidiano cuiuſlibet MONACHI à B. BENEDICTO præſcripta. Primum (vt iam diximus) erat panis triginta trium vnciarum & ſemis: alterum, quod erat heminæ vini, XXV. vncias pẽdebat, *pintam* Pariſinam tribus vncijs excedens. Et hæc quidem ſobriò, pulmoniſque in integritate conſeruandi ſtudioſo monacho ſufficere poterat, *cheopina* in prandio, & altera in cœna ſeu collatione ſumpta. At Canonici in locum Monachorũ (quã iuſtè vel iniuſtè Deus ſcit) ſuffecti iſta pondera, quæ dudum penes me fuerant, amiſerunt: Nec prius reddidi quam ſimilia æquo libramine confeciſſem, quę in noſtro grammatophylacio etiamnum adſeruantur. Aliquanto tamen maiorem fuiſſe Benedictinam heminam ſtatuta Congregationis ſanctæ Iuſtinæ innuere videntur; cum in caput XL. Regulæ ſic habent. *Quia (vt Monaſterio noſtro Caſinenſi præcepimus) hemina vini eſt multò plus quam communi neceſſitati vnius Monachi ſufficiat. Ideo de vino damus vnicuique, quantum ſufficit. Ita tamen vt (iuxta Regulam) ebrietas vel ſatietas non ſubrepat.* Sunt qui heminam Benedictinam, Dionyſianæ Pariſiorum *pintæ* æquant. Quod ſatis congruit humanæ neceſſitati; illa in prandium & cœnam ſeu collationem refectorianam partita.

An verò æneum vas quod Foſſatenſes oſtendunt, ſit illud Beato Mauro à S. BENEDICTO datum, non ſatis conſtat. Ceremoniale Benedictinum Burſfeldenſis Congregationis, diſtinctione tertia, cap. XVIII. dicit non plenè cognoſci qualis ſit menſuræ hæc hemina: Interim tamen admonet attendendam vim & fortitudinem vini, quæ maior eſt in Italia quam in Saxonia, & alijs frigidis regionibus: quatenus temperatè miniſtretur, vt non voluptati, ſed tantum neceſſitati deſeruiat. Trithemius in caput XL. Regulæ, tractatu c. v. ait hanc menſuram Heminæ, adhuc ſeruari in Monaſterio Caſinenſi. Et quidem

 poteſt

poteſt haberi alibi, cum quiſque Monachorum ſuam in refe-ctorio haberet heminam.

Additione prima ad Capitulare Regum, cap. XXII. *Vbi vinum non eſt vnde hemina detur, duplicem menſuram de ceruiſia bona accipiant. Nortmanni in tali defectu de ſicera prouident.*

Hactenus quidem Author ille Supplementi Antiquitatum vrbis Pariſiacæ, partes ſuas egit: cui ſuccenturiatorem dabimus virum haud minoris pretij Leonardum Leſſium Societatis IESV Louanij Doctorem, apud noſtrates eruditione ac pietate nuper præclarum: qui licet antefatis non planè ſubſcribat, certè tamẽ ad lucem hiſtoriæ ac ſobrietatis Monaſticæ, rimam non paruam aperit. Sic autem habet: Etſi non poſſit certa quantitas ſtatui quæ omnibus ſit accommodata, propter ætatum viriumque varietatem, ciborumque diſcrimina: ad ſenium tamen vergentibus & debilibus communiter ſatis eſſe videntur XII. XIII. vel XIV. vnciæ cibi per diem, computato pane, carne, ouis, vel alijs obſonijs quibus quiſque veſcitur, & totidem vel paulò plures vnciæ potus. Ita ſentiunt quidam ratione probabili, & experientiâ ducti. Hoc intellige de ijs qui parùm corpus exercent, & toti ſtudijs, vel alijs mentis officijs ſunt addicti. Sanè D. Ludouicus Cornarus, cuius opuſculum de vita ſobria hîc ſubiecimus, hanc menſuram probat, eamque ſibi anno XXXVI. ætatis præſcripſit, & vſque ad finem vitæ tenuit. vixit tamen diutiſſimè & ſaniſſimè. Sancti quoque Patres in eremo, etſi ſolo pane veſcerentur, & aquam biberent, hanc menſuram non excedebant, ſed eam paſſim in Monaſterijs etiam lege ſtatuebant, vt ſcribit Caſſianus collat. 11. Abbatis Moyſis cap. XIX. vbi Abbas Moyſes interrogatus quiſnam eſſet optimus temperantiæ modus, ita reſpondet: *Super hac re inter maiores noſtros frequenter nouimus habitum fuiſſe tractatum. Nam diſcutientes continentias diuerſorum qui vel ſolis leguminibus, vel oleribus tantùm, vel pomis vitam iugiter exigebant, prapoſuere cunctis illis refectionem ſolius panis; cuius æquiſſimum modum in duobus paximacijs ſtatuerunt, quos paruulos panes vix libra vnius pondus habere*

*Leonard. Leſſius in Hygiaſtico num. 14. pa. mihi 33.*

*Ludouicus Cornarus Venetus edidit tractatũ: De vita ſobria commodis, impreſſum Antuerpia vnà cum Hygiaſtico Leſſij, anno M.DC XIV. Vixit autem Cornarus annos circiter centum.*

*habere certissimum est*. Itaque in singulos dies circiter XII. vncias panis statuebant iustam mensuram, quæ omnibus passim satis esse posset, libra enim apud veteres est XII. vnciarum, non XVI. vt apud nos.

Quidam putant singula paximacia fuisse vnius libræ: & ita intelligunt verba Abbatis Moysis, *quos paruulos panes*, singulos nimirum. Sed non id de singulis, verùm de duobus iunctim esse intelligendum, videtur manifestum, si res attentè consideretur. Primò, quia voluit exprimere quantum tota mensura, quæ duobus paximacijs constabat, penderet; non quantum singula paximacia. Deinde, quia illa mensura panis censebatur satis exigua, & valdè difficilis seruatu, vt idem Abbas Moyses docet cap. XXI. Atqui si duo paximacia erant duæ libræ panis per diem, non fuisset ea mensura exigua, nec difficilis ad seruandum: maxime senibus. Quis enim tanta quantitate panis assumpta non habeat satis, aut dicatur modicè aut parum sumpsisse? Imò mirum videretur etiam apud nos, quibus regio frigida, si Religiosus aliquis vna refectione duas libras panis comederet: nec ille (quod ad quantitatem attinet) abstinens & sobrius censeretur, sed potiùs multi cibi & vorax. Præterea duo paximacia adeò non explebant famem, vt quidam mallet biduo ieiunare, quàm quotidie cum alijs refici: nimirum vt duplicatam portionem sumerent, & appetitui satisfacerent: vt refert idem Abbas Moyses cap. XXIV. vbi etiam id improbat. At quis exercitijs mentis deditus, comedat vna vice IV. libras, siue XLVIII. vncias sicci panis? Denique vt idem Abbas Moyses refert c. XI. Abbas Serapiō cùm adhuc esset puerulus, postquam tempore refectionis hora diei nona cum alijs sumpsisset duo paximacia, adhuc famebat; & idcircò furabatur tertium, quod posteà clanculùm comederet. At quis puerorum tres libras panis comedat? Itaque certum videtur singula paximacia fuisse solùm sex vnciarum, & duo simul iuncta pendisse circiter libram.

Quòd si illi Patres per longam experientiam satis esse iudicarunt

carũt duodecim vncias panis ſicci abſque vllo obſonio, & cum hac diętà ad extremam ſenectutem ſani,& ſenſibus integri peruenerunt: quantò magis ſatis eſſe poterunt VI. VII. VIII. vnciæ panis cum VI. vel VII. vncijs optimorum obſoniorũ, quæ duplo plus alunt quàm ſiccus panis? His accedit loco aquæ (qua illi vtebantur) quæ per ſe non alit, cereuiſia vel vinum, quæ multum alimenti præbent. Denique experientia cõſtat, multos eſſe quibus longè minus cibi & potus ſatis ſit.

Etſi hîc potiſſimum de debilibus, vel ad ſenium vergẽtibus ſermo ſit: tamen valdè probabile ſentio, ſupradictam menſuram etiam ſanis, robuſtis, & in ætatis flore conſtitutis ordinariè ſufficere, ſi multum orationi, ſtudijs, alijſúe mentis functionibus ſint dediti. Probant hoc infinita exempla ſanctorum virorum, qui etiam ab anno XV. XVI. aut XX. hanc menſuram vel etiam minorem ſunt complexi: etiamſi ſolo pane & aqua, vel paucis oleribus aut leguminibus vterentur: & tamẽ diutiſſimè, ſaniſſimè, in ſummis laboribus mentis, & maxima corporis afflictatione vixerunt: vt videre eſt in plurimis, quorum vitæ extant: ex quibus aliquot referuntur ab eodẽ Leſſio. Deinde, quia in plurimis Monaſteriis hæc menſura communiter lege ſancita erat tanquam ordinariè omnibus tam Iunioribus quàm Senioribus ſufficiens. Vnde Patres illi, qui maximam harum rerum experientiam habebant, & optimè norant quantum natura requireret, iudicarunt hanc menſuram ordinariè omni ætati poſſe ſufficere. Idem ſentit Cornarus, & ſuo exemplo probat: nam ab anno XXXVI. ætatis incepit.

*Leſſius in eodem Hygiaſtico nu. 35.*

Huc vſque Leſſius. Nunquid & nos aliquid de PAXIMATIIS ſubiungemus? commodè, cùm apud Monaſticarum rerum ſcriptores, paſſim eorum occurrat mentio, quæ etiam PAXIMATES ſeu PAXAMIDIA nominauêre. Aliquot eorum nobis audiendi. Ruffinus: *Vidit de ſportella vbi panis eſt, id eſt,* PAXIMATIA *repoſita erant, ſurrexiſſe fumum magnum*. Pelagius: *Rapui vnum panem* PAXIMATEM, *& manducaui eum occultè.* Idem ipſe: *Ego biduo ieiuno, & duos* PAXIMATES *manduco.* Ruffinus iterum:

*De paximatiis.*

*Ruffin. li. 2. nu. 4.*

*Pelag. li. 4. num. 25.*

rum: *Tantum vnum* PAXAMATIVM, *& quinque oliuas in cibo capiebat*. In Regula Cœnobiali Patrum; quem *librũ pœnitentiarum* Columbani quidam esse autumant: *Si quis frater inobediens fuerit, duos dies vno* PAXIMATE *& aquâ. Si quis dicit: Non faciam, tres dies, vno* PAXIMATIO *& aqua. Si quis veniam non petit, aut dicit excusationem, duos dies, vno* PAXIMATIO *& aquâ.* Ruff. lib. 3. num. 31. Reg. Cœnob. Patr. cap. 10

PAXIMATES hi panes, dicti sunt etiam antiquis Anachoretis ac Cœnobitis, *Panes sicci*. Ita Ruffinus in vita Apollonij: *Erant autem eis pauci tantummodò & sicci panes*. * Pelagius: *Et apposuit eis* PANEM SICCVM, *& aquam & sal, dicens: Ecce, propter vos, festiuitatem habemus hodie; & misit parum aceti in salibus istis.* PAXIMATES PANES, DICTI ETIAM PANES SICCI. Ruff. lib. 2. c. 7. in vita Apollonij. * Pel. libel. 10. nu. 97.

Eiusmodi panes siccos, DIPYROS, id est, BIS-COCTOS Græci appellauere: nempe siccitas & recoctio ad diuturnitatem faciebant. Quo respicitur in vita S. Antonij: *Panes mensium sex, vt Thebais mos est, secum recondens; nam crebro per annum incorrupti durare solent.* Dipyros hosce paximates, panes BVCCELLATOS etiam vocatos docet Eribertus Rosweidus, cuius erudito Onomastico hîc vtimur. PANES BIS-COCTI. PANES BVCCELLATI.

Aduertere rê velim, Christiane Lector, quam parcè ac duriter vitam ducerent aut traherent Anachoretę quondam Sanctissimi, quibus panis durior ante annum fortasse dipyrus & recoctus, ad mensuram distribueretur. Meum hoc palatum huius testem facio, qui dies aliquot Oceanum nauigans, biscoctis eiusmodi panibus ieiunè admodum sum refectus, molaribus meis haud parum in eorum frustorum fractionem adlaborantibus.

Hinc eos comesturi Patres in eremis aquâ macerabant, ac madefaciebant; quod in Vitis eorum sæpius dicitur, *Infundere panes*. Ita Palladius: *Imponit mensæ quatuor* PAXAMIDIA *sex vnciarum; & sibi quidem vnum madefecit (erant enim* SICCI*) illi autem tres*. Sic & Ruffinus: *Cùm aduenisset hora sexta infundebat panem in aquâ, dicens: Dum hic panis infunditur, oportet me etiam horam nonam expectare*. Rursus idem: *Et misit aquam &* PANES BIS-COCTI AQVA MACERATI. Pall. cap. 28. Ruff. l. 2. n. 4. Lib. 3. n. 19.

 *sal,*

*ſal, & miſit buccellas* (paximatij videlicet, vel ipſum paximatiũ) *& comederunt pariter*. Notas hîc etiam, frequens Eremitarum eſculentum, ***aquam & ſal*** pani iunctum fuiſſe.

Additum eſt quandoque oleum; quod ſuperius aduertiſſe licuit: qua de re rurſum Pelagius: *Infudit ei panes, & miſit ei oleum & ſal*. Acetum etiam additum docuimus ex Ruffino.

PAXAMAS QVID?

Ceterum, paximatium, PAXAMAM Romanis vocatum legimus apud Suidam: *Bis-coctus panis, qui apud Romanos dicitur* PAXAMAS. Et rurſum: PAXAMAS *panis bis-coctus. Eſt autem vox Romana.* Abnuit Lipſius, & per Romanos Suidæ, intelligit Græculos illos Romanos in Imperio Byzantino, qui ſic dixêre.

PAXIMATIVM VNDE DICTVM.

Pro origine vocis paximatij, faciet fortaſsè Nicolaus Rigaltius, qui non improbabiliter exiſtimat à Paxamo cupediario ita dictum, de quo Suidas: PAXAMVS *ſcripſit de arte culinaria ordine alphabetico, & Bioticorum libros duos*. Non tamen video quid cupediarum habeant paximatia, vt à Paxamante (niſi per antiphraſim) nomenclaturam acceperit.

CAPVT



## CAPVT XXIII.

*Genus & parentes* S. BENEDICTI, *qui & quanti: Item Casinense Monasterium ab ipso fundatum, quale fuerit & quantum. Rursum an* S. BENEDICTVS *Sacerdos ac Presbyter fuerit.*



B REGVLÆ Benedictinæ legibus, ad ipsum Legislatorem regredior, nobilem adeò, vt gentilis noster Arnoldus Wyon in hæc verba non vereatur erumpere BENEDICTINVM Martyrologium digerens: *XII. Kal. April. In Monte Casino, Natalis Sanctissimi Patris nostri* BENEDICTI *&c. Iustinianus Consul Romanorum illustrissimus, ex nobilissimo* ANICIORVM *genere procreatus, pater fuit Eupropij, Tertulli, ac Germani. Quorum primus, Abundantiâ (quæ Riguardata cognominata est) ductâ, Sanctos* BENEDICTVM *ac Scholasticam genuit. Secundus, Terturlum patrem S. Placidi & fratrem eius. Tertius, sorore Iustini Imperatoris sibi sociatâ, Iustinianum Imperatorem, nomine auum suum Iustinianum referentem, ac germanum sibi æquiuocum procreauit.* Hinc illa genealogica tot tantorumq; Principum in eiusdem Auctoris Tabella: quâ quidem Carolum V. Imperatorem eiusque filios, longâ temporum intercapedine, Iustiniani sanguine procreatos describit. GENVS ET PARENTES S. BENED. *Arnold. VVyon ligni vita lib. 3.*

Virum prosapia magnum, prosapiæ tamen stemmata diuitiasque fugitantem, compares stemmatibus diuitiæ sunt subsecutæ: cui merito vaticinium illud Hieremiæ quadrare dicundum est: BENEDICTVS *vir qui confidit in Domino; & erit Dominus fiducia eius. Et erit tanquam lignum quod plantatum secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas; & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride. Et in tem-* *Hierem. cap. 13.*

*pore ſiccitatis non erit ſollicitum: nec aliquando deſinet facere fru-ctum.* Tempore quidem *ſiccitatis*, cùm ingruentibus Barbarorum incurſionibus Vniuerſus foret in maligno poſitus, Eccleſiæ ſanctæ Dei fructum admirabilem germinans germinauit, in Monte Caſino: cuius cacumen erecto Monaſterio, non Vrbi tantum, ſed toti terrarum Orbi demirandum præbuit. Mons ille Campaniæ Prouinciæ partem occupat: ad cuius radices Varronis Palatij pars, in modum amphiteatri, in hodiernum vſque diem ſemiruta conſpicitur. In cacumine verò Mõtis, CASINENSE COENOBIVM erectum eſt, ab ipſo Monte nomen deſumens; cuius encomiaſtes Arnoldus ſic loquitur:

Arnoldus Wyon ligno vitæ li.1.c.2.

*Ex ijs quæ poſſidebat eius potentia erat admirabilis & tremenda.* Admirabilis profectò: nec me tedet hanc TABELLAM ex varijs Auctorum & Arnoldi locorum centonibus collectam, digerere, vno Lectoris obtutu conſpiciendam.

TYPVS

*De Tabella præfixa quid sentiendum.*

*Arnoldus Wyon ligno vitæ li.3.c.2.*

Quid super hisce tot censibus censeam? Tale fortassis Monasterium extitisse, cùm Romani Pontifices ibidem abbatissarent. Nam vt antefatos Ducatus, Comitatus, Ciuitates ac Dynastias donante Tertullo Sancti Placidi parente, ad Asceterium illud deuoluta translataque adseramus, vetat haud indiligens Annalista Baronius qui Epistolas Imperatoris Iustiniani ad Placidum Nepotem suum anno XII. ipsius Imperij sub Coss. Boëtio & Cethego III. perdoctè carpit & explodit: cum annus duodecimus Iustiniani respondeat anno Christi DXXXVIII. Consulesque habuerit Ioannem & Volusianum: quorum ne vmbellæ quidem succenturiati leguntur Cethegus & Boëtius, qui Consulatum re vera gessere, sed diuersis planè temporibus; ille anno Domini D.IV. hic autem DX. Qua etiam censura corrigere fas esto, quæ ei subijcitur, epistolam Theodoræ ad sanctum Placidum datam, ijsdem Consulibus & Imperatoris anno. *De Tabella præfixa quid sentiendum.*

Sed, quod præmissam & à nobis digestam TABELLAM tangit, audiendus est, idem ipse Baronius discutiens Imperatoris Iustiniani literas præfatis epistolis coniunctas, quibus salua vult esse Cassinensi Monasterio, quæ Tertullus Placidi parens quæue Iustinus Senior Imp. eidem Cœnobio contulisset; nempe villas, rura, castra, opida, ciuitates & municipia ibidem recensita, & quidem non parua vel exigua numero. At quænam sub Theodorico Gothorum Rege, esse poterant alicui Romanorum Patricio, opida & ciuitates, vel quæ Iustinus Imperator huiusmodi in Italia existentia, potuit donasse non sua? Nec enim glebam Imperator Orientis sub Theodorico Rege in Italia possidebat,

Et quid illud ad finem: *Ex minio manu propria subscripsimus.* Cùm, teste Suida, Iustinianus literas penitus ignoraret? & quomodo (vt superiores epistolæ) eadem data legitur sub Coss. Boëtio atque Cethego, anno XII. eius Imperij? Quàm insuper illa ridenda subscriptio testium:

Theodoricvs, Rex aqvilifer.
Belisarivs draconifer.
Mavricivs leonifer.
Tiberivs lvpifer.

Ac denique quonam modo subscripsisse potuit ei priuilegio, anno XII. Iustiniani Imperatoris Theodoricus Gothorum Rex, cùm longè ante hæc tempora decessisset, & post eum Athalaricus, inde Theodatus ac postea Vitiges eo anno XII. Iustiniani regnaret?

Antefatæ Baronij rationes præmissam à me S. Monasterij Casinensis Tabellam dispungunt quidem at non expongunt, si (quod ante præmonui) florentissimum eiusdem statum, cogitemus cùm eidem Romani Pontifices abbatissarent.

An S. Benedictvs fverit presbyter et sacerdos.

Verùm quoniam de S. Benedicti stemmatibus, hoc capite memini, visum est, etiam eiusdem in Monasterio titulos, & ab Ecclesia susceptos ordines indagare. Abbatem fuisse nemo controuertet, imò Abbatum omnium facile Principem appellandum nemo negabit: nunquid etiam Sacerdotem? Hoc disquiro, quod ante me curiosè factitatum legitur in *Antiquitatum vrbis Parisiacæ Supplemento*: Cuius Auctor non veretur adfirmare, Sanctissimum illum Abbatem Ordinis Ordinum omnium celeberrimi Fundatorem, Presbyteratvs gradum nunquam conscendisse; partim humilitate, partim etiam vt primitiuum illum Ascetarum statum, ab Ecclesiastico seu Clericali statu prorsus distinctum, retinere se velle palam commonstraret. In ipso siquidem nascentis Monachismi exordio, cultores eius non fuêre Clerici, sed iis persimiles, quos Conuersos, seu Fratres Laicos, hodie vocitamus. Patet hoc ex Registro Gregoriano locis pluscul is ad marginem hîc mihi signatis: in quorum quidem postremo capite, satis innuitur, B. Benedictvm non fuisse sacerdotem aut Presbyterum.

*Regist. Greg. epist. 1 li 4. & ep. 40. e. 204. lib. 6. Item dist 93. à Subdiac. 18 q. 2. Quidam monac. & ös verò 16. q 1. Capitul. Nemo. Alia causa Ecclesia habet. Hinc est etiam Presbyteros. Generaliter.*

Sententiam Gratiani sequitur Petrus Blesensis, D. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi anno M. C. LXXI. martyrio coronati contemporaneus. Is enim quendam emissâ professione ab in-

ab integerrimo Cartusianorum instituto resilire conātem grauiter increpans, sic effatur: *Hoc in Ordine causaris & arguis, quod singulis diebus Missas non celebrent. Tuæ literæ faciunt te insanum. Scis quia Monachorum Pater & sui Ordinis Institutor, nec etiam Sacerdotij gradum adtigit: experssque Missarum multo tempore, etiam in die Paschæ, vtrum Paschalis esset solemnitas, ignorauit?* Rursum alibi, nominatim: *Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphnutius, & vterque Macharius & Arsenius, Beatus etiam* BENEDICTUS, *cæterique viri nominatissimæ Religionis (quorum memoria in benedictione est) nunquam gradum Sacerdotij attigerunt: in sua tamen simplicitate saluati sunt.* Verè quidem *nominatissimam Religionem* indigetat illam, quæ S. BENEDICTI Normulam sectans memoriam suam in *Benedictione* protēdet in secula. Cuius reuera primarij sectatores Presbyterij culmen attingere semper renuerunt, cùm discipulis docilibus Regula vitæ foret optimus Magister. Nam vt reliquos silentio obuoluam beatus Maurus sub eius disciplina (fas est dicere) educatissimus passim in diplomatibus Pontificum alijsque S. R. E. monumentis *Leuita* dumtaxat nominatur, qui tamen annos XL. Monasterio Glanofoliano in Gallijs abbatissauit. Nec aliâ nomenclaturâ Prælatum adeo nobilem indigetat Faustus eiusdem condiscipulus & Gallicæ peregrinationis Achates indiuiduus. Consimili etiam loquendi modo vtitur Abbas Fossatensis Odo Trāslationis eiusdem scriptor fidelis. Quibus respondent præfati Cœnobij MSS Missalia, aliaque ad vsum Ecclesiæ Parisiensis impressa, vbi sic legunt: *Deus qui beatum* MAVRVM LEVITAM *æternæ gloriæ consessisti fieri participem: Concede nobis, ipso intercedente, aditum Regni cælestis, cuius ad bene viuendum informamur exemplis.* Neque mihi prætermittendum antiquitus *Leuitis* morem fuisse, suæ promotionis anno primo, STOLAM collo adpensam iugiter portare consuêsse: quod vel ab ipsa D. Mauri historia clarum est: *Stolam* inquit Faustus, *cum qua eodem anno, iubente Benedicto beato Magistro suo, ordinatus ad ministerium fuerat Leuiticum,* &

*Petr. Blesens. epist. 86.*

*An S. Maurus fuerit presbyter.*

*Faust. in vita S. Mauri.*

*Vide etiam Oddonem Abbatem Fossatensem in eiusdem Translatione.*

*Missal. Cœnob. Glanofol. & Parisiens.*

*Faust. in vita S. Bened.*

*& quam iuxta morem, gratia sanctitatis primo indesinenter ferebat anno, de Sanctissimo collo suo protulit, & super caput infirmi Crucis signum faciens posuit*; quam impositionem *Stolæ Leuiticæ* sanatio subsecuta legitur.

Hactenus, Institutionem Ordinis S. BENEDICTI, ipsumque adeo Fundatorem, quamuis rudi penicillo, satis delineaui. Nisi placeat etiam paucis pauca subiungere de eiusdem sacræ Religionis apud exteras Gentes incremento. Siciliam Placidi prouinciam, Angliam AVGVSTINI coloniam, aliasque consimilium Apostolorum Spartas, breuitatis caussa prætereo, tantum additurus; Sanctum Maurum Christianissimam nobisque conterminam soli Gallici regionem mirabiliter illustrasse. Inibi siquidem Theodebertus Rex in Monasteriis exædificandis erigendisque profusa quadam largitate sic eũ adiuuit, vt postea Carolus IX. dicere non vereretur, Sanctum MAVRVM plures Cœnobijs à se constructis solo *Breuiario* suo in Gallia diuitias peperisse, quàm Reges ipsi gladio conquirere potuerint. Quis enim haud stupeat, sola illa ab eo ibidem fundata Monasteria, in prouẽtus annuos enumerasse, *Decies centena aureorum millia?* Hoc addidisse mihi coronis esto.

PROGRESSVS ORDINIS S. BENEDICTI ADMIRANDVS IN GALLIA. *Vide Stengel. in Corona Lucida.*

CAPVT

CAPVT XXXII.

*S. Cæsarij Arelatensis Episcopi in Regulam Sanctimonialibus præscriptam*

# PRÆFATIO,



*ANCTIS & plurimum in Christo venerandis sororibus in Monasterio, quod Deo inspirante & iuuante condidimus, constitutis, Cæsarius Episcopus. Quia nobis Dominus pro sua misericordia inspirare & adiuuare dignatus est, vt nobis Monasterium conderemus, quomodo in ipso Monasterio viuere debeatis secundum statuta antiquorum Patrum, monita vobis spiritualia ac sancta condidimus, quæ Deo adiuuante custodire possitis. Iugiter in Monasterij Cellula residentes visitationem filij Dei assiduis orationibus implorate, vt postea cum fiducia possitis dicere, inuenimus quem quæsiuit anima nostra, & ideo vos sacras virgines, & Deo deditas animas rogo, quæ incensis lampadibus cum secura conscientia Domini præstolatis aduentum, vt quia me pro constituendo vobis Monasterio laborasse cognoscitis, vestri me itineris socium fieri sanctis orationibus postuletis, vt cum in regno cum sanctis ac sapientibus virginibus fœliciter introibitis, me cum stultis non remanere foris vestro suffragio obtineatis, orante pro me Sanctimonia vestra, vt inter pretiosissimas Ecclesiæ gemmas micantem fauor diuinus & præsentibus repleat bonis, & dignum reddat æternis.*



# REGVLA.



VIA multa in Monasterijs puellarum aut Monachorum instituta distare videntur, elegimus pauca de pluribus, quibus Seniores cum iunioribus Regulariter viuant, & spiritualiter implere contendant, quod specialiter suo sexui aptum esse perspexerint, hæc sanctis animabus vestris prima conueniunt.

I. Si qua relictis parentibus suis sæculo renunciare, & sanctum ouile voluerit introire, vt spiritualium luporum fauces Deo adiuuante possit euadere, vsque ad mortem suam de Monasterio non egrediatur, nec de basilica vbi ostium esse videtur.

II. Iuramentum & maledictum, velut venenum diaboli, fugere & vitare contendat.

III. Ei ergo quæ Deo inspirante conuertitur non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius adprobata, sed vni ex Senioribus tradita annum integrum in eo, quo venit, habitu perseueret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in Schola habendo, sit in potestate Prioris, & quomodo personam, vel compunctionem viderit, ita vel celerius, vel tardius studeat temperare.

IV. Quæ autem viduæ, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad Monasterium veniunt, non excipiantur, nisi antea de omni facultatula sua, cui voluerint, chartas, aut donationes, aut venditiones faciant, ita vt nihil suæ potestati, quod peculiariter, aut ordinare, aut possidere videantur, reseruent propter

ter illud Domini: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ poſſides*. Et, *Si quis non reliquerit omnia, & ſecutus me fuerit, meus non poteſt eſſe diſcipulus*. Hoc ideo dico, Venerabiles filiæ, quia Sanctimoniales quæ poſſeſſionem habuerint, perfectionem habere non poterunt. Quam rem etiam & illæ, quæ Virgines conuertuntur, ſi implere noluerint, aut non recipiantur, aut certe veſtimenta religioſa non permittantur accipere, donec ſe ab omnibus impedimentis mundi iſtius liberas fecerint. Illæ vero quæ adhuc viuis parentibus ſubſtantiam ſuam in poteſtatem habere non poſſunt, aut adhuc minoris ætatis ſunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in poteſtate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem peruenerint. Ideo hoc ſanctis animabus veſtris præcipimus timentes exemplum Ananiæ & Saphiræ, qui cum totum ſe dixiſſent Apoſtolis obtuliſſe, partem obtulerunt, partem ſibi infideliter reſeruauerunt. Quod fieri nec decet, nec licet, nec expedit. Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatiſſæ, liceat in ſeruitio ſuo habere, ſed ſi opus habuerit de iunioribus in ſolatium ſuum accipiat.

Matth. 19. Luc. 14. Act. 5.

v. Et ſi fieri poteſt, aut difficile, aut nulla vnquam in Monaſterio infantula paruula, niſi ab annis ſex aut ſeptem, quæ iam & literas dicere, & obedientiæ poſſit obtemperare, ſuſcipiatur. Nobilium filiæ ſiue ignobilium ad nutriendum, aut docendum penitus non accipiantur.

vi. Nemo ſibi aliquid operis vel artificij pro ſuo libitu eligat faciendum, ſed in arbitrio ſenioris erit, quod vtile proſpexerit imperandum.

vii. Nulli liceat ſemotam eligere manſionem, nec habebit cubiculum, vel armariolum, aut aliquid huiuſmodi quod peculiarius claudi poſſit, ſed omnes diuiſis lectulis in vna maneant Cellula. Quæ vero ſenes ſunt & infirmæ, ita illis conuenit obtemperari vel ordinari, vt non ſingulę ſingulas cellas habeant, ſed in vna recipiantur omnes, vbi & maneant.

viii. Nunquam altiori voce loquantur ſecundum illud

 Apoſtoli,

Ephes. 4. Apostoli, *Omnis clamor tollatur à vobis*. Similiter dum psallitur, fabulari omnino vel operari non liceat.

IX. Nulla cuiuslibet filiam in baptismum, neque diuitis, neque pauperis præsumat accipere.

X. Quæ signo tacto tardius ad opus Dei, vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum est, subiacebit. Quod si secundo, aut tertio, admonita emendare noluerit, à communione, vel à conuiuio separetur.

XI. Quæ pro qualibet culpa admonetur, castigatur, corripitur, arguenti respondere penitus non præsumat. Quæ aliquid ex ijs quæ iubentur implere noluerit, à communione orationis, vel à mensa secundum qualitatem culpæ, sequestrabitur.

XII. Quæ coquent singulæ illis merito pro labore addantur. In omni ministerio corporali tamen, in coquina, vel quidquid quotidianis exigit vsus, vicibus sibi, excepta Matre, vel Præposita, succedere debent.

XIII. In vigilijs vt nemo per otium somno grauetur, ea opera fiat quæ mentem non retrahat à lectionis auditu: si qua grauatur somno, alijs sedentibus iubeatur stare, vt possit à se somni marcorem repellere, ne in opere Dei, aut tepida inueniatur, aut negligens.

XIV. In ipsis lanificijs faciendum pensum suum quotidianum cum humilitate accipiant, & cum grandi industria implere contendant.

XV. Nemo sibi aliquid iudicet proprium, siue in vestimento, siue in quacunque alia re.

XVI. Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili iudicio pereat murmuratorum secundum illud Apostoli, *Omnia facite sine murmurationibus*. Matri, post Deum, omnes obediant, Præpositæ deferant. Sedentes ad mensam taceant, & animum lectioni intendant. Cùm autem lectio cessauerit, meditatio sancta de corde non cesset. Si vero aliquid opus fuerit, quæ mensæ præest sollicitudinem gerat, & quod est necessarium

Philip. 2.

rium

rium nutu magis quàm voce petat. Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant Dei verbum.

XVII. Omnes literas discant. Omni tempore duabus horis, hoc est à mane vsque ad horam secundam, lectioni vacent.

XVIII. Reliquo vero diei spacio faciant opera sua, & non se fabulis occupent, propter illud Apostoli, *Cum silentio operantes:* 2. Thess. 3.
Et illud, *In multiloquio non effugies peccatum.* Et ideo hoc vobis Prou. 10.
omnino loquendum est quod ad ædificationem, vel vtilitatem animæ pertinet. Cùm autem necessitas operis exegerit, tunc loquantur. Reliquis vero in vnum operantibus, vna de Sororibus vsque ad tertiam legat, de reliquo meditatio verbi Dei & oratio de corde non cesset. Sit vobis anima vna, & cor vnum in Domino, sint vobis omnia communia, sic enim legitis in Actibus Apostolorum, *Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat.* Act. 4.

XIX. Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingrediuntur Monasterium humiliter illud offerent Matri communibus vsibus profuturum. Quæ autem non habuerunt, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Illæ vero quæ aliquid videbātur habere in sęculo, non fastidiant Sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt, nec sic de suis diuitijs superbiant, quas Monasterio obtulerunt, quomodo si eis in sæculo fruerentur. Quid prodest dispergere, & dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia? Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa esse meruistis, orationibus sine intermissione insistite, secundum illud Euangelij, *Orantes omni tempore, vt digni habeamini.* Luc. 21.
Et Apostolus, *Sine intermissione orate.* 1. Thess. 5.

XX. Cùm vero Psalmis & Hymnis oratis Deum, id versetur in corde, quod profertur in voce. Quodcumque operis feceritis quando lectio non legitur, de diuinis scripturis semper aliquid ruminate. Ægrotantes vero sic tractandæ sunt, vt citius conualescant, sed cum vires pristinas reparauerint, red-

eant ad feliciorem abstinentiæ consuetudinem. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, quod vestrum decet propositum.

XXI. Nulla in vobis concupiscentia oculorum cuiuscumque viri diabolo instigante consurgat, nec dicatis vos animos habere pudicos, si oculos habeatis impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: nec putare debet quæ in virum non simpliciter conuertit aspectum, ab alijs se non videri, cum hæc facit, videtur omnino à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, vt à nemine hominum videatur, quid facit de illo superinspectore, cui latere omnino non potest? Timeat ergo displicere Deo, cogitet ne malè placeat viro. Quando ergo simul statis, si aut prouisor Monasterij, aut aliquis cum eo virorum superuenerit, inuicem vestram pudicitiam custodite, Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto vos modo custodiat.

XXII. Si quam vero liberius quàm decet agere videritis, secretius corripite vt Sororem, si audire neglexerit, Matri in notitiam ponite, nec vos iudicent esse maleuolas quando hoc sancto animo indicatis: magis enim nocentes estis, & peccati ipsius participes vos facitis, si Sororem vestram, quam castigando corrigere potuistis, tacendo perire permittatis: si enim vulnus haberet in corpore, & esset à serpente percussa, & vellet hoc occultare dum timet secari, nonne crudeliter hoc taceretur, misericorditer proderetur? quanto ergo & magis consilia diaboli, & insidias illius manifestare debetis, ne in deterius vulnus peccati augeatur in corde, ne concupiscentiæ malum diutius nutriatur in pectore? Et hoc facite cum dilectione Sororum, & odio vitiorum.

XXIII. Quæcumque autem, quod Deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, aut quælibet mandata, aut munuscula accipiat, si hoc vltro confessa fuerit, indulgentiam mereatur, & oretur pro ea: si autem celans proditur, vel conuincitur, secundum statuta

Mo-

Monaſterij grauius emendetur. Simili etiam diſtrictioni ſubiaceat, ſi vel ipſa cuicumque literas, aut munuſcula tranſmittere ſacrilego auſu præſumpſerit: pro affectu tamen parentum, aut cuiuſcumque notitia, ſi aliqua tranſmittere voluerit eulogiam panis, Matri ſuggerat, & ſi ipſa permiſerit per Poſticiarias det, & ipſæ nomine illius tranſmittant cui voluerit: ipſa ſine Præpoſita, aut Poſticiaria per ſe non præſumat, nec dare, nec accipere quidquam.

XXIV. Et quamuis non ſolum cogitari, ſed omnino credi, nec debeat, quod ſanctæ Virgines duris ſe ſermonibus, vel conuicijs mordeant, tamen ſi fortè, vt ſe habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de Sororibus auſæ fuerint diabolo inſtigante prorumpere, vt aut furtum faciant, aut in ſe inuicem manus mittant, iuſtum eſt, vt legitimam diſciplinam accipiant, à quibus Regulæ inſtituta violantur: neceſſe eſt enim, vt in eis impleatur illud, quod de indiſciplinatis filijs per Salomonem prædixit Spiritus ſanctus, *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagellum*: Et iterum, *Tu virga cum cædis, animam eius de inferno liberabis*. Diſciplinam tamen ipſam in præſentia congregationis accipiant ſecundum illud Apoſtoli, *Peccantes coram omnibus corripe.* Eccle. 30. Prou. 23. 1.Tim.5.

XXV. Et quia Monaſterij Mater neceſſe habet pro animarum ſalute ſollicitudinem gerere, & de ſubſtantiola Monaſterij, quod ad victum corporis opus eſt, iugiter cogitare, ſalutantibus etiam affectum impendere, & Epiſtolis quorumcumque fidelium reſpondere, omnis lanificij cura, vnde veſtimenta ſanctis Sororibus miniſtrentur, ad ſollicitudinem Præpoſitæ, vel Lanipendiæ pertinebit. Per quarum induſtriam ita fideliter cum zelo & amore Dei, veſtimenta quæcumque ſunt neceſſaria, præparentur, vt quotieſcumque ſanctis Sororibus opus fuerit, Præpoſita offerat, & Mater Monaſterij, quibus neceſſe fuerit, cum ſancta diſcretione diſpenſet.

XXVI. Quæ tamen veſtimenta cum tanta induſtria in Monaſterio fiant, vt ea nunquam neceſſe ſit Abbatiſſæ extra Mona-

naſte-

nasterium comparare. Et non ad vos pertineat quale vobis ir dumentum pro temporis congruentia proferatur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, si aliqu ex vobis minus fortè dignum aliquid acceperint, quam prit habuerint: hinc vos probate, quantum vobis desit in illo inte riore sancto habitu cordis, quæ habitu corporis murmurati Si vestra tolerat infirmitas, vt amplius quàm victus quotidianu exigit habeatis, in vno tamen loco sub communi custode quod habueritis reponite, & claues de arcellis, vel præsuriol vestris Registoria teneat.

XXVII. Nulla sibi aliquid proprium operetur, nisi cui Al batissa præceperit, aut permiserit: sed omnia opera vestra i commune fiant, tam sancto studio & feruenti alacritate, quō modo si vobis propria faceretis.

XXVIII. Ad cellarium & ad posticium vel lanipendiur tales à Seniore eligantur, non quæ voluntates aliquarum, se necessitates omnium cum timore Dei considerent, & ide quidquid ad mandu andum vel bibendum pertinet, nulla d Sororibus præsumat circa lectum suum reponere aut haber Quæcumque autem hoc fecerit, grauissimam districtioner sustineat. Ante omnia coram Deo & Angelis eius obtestor, v nulla de Sororibus vinum occultè aut emat, aut vndecumqu transmissum accipiat, sed si transmissum fuerit, præsente Al batissa, vel Præposita, Posticiariæ accipiant, & Canauariæ tr dant, & per ipsius dispensationem, secundum institutioner Regulæ, illi cui transmissum est, quomodo infirmitati suæ cor uenit, ita dispensetur. Et quia solet fieri, vt Cella Monasteri non semper bonum vinum habeat, ad sanctæ Abbatissæ curan pertinebit, vt tale vinum prouideat, vnde aut infirmæ, aut ill quæ sunt delicatius nutritæ, palpentur.

XXIX. Lauacra etiam, cuius infirmitas exposcit, minim denegentur, sed fiat sine murmuratione de consilio Medici næ, ita vt etsi lauare nollet illa quæ infirma est, iubente Senio re fiat quod opus fuerit pro salute. Si autem nulla infirmitat

com

compellitur, cupiditati suæ non præbeatur assensus.

XXX. Ægrotantium cura sine aliqua imbecillitate laborantium vni satis fideli & compunctę debet iniungi, quæ de Cellario petat quodcumque opus esse prospexit: & talis eligi debet, quæ & Monasterialem rigorem custodiat, & infirmis cum pietate deseruiat. Et si hoc necessitas infirmarum exegerit, & Matri Monasterij iustum visum fuerit, etiam Cellariolum & coquinam suam infirmæ cõmunem habeãt. Quæ Cellario siue canauę, siue vestibus, vel codicibus, aut Posticio, vel lanipendio præponuntur, super Euangelium claues accipiant, & sine murmuratione seruiant reliquis. Si quę vero vestimenta, calceamenta, vtensilia negligenter expendenda, vel custodienda putarint, tanquam interuersores rerum Monasterialium seuerius corrigantur.

XXXI. Lites nullas habeatis, secundum illud Apostoli, *Seruum Dei non oportet litigare:* aut si fuerint, quàm celerius finiantur, ne ira crescat in odium, & festuca crescat in trabem, & efficiatur anima homicida: sic enim legitis, *Qui odit fratrem suum homicida est*. Et, *Leuantes sanctas manus sine ira & disceptatione*. Quæcumque conuicio vel maledicto, vel etiam crimine obiecto, lęserit Sororem suam, meminerit culpam satisfactione purgare, quod vitium si iterare pręsumpserit, districtione seuerissima feriatur, vsquequo per satisfactionem recipi mereatur. Iuniores pręcipuè Senioribus deferant. 2.Tim.2. 1.Ioan.3. 1 Tim.2.

XXXII. Si qua verò pro quacumque re excommunicata fuerit, remota à Congregatione in loco quo Abbatissa iusserit, cum vna de spiritualibus Sororibus resideat, quousq; humiliter pœnitendo indulgentiam accipiat. Si autem, vt fieri solet, stimulante diabolo, inuicem se læserint, inuicem sibi veniam petere, & debita relaxare debebunt, propter orationes quas vtique quanto crebriores, tanto puriores habere debent. Quod si illa cui venia petitur indulgere Sorori suę noluerit, à communione remoueatur, & timeat illud, *Quod si non dimiserit, non dimittetur ei*. Quæ autem nunquam vult petere veniam, aut Matth.6.

non ex animo petit, aut cui petitur si non dimittit, sine causa in Monasterio esse videtur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quę si admissa fuerint, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quando autem vos quę Pręposite estis necessitas disciplinę pro malis moribus coërcendis dicere verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse fortasse sentitis, non à vobis exigitur vt veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subiectas, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam quas plus iustè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

XXXIII. Matri quę omnium vestrum curam gerit, & Pręposite, sine murmuratione obediatis, ne in illis caritas contristetur. Ipsę vero quę vobis præsunt, cum caritate & vera pietate discretionem & Regulam studeant custodire, circa omnes seipsas bonorum operum prębeant exemplum, corripiant inquietas, consolentur pusillanimes, sustineant infirmas, sæpe cogitantes Deo se pro vobis reddituras esse rationem, vnde & vos magis sanctè obediendo non solum vestri, sed etiam ipsarum miseremini, quia inter vos quanto ordine superiores esse videntur, tanto in periculo maiori versantur, pro qua re non solum Matri, sed & Præpositæ, primiceriæ, vel primariæ cum reuerentia humiliter obedite.

XXXIV. Ante omnia propter custodiendam famam vestram nullus virorum in secreta parte in Monasterio, & in Oratorijs introeat, exceptis Episcopis, Prouisore, & Presbytero, Diacono, Subdiacono, & vno vel duobus Lectoribus, quos & ætas & vita commendet, qui aliquoties Missas facere debeant. Cum vero aut tecta retractanda sunt, aut ostia vel fenestræ sunt componendæ, aut aliquid huiusmodi reparandum, artifices tantum & serui ad operandum aliquid, si necessitas exegerit, cum Prouisore introeant, sed nec ipsi sine scientia aut permissu Matris. Ipse vero Prouisor interiorem partem Monasterii, nisi

nisi pro ijs vtilitatibus quas superius comprehendimus, nunquam introeat, & aut nunquam, aut difficilè sine Abbatissa, aut alia honestissima teste, vt secretum suum sancta sicut decet & expedit, habeant.

xxxv. Matronæ etiam sæculares, vel puellæ seu reliquæ mulieres, aut viri adhuc in habitu laico similiter introire prohibeantur.

xxxvi. Obseruandum est ne Abbatissa ad salutantes in Salutatorium sine digno honore suo, hoc est, sine duabus aut tribus Sororibus, procedat. Episcopi, Abbates, vel reliqui Religiosi, quos magna vita commendat, si petierint, debent ad orationem in Oratorium introire. Obseruandum est etiam vt ianua Monasterij oportunis horis salutantibus pateat.

xxxvii. Conuiuium etiam his personis, hoc est, Episcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, Sæcularibus viris, mulieribus in habitu sæculari, nec Abbatissæ parentibus, nec aliqua sanctimonialis vnquam, nec in Monasterio, vel extra Monasterium præparetis, sed nec Episcopo huius ciuitatis, nec Prouisori quidem ipsius Monasterij conuiuium fiat. De ciuitate vero nec religiosæ fœminæ, nisi fortè sint magnæ conuersationis, & quæ Monasterium satis honorent, & hoc rarissimè fiat. Si qua tamen de alia ciuitate ad requirendam filiam suam, aut ad visitandum Monasterium venerit, si Religiosa est, & Abbatissæ visum fuerit, debet ad conuiuium vocari: reliquæ penitus nunquam, quia sanctæ Virgines & Deo deuotæ magis Christo vacantes pro vniuerso populo debent orare, quàm corporalia conuiuia præparare.

xxxviii. Si quis verò germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem, aut sibi cognitam videre voluerit, præsente Formaria, vel qualibet Seniore, ei conloqui non negetur.

xxxix. Abbatissa, nisi inæqualitate aliqua, aut infirmitate, vel occupatione compellente, extra congregationem penitus non reficiatur.

XL. Illud ante omnia te, Sancta Mater, & te venerabilis, quæcumque fueris, Præposita, etiam cuicumque cura committenda est infirmarum: Primiceria etiam vel Formaria, admoneo & contestor, vt vigilantissimè consideretis, vt si sunt aliquæ de Sororibus, quæ pro eo quod aut delicatius nutritæ sunt, aut defectionem forsitan stomachi frequentius patiuntur, & si quæ reliquæ abstinere non possunt, aut certè cum grandi labore ieiunant, si illæ propter verecundiam petere non præsumunt, vos eis iubeatis à Cellerarijs dari, & ipsis vt accipiant ordinetis. Et certissime confidant, quicquid dispensante, aut iubente Seniore qualibet hora percipient, in illa repausatione Christum accipient. Celleraria vero, & illa quæ infirmis seruitura est, super omnem sollicitudinem cura illis & diligentia infirmarum, coram Deo & Angelis eius denũtietur. Hoc etiam moneo, vt propter nimiam inquietudinem, ad ianuam Monasterij quotidianæ vel assiduæ eleemosynæ non fiant, sed quod Deus dedit vt possit vsibus Monasterij remanere, Abbatissa per Prouisorem ordinet pauperibus dispensari.

XLI. Ante omnia obseruandum est, vt si suæ filiæ aliquis vel aliqua necessitudine ad se pertinenti vestimenta vel aliquid aliud dederit siue transmiserit, non occultè accipiatur, pro qua re omnibus quæ ad posticium obseruauerint, contestor coram Deo & Angelis eius, vt nihil de Monasterio permittant dari, vel à foris in Monasterio adquiescant excipi contra conscientiam, vel consilium Abbatissæ. Tamen si Abbatissa, vt adsolet, cum salutatoribus occupata fuerit, Posticiariæ Præpositæ ostendant quodcumque exhibitum fuerit. Quam rem si implere neglexerint, & illæ Posticiariæ quæ permittunt, & illæ quæ excipiunt, non solum districtionem Monasterii grauissimam sustinebunt, sed propter transgressionem sanctæ Regulæ, causam se mecum ante Deum nouerint esse dicturas. Ipsum vero quod transmissum fuerit, si illi opus ad vsus suos fuerit, ipsa habeat: si vero illa nihil indiget, commune redactum cui est necessarium præbeatur, propter illud Domini mandatum,

Qui

*Qui habet duas tunicas det non habenti.* Indumenta vero ipsa cum noua accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, Abbatissa refundat pauperibus aut incipientibus vel iunioribus dispensanda. Omnia vero indumenta simplici tantum & honesto colore habeant. Nunquam nigra, non lucida, sed tantum laïa vel lactina, in Monasterio per industriam Præpositæ, vel sollicitudinem lanipendiæ fiant, & à Matre Monasterii quomodo cuique rationabiliter necesse fuerit dispensentur. 1.Luc.3.

XLII. Tinctura in Monasterio nulla alia fiat, nisi vt supra dictum est laïa & lactina, quia aliud humilitati virginum non oportet. Lectualia vero ipsa simplicia sint: nam satis indecorum est si in lecto Religioso stragula secularia aut tapetia picta resplendeant. Argentum in vsu vestro non habeatis absque ministerio oratorij.

XLIII. Plumaria & acupictura & omne polymitum vel stragula, siue ornaturæ, nunquam in Monasterio fiant. Ipsa etiam ornamenta in Monasterio simplicia esse debent, nunquam plumata, nunquam holoserica, & nihil aliud in ipsis nisi cruces aut nigræ, aut lactinæ tantum opere sarsurio, de pannis aut linteis apponantur: nam nec vela cerata appendi, nec tabulæ pictæ affigi, nec in parietibus vel cameris vlla pictura fieri debet, quia in Monasterio, quod non humanis, sed spiritualibus tantum oculis placet, esse non debet. Si vero aliqua ornamenta, vel à vobis, vel ab aliquo de fidelibus Monasterij collata fuerint, aut in vsibus Monasterij profutura vendantur, aut sanctæ Mariæ Basilicæ, si necesse fuerit deputentur. Acupictura nunquam nisi in mappulis & Britergijs, in quibus Abbatissa iusserit, fiant. Nulla ex vobis extra iussionem Abbatissæ præsumat Clericorum, siue laicorum, nec parentum, nec cuiuscumque virorum, siue mulierum extranearum vestimenta aut ad lauandum, aut ad consuendum, aut ad reponendum, aut ad tingendum accipere sine iussione Abbatissæ, ne per istam incautam & honestati inimicam familiaritatem fama Monasterij lædi possit. Quæcumque autem hoc obseruare

 noluerit,

noluerit, tanquam si crimen admiserit, ita districtione Monasterij feriatur.

XLIV. Te vero sanctam & venerabilem Monasterij matrem, & te Præpositam sanctæ Congregationis, coram Deo & Angelis eius admoneo & contestor, vt nullius vnquam vel minæ, vel obloquutiones, vel blandimenta molliant animum vestrum, vt aliquid de sanctæ ac spiritualis Regulæ institutione minuatis. Credo tamen de Dei misericordia, quod non pro aliqua negligentia reatum incurrere, sed pro sancta & Deo placita obedientia ad æternam beatitudinem possitis feliciter peruenire.



## RECAPITVLATIO.

CVM Deo propitio in exordio institutionis Monasterij vobis Regulam fecerimus, multis tamen postea vicibus ibi aliquid addidimus, vel minuimus: pertractantes enim & probantes quid implere possitis hoc nunc definiuimus, quod & rationi & possibilitati & sanctitati conueniebat. Quantum enim diligenti experimento capere potuimus, ita Deo inspirante temperata est Regula ipsa, vt eam cum Dei adiutorio ad integrum custodire possitis, & ideo coram Deo & Angelis eius contestamur, vt nihil ibi vltra mutetur aut minuatur. Pro qua re quascumque scedas prius fecerimus vacuas esse volumus, hanc vero in qua manu mea recapitulationem scripsi sine vlla diminutione rogo & moneo, vt Deo adiutore fideliter ac fœliciter impleatis, incessanter Dei adiutorium implorantes, ne vos venenoso consilio suo antiquus hostis impediat, qui de ipso cœli fastigio sibi consentientes ad inferni profunda consueuit abstrahere. Vnde sanctæ & Venerabiles filiæ moneo, vt omni virtute & vigilantissima sollicitudine suggestiones illius repellere studeatis, & sic cum Dei adiutorio currite,

rite, vt apprehendere valeatis, quia non qui cœperit, sed *qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit*, & licet credam quod ea quæ superius scripta sunt, sancta pietas vestra & semper memoriter teneat, & Christo auxiliante non solum fideliter, sed etiam feliciter implere contendat, tamen vt ea quæ constituimus sancto cordi vestro tenacius valeant inhærere, istam paruulam recapitulationem, quam manu mea scripsi, fieri volumus, quam rogo, vt Deo inspirante,& libenter accipere, & iugiter studeatis cum Dei adiutorio custodire. Matt. 24.

I. Hoc enim est quod specialiter absque vlla diminutione à vobis volumus obseruari, vt nulla ex vobis vsque ad mortem suam de Monasterio egredi, vel de ipsa Basilica in qua ianuam habetis, aut permittatur, aut per se ipsam præsumat exire.

II. Vt nulla cellam peculiarem habeat,vt familiaritatem, aut quamlibet societatem nec cum Religiosis, nec cum laicis seu viris seu mulieribus secretam habeat.

III. Nec sola cum solo loqui vel momento temporis permittatur, nec vestimenta eorum ad lauandum vel tingendum, aut ad custodiendum vel consuendum accipiat: & sicut in ipsa Regula cõstituimus,nec quicquam ab intus occultè foris transmittere, aut à foris intus excipere audeat.

IV. Nulla aliquid proprium nec foris possideat, nec intus habeat, nec ad ordinationem suam aliquid referuet, sed, sicut superius diximus, chartis cui voluerit factis, ab omni impedimento sit libera, propter illud quod Dominus ait: *Si quis non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Luc. 14.
Et illud, *Si quis vult venire post me abneget semetipsum sibi*. Qui semetipsum sibi iussus est abnegare, qua fronte præsumit sibi aliquid de impedimentis mundi istius referuare? & non magis quod scriptum est contremiscit, quia *impedimenta mundi fecerunt nos miseros?* Et illud Apostoli diligenter attendite, *Volo*, inquit, *vos sine sollicitudine esse*. Et hæc fideliter obseruans secura conscientia dicat; *Mundus crucifixus est mihi, & ego mundo*. Matt. 16. 1.Cor. 7. Gal. 6.

Et

Philip. 3. Et illud, *Omnia arbitratus sum vt stercus, vt Christum lucrifaciam.*

v. Conuiuium nec Episcopo istius ciuitatis, nec alterius, nec vlli virorum, sicut in hac Regula statuimus, præparetur.

vi. Epistolæ nullius hominum, etiam nec parentum, occultè accipiantur, aut sine permissu Abbatissæ vlli qualescunque litteræ transmittantur.

vii. Moneo specialius, vt sicut iam diximus, vestimenta lucida, vel nigrà, vel cum purpura, vel bebrina, nunquam in vsu habeant, nisi tantum laïa & lactina, capita nunquam altiori ligent quàm in hunc locum mensura de incausto fecimus. Omnia opera in commune faciant.

viii. Quæcumque ad conuersionem venerit in Salutatorio ei frequentius Regula relegatur, & si prompta & libera voluntate professa fuerit se omnia Regulæ instituta complere, tamdiu tibi sit quamdiu Abbatissæ iustum ac rationabile visum fuerit: si vero Regulam dixerit se non posse complere, penitus non excipiatur.

ix. Ianua Monasterij nunquam extra Basilicam cum vestra voluntate, aut cum vestro permissu fiat, & vespertinis & nocturnis ac meridianis horis nunquam pateat, ita tamen vt ipsis horis quando reficitur, claues apud se Abbatissa habeat.

x. Ipsa tamen Abbatissam sanctæ Congregationis, cui nihil possidere licet, aut aliquid peculiare habere permittitur Deo medio contestor, vt in quantum possibilitas fuerit, quæ necessaria sunt suis Sororibus prouident.

xi. Plumariæ & ornaturæ, & vestimenta purpurea, & omne poly[illegible]itum nunquam in Monasterio fiat, propter illud A-
2. Tim. 2. postoli: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit.*

xii. Quoties sancta Abbatissa ad Deum migrauerit: nulla ex vobis carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro parentela aliquam minus efficacem fieri velit, sed omnes, Christo inspirante, vnanimiter sanctam spiritalem eligite, quæ & Regulam Mona-

Monasterij possit efficaciter custodire, & superuenientibus responsum cum ædificatione & compunctione, & cum sancto affectu sapienter valeat reddere, vt omnes homines, qui vos cum grandi fide, & reuerentia pro sui ædificatione expetunt, Deum vberius benedicant, & de vestra electione, & de illius quam eligitis conuersatione spiritualiter gratulentur.

XIII. Et licet, sanctæ filiæ, & vnica mihi in Christo charitate venerabiles, de sanctæ pietatis vestræ obedientia sim securus, tamen pro paterna solicitudine, quia vos Angelis desidero esse consimiles, iterum atque iterum rogo, & per omnipotentem Deum vos contestor, vt nihil de sanctæ Regulæ institutione minui permittatis, sed totis viribus eam custodire auxiliante Domino laboretis, scientes quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et hoc ante omnia rogo, vt admonitionem nostram non transitoriè accipiat sanctitas vestra, quia non ex nostra præsumptione loquimur, sed secundum quod in scripturis Canonicis legitur, & antiquorum Patrum libris abundantissimè continetur, vos cum grandi affectu, & cum vera charitate salubriter admonemus, & quia legitis quod, *Qui vnum mandatum minimum neglexerit, minimus vocetur in regno cœlorum*, nolite humilitatis nostræ verba quasi minima despicere, propter illud quod scriptum est, *Qui vos spernit me spernit*. Et illud, *Qui spernit modica paulatim defluit*. Quomodo enim in quocumque carnali certamine tantum vnusquisque abiectior erit, quantum minor & infirmior persona superauerit, ita & in spirituali certamine in eum qui negligens fuerit in minimis, implebitur illud quod scriptum est, *Qui vniuersam legem seruauerit, offendat in vno factus est omnium reus*. Hoc enim ego cum grandi non solum timore, sed etiam tremore cogitans, dum pauescit animus meus, ne vobis vel aliqua peccata minuta subrepant, non solum admoneo, sed supplico pariter & contestor, & cum grandi charitatis affectu adiuro, sic in illam æternam beatitudinem ad consortium Angelorum, omniumque Sanctorum sine confusione

Matth. 5.
Luc. 10.
Eccl. 19.
Iacob. 2.

fusione venire simul & cum sancta Maria vel cum omnibus reliquis Virginibus coronas gloriæ accipere, & cœlestem agnum sequi vos feliciter videre promerear, vt toto corde & toto animo mandata superius comprehensa studeatis implere, per quę ad æterna præmia possitis fœliciter peruenire.

XIV. Illud etiam, quod non credo, nec Deus pro sua misericordia fieri patietur, si quocumque tempore quælibet Abbatissa de huius Regulæ institutione aliquid immutare aut relaxare tentauerit, vel pro parentela, seu pro qualibet conditione subiectionem vel familiaritatem Pontifici huius ciuitatis habere voluerit, Deo vobis inspirante ex nostro permissu in hac parte cũ reuerẽtia & grauitate resistite, & hoc fieri nulla ratione permittatis, sed secundum sacrã sanctissimi Papæ vrbis institutionẽ Romæ, vos auxiliante Domino munire in omnibus studete. Præcipuè tamen de infra scripta recapitulatione, quam manu mea scripsi atque subscripsi, contestor vt nihil penitus minuatur. Quæcumque enim Abbatissa, aut quælibet Præposita aliquid contra sanctæ Regulæ institutionem facere tentauerint, nouerint se mecum ante tribunal Christi causam esse dicturas. Et si forte, quod Deus non patiatur, fuerit aliqua de filiabus nostris tam pertinax animo, quæ huius Regulæ recapitulationem salubriter, & secundum institutionem Sanctorum Patrum scriptam implere contemnat, à sanctæ Congregationis vestræ conuentu eam accensæ zelo sancti Spiritus remouete, & tamdiu in cella Salutatorij sit remota, quamdiu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat, & donec ad Regulæ instituta se corrigat, intus non regrediatur. Hæc ideo dicimus quia timendum est ne dum vnius negligentia palpatur, & secundum Regulam non corrigitur, aliæ, quæ proficere poterant, vitientur, sed credimus de Dei misericordia, quod dum & vos sanctæ spiritaliter agitis, & eas quæ negligentes sunt cum vera charitate corrigitis, feliciter, ac pariter ad æterna præmia veniatis præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

XV. Ie-

XV. Ieiunium à Pentecoste vsque ad Kalendas Septembris quomodo virtutem vel possibilitatem viderit Mater Monasterij, sic studeat temperare, à Kalendis Septembris vsque ad Kalendas Nouembris secunda, quarta, & sexta feria ieiunandum est. A Kalendis vero Nouembris vsque ad Natalem Domini, exceptis festiuitatibus vel Sabbato, omnibus diebus ieiunari oportet. Ante Epiphaniam ieiunandum septem diebus. Ab Epiphania vero vsque ad hebdomadam Quadragesimæ, secunda, quarta, & sexta ieiunandum est. Natale Domini & Epiphaniorum ab hora tertia noctis vsque ad lucem vigilandum est.

XVI. Ordinem etiam conuiuij huic Regulæ inserendum esse credidimus, Cibaria omnibus diebus in ieiunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur. In festiuitatibus maioribus ad prandium, & ad cœnam fercula addantur, & recedentibus de ea dulciamina addenda sunt. Quotidianis vero diebus ad prandium in æstate binos caldellos, in hyeme ad prandium binos caldellos. Ad refectionem ternos caldellos accipient. Ad cœnam vero bini caldelli sufficiunt. Iuniores vero ad prandium, ad cœnam, ad refectionem binos accipiant.

XVII. Pulli vero infirmis tantummodo præbeantur, nam in congregatione nunquam ministrentur. Carnes vero à nulla vnquam penitus in cibo sumantur, si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, iubente prouidente Abbatissa accipiat.

XVIII. Vos tamen, pijssimæ Sorores, coram Domino Deo obtestor & deprecor, vt humilitati meę vel sanctarum Matrum vestrarum, id est institutoribus Regulæ & Monasterij conditoribus, hanc in perpetuum gratiam referatis, vt pro nobis diebus ac noctibus intercessio vestræ charitatis inuigilet, publica oratione vel in diurnis solemnitatibus, vel in nocturnis excubijs deprecatio vestrę sanctitatis obtineat, vt ascendens ad conspectum Domini deprecatio vestra dignum vel me Ecclesiæ suæ Pontificem, vel illas seruitio sanctarum virginum consti-

tuat & concedat esse Præpositas, & cum ante tribunal illius cœperimus creditorum talentorum reddere rationem, si quæ sunt culpæ vel negligẽtiæ siue meæ erga curam Ecclesiæ, siue matrũ vestrarum erga sibi creditas, intercessu vestro Dominus nobis remittere, & culparum vulnera remissionis medicina sanare dignetur. Quia nec emendantur culpæ, nisi Sanctorum orationibus ille remiserit, nec remittit nisi fuerint emendatæ.

XIX. Et quia propter custodiam Monasterij aliqua ostia siue in veteri baptisterio siue in schola, vel textrino, aut in turre iuxta pomarium clausi atque damnaui, nullus illa vnquam sub qualibet vtilitatis specie aperire præsumat, sed liceat sanctę Congregationi resistere, & quod famæ, vel quieti suæ incongruum esse cognoscunt, fieri non permittant.

XX. Celleraria Monasterij eligatur de Congregatione sapiens, maturis moribus, sobria, non multum audax, non elata, non turbulenta, non iniuriosa, non prodiga, sed timens Deum, & omnem congregationem, sicut mater curam gerat de omnibus. Sine iussione Abbatissæ nihil faciat, quæ ei iubentur custodiat, Sorores non contristet. Si qua forte soror ab ea aliqua irrationabilia postulat, non spernendo eam contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illud Apostolicum,
1. Tim. 3. quod *qui bene ministrauerit gradum sibi acquiret*. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperum cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his omnibus in die iudicij rationem reddituræ est. Omnia vasa Monasterij cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum, neque auaritiæ studeat, neque prodiga sit extirpatrix substantiæ Monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatissæ, humilitatem ante omnia habeat, & cum substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbatissa, ipsa habeat

habeat

habeat ſub cura ſua, à quibus eam prohibuerit, non præſumat. Sororibus conſtitutam annonam ſine aliquo verbo vel mora offerat, vt non ſcandalizentur. Memor diuini eloquij, quid mereatur, qui ſcandalizauerit vnum de puſillis. Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur quibus adiuta ſit, & ipſa æquo animo impleat officium ſibi commiſſum. Horis competentibus dentur quæ danda ſunt, & petantur quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, & contriſtetur in domo Dei.

XXI. Ad portam Monaſterij ponatur Soror ſenex, ſapiens, quæ ſciat reſponſum accipere & reddere, cuius maturitas non ſinat eam vagari. Quæ Portanaria, Cellam debet habere iuxta portam, vt venientes ſemper præſentem inueniant, à qua reſponſum accipiant, & mox vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias, reſpondeat, & benedicat cum omni manſuetudine timoris, reddens reſponſum feſtinanter cum feſtinatione & feruore caritatis. Quæ Portanaria ſi indiget ſolatio iuniorem Sororem accipiat. Amen.



## OBSERVATIONES

*Franciſci Meinardi Anteceſſoris Pictauenſis ad Regulam Sancti Cæſarij.*



EG. 32, *Poſticiariæ,*) Poſticiariæ dici videntur quæ ſeruiunt, ac res Monialium in poſticio curant. Poſticium verò, ſiue poſticum, ſiue poſtica, ſiue poſticula duo ſignificat, vel ianuam poſticam, vnde in Gloſſ. vett. Poſticium παράθυρα, παραθύριον, vel poſteriorem domus partem, quo ſenſu in Onomaſtico *Poſticula* vertitur ὀπισθόδομος. Sic *Poſtica domus* apud Nonium ex Varrone in verbo, *Poſticam*. Sic *Poſtica pars* palatij apud Suetonium in Oth. c. 6. Regula 36. *de arcellis.*) id eſt capſulis, ciſtellis, armariolis, & ſi-

& similibus repositorijs. Nam vt à cista dicitur cistula & cistella, sic ab arca, arcula & arcella, vnde in Glossario veteri, *Arca & arcella*, redditur Κυβωτὸς, Σωρὸς Κάμπλεξ Λάρναξ. Lege Festum in verbo, Arca.

Reg. 36, *Præsuriolis*.) Rectius scriberetur, pressoriolis. Sunt autem pressoriola siue pressoria, quibus vestes comprimuntur ac seruantur, vt apud Ammianum Marcellinum lib. 28. *Solitas pressorijs vestes, &c.* Glossæ veteres, Pressorium, πιεστήριον. Sed hic pressoriola non sumuntur tam augustè.

Reg. 36. *Regestoria.*) Regestoria hic significat eam quæ curam habet registoriorum, id est arcellarum & pressoriorum, quibus reliquiæ ciborum, vel alia ad victum necessaria concluduntur, vt apud Gregorium Turonensem lib. 6. histo. cap. 11, Domos Ecclesiæ apprehendunt, ministeria describunt, regestoria reserant, promptuaria expoliant.

Reg 39. 42. *Canauariæ*.) Canauariam accipe vinipromam, siue quæ cellæ vinariæ præest. Illis enim temporibus canaua cœpit vsurpari pro cella vinaria, vt patet ex lemmate Epigrammatis 43. apud Ennodium Episcopum Ticinensem, quod ita conceptum est, *ante Canauam*, deinde sequitur Tetrastichon his verbis:

*Sobria cella cadis vinum quod seruat onustis,*
*Corpora confirmat gressibus acta suis.*
*Infundunt multis irarum pocula flammas:*
*Mitescunt nostro bellica corda mero.*

Sanctus Augustinus etiam in neutro genere *canauum*, vel *canabum*, dixit Sermone 61. *De horreo canabo vel cellario proferre non possumus, &c.*

Reg. 61. *Opere sarsurio.*) Vtitur etiam hac voce Gregorius Turonensis lib. 2. histor. cap. 16. vbi de Ecclesia quam Sanctus Namatius Auernorum Episcopus extruxit, *Parietes*, inquit, *ad altarium opere sarsurio ex multo marmorum genere exornatos habet.* Sarsurium à sarsura, quæ vox vsitata Varroni lib. 3. de re rust. descendit à sarcio. Veteres enim sartum & sarsum dicebant, vt

notat

notat Turnebius in Aduerſar. c. 22, lib. 24. Et videtur *opus ſarſurium* in veſtibus, eſſe opus ſimplex, ſine acus pictura, vel textura Phrygionum, nihil habens præter manum ſartoris: in ædificijs item videtur opus ſimplex, inelaboratum, artificio Dorico, Ionico, vel alio ſimili carens, ſolius ſartoris, vel ſarcitatoris opera contentum, & abſolutum. *Sarcitator, qui tecta ſarcit*, Iſidorus in Gloſſis.

Reg. 61. Mappulis & ſacitagis.) Legendum ſine dubio, *&* *facitergijs*, vt mox conſtabit. *Mappula eſt, quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus*, inquit Albinus Flaccus li. de Diuin. Offic. cap. 37. Arnob. lib. 2. *muccinium* appellat. Quibus mappulis, & muccinijs ſimilem præbebant vſum Senatoribus Odonaria, ſiue Odonia, ſiue oraria de quibus ita Gloſſæ Baſilικῶν. Ὀδονάρια δὲ ὀδόνια ὑφάσματα ἐπιμήκη, ἃ καὶ ὀράρια παρά τινων λέγονται, ταῦτα δὲ οἱ εἰς τὸ παλάτιον εἰσιόντες συγκλητικοὶ ἐπιφερόμενοι οἱ ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπομύττοντο καὶ ἀπέπτυον, id eſt, Odonaria & odonia textilia oblonga quæ & oraria nonnullis dicuntur; hæc autem Senatores Palatium intrantes deferebant, ijſq; mucum & ſputum excipiebant. Quem de orarijs locum miror à viris doctis prętermiſſum ad Vopiſci Aurel. vbi rectè notāt hæc oraria non eſſe confundenda cum orarijs Diaconorū, adde nec cū orarijs maiorū ordinū de quibus Alb. Flac. d. c. 37. & Walfridus Straboli. de reb. Eccleſ. c. 10. mappulis diſtinguntur facitergia ſeu facitergiæ quibus faciei ſudores, vt manutergia quibus manuum ſordes abſterguntur, vnde *facitergium & manutergium, vel à tergendo faciem vel manus vocatum*, vt eſt in Gloſſis Arabicolat. Hæc omnia confirmari poſſunt verbis inſtrumenti veteris quod Adalberonis Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopi donationem S. Galli Monaſterio factam anno Chriſti 908. continet: Nam inter alia donaria *palliolum etiam caſulamque precioſi generis nec non & albam cum cingulo, ſtolaque & mappula cunctis his auro perfectis eidem applicuit aræ*, & paulo poſt in eod. inſtrumento. *Pulpitum etiam facitergula cocco imaginata circundari iuſſit*. Et rurſus ibidem, *ſed & foris oſtium refe-*

*ctorij*

*storij eiusdem texturæ manutergiæ sunt hinc & inde suspensa, &c.* Vt est apud Melchiorem Goldastum Antiquitatum Alamannicarum Tom. 2. part. p. 181. & 182.

Reg. 7. Recapit. *Vestimenta cùm purpura.*) Distinguendum inter vestimenta corporis, & vela capitis. Nam in vestimentis purpura prohibetur, in velis prohibita non videtur, saltem in Africa & Hispania. De castimonialibus Africanis probatur verbis Optati Mileuitani li. 6. *Nec vlla,* inquit, *sunt præcepta coniuncta, vel de qua lana mitella fieret, vel de qua purpura pingeretur, non enim panno hoc potest virginitas adiuuari, &c.* De Hispanis hoc idem ostenditur Concilij Toletani 10. c. 4. *Pallio purpureo vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ religionis, &c.* vt quasi regalis purpuræ coronamento Regis æterni sponsa denotetur.

Reg. 7. Recapit. *Bebrina.*) Vox infrequens & obscura, quæ multos etiam eruditos torsit. Ego sic explico perspicuè, & fidenter aio Bebrina significari pellem Castorinam, quia Castorem seu fibrum, alio nomine vocari *Bebrum* docet nos vetus Scholiastes Iuuenalis ad illud Satyr.

——— *imitatus Castora, qui se*
*Eunuchum ipse facit* ———

*Castorem*, inquit, *Bebrum dicit, qui cum viderit se obsideri, & non posse euadere, testiculos suos morsu auulsos proijcit.* Idemque Scholiastes, *Bebrum, & Bebrinas pelles,* sic appellari scribit à Bebriaco Ponti oppido ad illud Saty. 2. *Ille tenet speculum, &c.* Sed malè confundit Bebriacum Italiæ vicum, cum Bebricio Ponti tractu in quo frequentes sunt Castores, vnde *canes* Pontici quoque dicuntur, vt tradit Seruius ad illud Virgilij 1. Georg. *Virosaque Pontus Castorea.* Hinc intelligi potest Isidorus in Glossis dum *Castorinum* interpretatur *Vebrinum*, id est Bebrinum. Ratio autem cur vestes Bebrinis pellibus ornatæ sacris virginibus interdicantur, est, quod eius æui Clerici, cæterique Deo dicati viri ac virgines, eò luxus & lasciuiæ deuenerant, vt pelles castorinas in habitu præferentes laïcorum nobilium ac procerum

cerum delicias æmularentur. Qua de re valde conqueritur S. Ambrosius li. de Dignitate Sacerdotali cap. 4. *Castorinas*, ait, *quærimus, & sericas vestes, &c.*

Reg. 7. Recapit. *Incausto.*) Trifariam hæc dictio scripta reperitur, Encautum, Encaustum, & Incaustum mutata literula e in i, quæ mutatio familiaris est in Græcolatinis, vt ἐντός intus, & similibus: Sic ἐγκαυστὸν incaustum. Est autem encaustum vel incaustum iuxta primariam significationem, liquor purpureus ex ardore cocti muricis ac triti conchylii præparatus, quo Bizantini Principes suis rescriptis, *subscriptionem purpuream* subijciebant li. 6. Cod. de Rescript. quam Nicephorus Gregoras li. 4. vocat ὑπογραφὴν δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων, id est, *Subscriptionem rubris literis expressam.* Postea deflectens à significatione primaria cœpit vsurpari pro atramento, vt obseruari potest apud S. Augustinum cap. vlt. li. 13. contra Faustum, & apud Isidorum in Glossis, vbi sic *Incaustum, Sepia, Persius*, per sepiam intelligens atrum sepiæ cruorem, qui atramenti scriptorij vsum præbet, vt in illo Persij versu Sat. 3. *Nigra quod infusa vanescat sepia limpha.* Iubentur ergo sanctimoniales hoc Regulæ præcepto religare caput ac crines ad certam altitudinis mensuram, quæ incausto, id est, atramento in pariete vel alio loco præscripta ac deformata erat, ne si caput altius ædificent more sæcularium fœminarum, turrito capite ac coma vanam gloriam aucupari videantur. Ex his obiter notandum virgines Deo mancipatas eo tempore non fuisse tonsas in Gallia, quemadmodum nec in Italia, cum sanctus Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 8. tantum post lapsum capillos desecari velit in pœnitentiæ signum. *Amputentur*, inquit, *crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.* Imo nec in Africa, vt patet ex Optati li. 6. contra Parmenianum, & ex regula Monacharum quam præscribit eis S. Augustinus epist. 109. *Capillos*, ait, *ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia; vel componat industria, &c.* Idem in Synodo iussione Apostolica sub Carlomanno habita anno 742. li. 5. Capitular. Caroli

Magni & Ludouici cap. 2. *Similiter & nonnanes velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum.* Olim in Syria & Ægypto tondebantur, non tamen ex ritu religionis, sed ad munditiem capitis, teste sancto Hieronymo epist. 48.

Reg. 16. Recapit. *addendæ sunt.*) hic locus transcribendo corruptus ita videtur sanandus, *& recedentes de dulciamine augendæ sunt*, vt velut auctarij loco dulciaminis aliquid accipiant à prandio vel cœna recedentes. Sic in Regula sancti Pachomij nume. 17. dulciamina pro cibis dulcibus ac delicatis, & apud EKκehardum iuniorem de casibus Monasterij S. Galli cap. 10. *Dulciaminum autem cum esset auida, &c.* Veteres Glossæ Græcolat. γλυκωπεῖον exponunt dulciarium, cuius artifices Latinè dulciarij vocantur.

CAPVT



## CAPVT XXXIII.

*Institutio Ordinis SSS. Trinitatis de Redemptione Captiuorum: eiusque* REGVLA, *tum antiqua tum moderna.*



TATE Innocentij III. Romani Pontificis, pietatis feraci, Ordo sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captiuorum initium cepit, auctoribus *Joanne de Matha* ex Prouincia oriundo, & *Felice* Anachoreta Valesiensi. Hic Ioannes D. Theol. Parisiensis, tædio vitæ sæcularis affectus, odio mundum habuit: vnde initiatus sacerdotio meruit consolationem accipere diuinitus, dum se Angelus veste candida indutus, & cruce bicolori insignitus videndum præbuit. Eam autem visionem boni ominis nunciam interpretatus, secessit ad eremum: vbi *Felix* vitam solitariam agebat, in loco qui *Ceruus Frigidus* dicitur, eò quòd ad collis radicem fons scaturiat limpidissimus, ad quem ex finitima silua solitus erat venire ceruus candidissimus refrigerandi se causa: vnde & locus dictus est Ceruus Frigidus. In eo loco per triennium egit cum Felice Ioannes, pari & consentiente in bonum animo. Interim diffundebatur suauis odor nominis eorum, & ad se venientibus salutis pabula verbo & opere ministrabant. Sed in ea viuentes libertate absque definita Regula, & legitimis institutis, timentes errorem posse contingere, dum concupiscentiæ non resistitur, dum sibi quisque lex est, ter in somnis à cælesti nuncio admonentur, vt Rom. adirent Pontificem, accepturi certam vitæ Regularis normam. Pergunt igitur per duram hyemem feruentes charitate sancti viri, ad Summum Pontificem Innocentium huius nominis

*Ex Annalibus Galliæ Roberti Gaguini, alijsq; huius Ordinis Originem fusè describit Iacobus Burghesius Prouincialis Belgij Minister, in Statutis eiusdem, Duaci excusis, an. 1586.*

III. omnium religionis Monasticæ amantium dulce asylum: quem cum conuenissent, simili eum reuelatione honoratum cognouerunt. Quamobrem benignissimè ab eo excepti sunt hospitio, ad V. vsque Kal. Febr. cum dies festus Agnetis secundò agitur. Tum Pontifex rem diuinam faciens, dum S. Eucharistiam circunstantibus ostendit, Angelum Dei videt multo candore fulgentem cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tamquam eos commutaret. Huic Angelo crux rubri, & azurei, seu cærulei coloris ad pectus eminebat:



Quo viso, & re diuina confecta, Anachoretas ad se vocans; *Jam*, inquit, *filioli, aduerto Dei spiritu vos duci: dabo vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit, respondentia, & eritis primitiæ Pontificatus nostri, quos diuina bonitas vult noui, & sacri Ordinis esse auctores*. Consutis igitur tunicis, Ioannem & Felicem candidis vestibus decorauit, superaddita cruce, qualem Angelus ostendisset: additque nouo ordini titulum *de Trinitate & Redemptione captiuorum*, declarans primò in vestimentis eorum tres reperiri colores; album, qui Patrem Deum repræsentat, qui principium est sine principio, vt albedo extremus est color, nulli alieno colori permixtus; & secundum, qui azureus seu cæruleus est color, denigrationem & obfuscationem referens, Christum significat, cuius

cuius caro cruciatu & dolore fuit contusa & denigrata. Tertium verò colorem rubeum, qui quidem ardorem significat, & Spiritum sanctum exprimit, qui ignis est, & flammam inspirat cordibus credentium. Admonuit eos præterea his verbis: *Candor, ô filioli, conscientiæ puritatem atque munditiem, qua fulgere vos decet, exprimit; crux verò qua parte rubea est, feruorem charitatis in Deum signat; altera autem, quæ contusa carni similis est, Christi passionis memoriam præ se fert: vt nostræ redemptionis ab inferis memores, perseuerante metu Deum diligatis atque colatis. Quos verò Angelus dextra sinistráque inuicem commutare videbatur, eos puto repræsentationem facere liberandorum captiuorum, quos Christum imitantes postea redempturi estis: vt pretio Redemptionis dato, Christianos è Saracenorum manibus, ac seruitute eximatis, vel aduersæ legis hominē pro eo, qui Christianæ fidei professor est, commutetis.* Et quia festo die (vt diximus) B. Agnetis Martyris, quæ bona sua trifariam distribuerat, visio contigerat, voluit summus Pontifex fratres ordinis bona, quæ deinceps possiderent, in tres partes diuidere; ita vt vna esset ad fratres alendos, qui cultui diuino inseruirent; altera ad hospitio excipiendos Christi pauperes reponeretur, & tertia pars in redemptionem captiuorum detentorum ab infidelibus seruaretur. Atque idcirco Monachos Ordinis S. Trinitatis de Redemptione captiuorum voluit appellari. Constructo autem non longè à Laterano in monte Cœlio Romæ Monasterio, & S. Trinitati dicanda Ecclesia (in cuius porticu videtur adhuc visionis supradictæ simulacrum effigiatum) iussit idem Pontifex, vt *Ioannes Matha*, (remiserat enim *Felicem* Anachoretam in Gallias ad dicti Ordinis propagines dilatandas, pro nominis diuini gloria & humanæ salutis augmento) ibidem Deo deseruiret cum Fratribus assumptis. Eam ob rem concessit illi sancto viro eiusque successoribus regularem vitam obseruantibus Ecclesiam *Sancti Thomæ, & S. Michaëlis de Formis*, sic dictam, quòd non longè à formis, id est, aquæ ductibus sita sit in monte Cœlio, cum possessionibus, & omnibus alijs eò

 perti-

pertinentibus, nec non Ecclesiam *S. Saluatoris* (vt habet confirmatio Honorij III. Pontificis Romani, adseruata in Bibliotheca Vaticana) sitam in loco, qui dicitur mons Sanctus, ad castrum Verelatense, in diœcesi Spoletana, cum omnibus eò pertinentibus, & in diœcesi Tudertensi Ecclesiam *B. Mariæ de Lantano*, cum omnibus eò pertinentibus; in diœcesi Aniciensi Ecclesiam *S. Trinitatis*, iuxta Castrum Albani, cum omnibus eò pertinentibus; in Vrbe Ecclesiam *S. Isidori*, & totum Montem maiorem post Absidiam; item plures alias possessiones, quas recenset dicta confirmatio Honorij Pontificis, qui vt prædecessor eius Innocentius tertius, omnes dictas Ecclesias, & Fratres inhabitantes eas, sub B. Petri, & sua protectione suscepit. In hoc autem Monasterio cùm sanctè & regulariter vixisset *Ioannes Matha*, primus maior Minister, per sexdecim annos, mortuus est & sepultus, vt habet eius Epitaphium insculptum marmori sepulchri testudinati & extructi in dextra parte minoris Ecclesiæ. Maior enim omninò discooperta est, & semidiruta in monte Cœlio. Ea autem sunt Epitaphij verba: *Anno Dominicæ Incarnationis* M. C. XCVII. *Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ* III. *anno primo, xv. Kal. Ianuarij institutus est nutu Dei, Ordo sanctissimæ Trinitatis à fratre Ioanne, sub propria Regula sibi ab Apostolica sede concessa. Sepultus est idem frater in hoc loco anno Domini* M. CC. XIII. *Decemb.* XXI.



# REGVLA.

| *PRIMARIA.* | MITIGATA. |
| --- | --- |
| 1 IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Fratres domus Sãctæ Trinitatis, sub obe- | 1 *IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Fratres domus Ordinis Sãctæ Trinitatis &* |

*& Captiuorum, sub obedientia Prælati domus suæ (qui* MINISTER *vocabitur) in castitate sine proprio viuant.*

2. *Qui Fratres extra domos suæ professionis mitti non valeant, nisi pro scandalis manifesta pœnitentiâ indigentibus, & pro alleuiatione domorum suarũ: & pro noua domo ædificanda. Et in hoc casu solo, prouideatur eis tãquam illius domus professis.*

3. *Omnes res vndecumque veniant, in tres partes diuidantur æquales. Et in quantum duæ partes sufficiunt, exequantur ex illis opera misericordiæ, cùm sui ipsorum, & eis necessariò famulantium moderata sustentatione.*

4. *Tertia verò pars, reseruetur ad Redemptionem captiuorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à paganis: vel dato pretio rationabili pro Redemptione ipsorum, vel pro Redemptione paganorum captiuorum; vt postea rationabili commutatione & bona fide, redimatur Christianus à pagano, secundum merita & statum personarum.*

5. *Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licet specialiter & propriè detur ad cer-*

dientia Prælati domus suæ, (qui MINISTER vocabitur) in castitate, & sine proprio viuant.

*Hanc Regulam Sodalibus SSS. Trinitatis praescripsit Honorius III. Pöt. Maximus.*

2.

3. Omnes res vndecumque licitè veniant, in tres partes diuidantur ęquales; & in quantũ duæ partes sufficiant, exequãtur ex illis opera misericordię; cum sui ipsorum, & eis necessariò famulantium moderata sustẽtatione.

4. Tertia verò pars, reseruetur ad Redemptionem captiuorũ, qui sunt incarcerati pro fide Christi à paganis: vel dato precio rationabili pro Redemptione ipsorum; vel pro Redẽptione paganorum captiuorũ, vt postea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Christianus pro pagano: secũdũ merita & statũ personarũ.

5. Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licet specialiter & propriè detur ad aliquid

quid, ſemper de conſenſu illius qui dederit, tertia pars ſeparetur; & aliter non recipiatur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificijs, nutrituris & huiuſmodi.

6.

7. Fructus enim inde exeuntes, deductis expenſis, ſcilicet medietate remotâ, pro expenſis, in tres partes diuidentur æquales: ſed quæ paucas vel nullas recipiant expenſas, omnes diuidantur.

8. Cum vero panni, vel calceamenta, vel minuta huiuſmodi, quibus neceſſe ſit vti, quæ vendi vel conſeruari non expedit, data fuerint; vel à ſeipſis habuerint; non diuidantur, niſi Miniſtro domus & Fratribus viſum fuerit expedire. De quibus ſingulis Dominicis diebus, ſi fieri poteſt, in capitulo deliberetur.

9. Si tamen prædicta, vt pan-

*tum vſum: ſemper de conſenſu illius qui dedit (ſi præſens fuerit) tertia pars ſeparetur: niſi donator per ſeipſum, vel procuratorem idoneum, fratrem vel alium, id in vſus domus impendat.*

6. *Si vero donator abſens fuerit, & ita commodè non poſſit eius aſſenſus haberi vel alias de eius voluntate conſtare non poſſit, vt in hoc capi via melior & tutior teneatur, rei datæ tertia pars ſeparetur, exceptis terris, pratis, nemoribus, vineis, nutrituris, ædificijs & eiuſmodi.*

7. *Fructus enim inde exeuntes, deductis expenſis, ſecundum rationabiles æſtimationes Miniſtri, & fratrum in tres partes diuidantur equales, ſed quę paucas vel nullas recipiunt expenſas omnes diuidantur.*

8. *Cum verò panni, vel calceamenta, vel minuta eiuſmodi, quibus neceſſe ſit vti, quæ vendi vel conſeruari non expedit, data fuerint, vel à ſeipſis habuerint; non diuidantur, niſi Miniſtro domus & fratribus viſum fuerit expedire, de quibus ſingulis diebus Dominicis (ſi fieri poteſt) in capitulo deliberetur.*

9. ***Si tamen prædicta, vt panni, ter-***

*ni terræ, nutrituræ, seu minuta venderentur, pretium inde proueniens in tres partes (vt supra) diuidatur.*

10. *De nemoribus autem, fœnis pratorum, straminibus agriculturarum, & fructibus arborum, hortorum, pecorum, & aliarum rerum ad vsus necessarios, licebit Fratribus accipere.*

11. *Si quid verò de prædictis vendi contigerit, vel de fructibus arborum potus fieri, tertia pars reddatur Captiuis, secundum formam superiùs annotatam.*

12. *Si domus Dei, vel quæcunque alia, à quouis licitè sub quocunque nomine Fratribus conferatur, donatoribus exponatur qualiter de bonis suis tres debeant facere portiones: & si donator voluerit, res diuidi, diuidantur: & si non, non diuidantur.*

13. *Quæ autem modò Fratribus collata sunt, secundum quod de voluntate donatorum ea receperint, liceat eis de ipsis disponere, & voluntatem donatorum pro posse suo adimplere.*

14. *Fructus verò collectos de bonis postea acquisitis, deductis expensis secundum quod de alijs supradictum est, diuidere tenebuntur.*

ni, terræ, nutrituræ, siue minuta venderentur, pretium inde proueniens in tres partes (vt supra) diuidatur.

10.

11.

12.

13.

14

15.

15. *De illis quæ in Ecclesia offeruntur, vel aliquo modo apportantur; vt vestimenta, panni sericei, oblationes, & huiusmodi, ipsi Ecclesiæ in suis necessarijs, vt libris, cera, oleo, & alijs eiusdem ornamentis prouideatur. Quod autem superet, diuidatur.*

16.

16. *Si domus, terræ, possessiones, vel alia vnde reditus prouenient, vel conseruandis fructibus sunt necessaria, calamitate aliqua vel casu destruantur; liceat Fratribus de communibus bonis in statum debitum reformare; Et hoc de consensu Ministri Maioris, vel eius Vicarij seu Visitatorum illius Prouinciæ.*

17. Omnes Ecclesiæ istius Ordinis intitulentur sub nomine SANCTÆ TRINITATIS; & sint plani operis.

17. *Omnes Ecclesiæ istius Ordinis, quas fratres sibi ædificauerint, intitulentur in nomine* SANCTÆ TRINITATIS; *& sint plani operis.*

18. Fratres possunt esse in vna cohabitatione tres clerici, & tres laici; & præterea vnus qui Procurator sit: qui nō Procurator, sed Minister (vt dictū est) nominetur vt; *Frater N. Minister domus Sanctæ Trinitatis*: cui Fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur.

18. *Fratres possunt esse in vna cohabitatione, tam Clerici quam Laici, secundum quod Ministro & Fratribus vniuscuiusque domus visum fuerit expedire: quorum vnus Procurator sit, qui non Procurator, sed Minister (vt dictum est) nominetur; vt* F.N. Minister domus Ordinis S. Trinitatis: *cui fratres repromittere & impendere obedientiam tenea̅tur.*

19. Om-

19. *Omnibus Fratribus suis, sicut sibimet, iuxta posse domus, prout vnicuique opus fuerit, Minister fideliter administret.*

20. *Vestimenta fratrum sint linea & alba, & liceat eis habere pelliceas, prout vniuscuiusque exposcit necessitas; & braccas quas iacentes non deponant.*

21. *Iaceant in laneis, ita quod plumea fulcra vel culcitras in domibus proprijs, id est, in quibus ad manendum fuerint deputati, nisi in ægritudine laborantes, & de foris venientes, & hæc extra dormitorium, minime habeant.*

22. *In alijs verò domibus sui Ordinis & alibi vbicũq;, siue in itinere, siue in peregrinatione fuerint; poterunt iacere fratres in talibus lectis, quales eis fuerint præparati, ita tamen quod tunicas non deponant.*

23. *Ceruical verò cum cossino, ad sustentationem capitis permittantur habere.*

24. *In cappis & cappucijs fratrum, imponantur signa, videlicet* CRVX IN PECTORE *cuius brachium quod vadit in longum, sit de* panno rubeo: *illud quod vadit in transuersum, sit* cerulei coloris.

25. *Calceamenta habeant clau-*

19. Omnibus Fratribus suis, sicut sibimet, Minister fideliter administret.

20. Vestimenta sint linea & alba; & liceat eis habere pelliceas singulis singulas, & braccas, quas iacentes non deponant.

21. Iaceant in laneis: ita quod plumea fulcra, vel culcitras nisi in ægritudine laborantes in domibus proprijs minimè habeant.

22.

23. Ceruical verò ad sustentationem capitis, permittantur habere.

24. In cappis Fratrum imponantur signa.

25.

26. Equos non aſcendant, nec etiam habeant: ſed aſinos tantum liceat aſcendere datos vel accommodatos; vel de proprijs nutrituris ſuſceptos.

27. Vinum ſumendum à Fratribus taliter temperetur, vt ſobriè ſumi valeat.

28. Ieiunent ab Idibus Septembris, ſecundâ, quartâ, & ſextâ feriâ, & ſabbatho: niſi ſolennis feſtiuitas interuenerit, vſque ad Paſcha: ſic tamen vt ab Aduentu vſque ad Natiuitatem Dominicam, & à Quinquageſima vſque ad Paſcha, exceptis Dominicis diebus, in cibo Quadrageſimali ieiunent: & alia ſimiliter ieiunia, quæ conſueuit Eccleſia celebrare.

29. Poteſt tamen quandoque ieiunium Miniſter cum diſcretione relaxare; propter ætatem, vel viam, & aliam iuſtam cauſam; vel facultate inſpectâ etiam augmentare.

30. Carnibus datis ab his qui foris ſunt, vel ſumptis de proprijs nutrituris veſci liceat, tantùm in Dominicis diebus à Paſcha vſque ad Aduentum Do-

*ſa: ita tamen quod genua non excidant; niſi ſint equitantes.*

*26. Liceat fratribus equos aſcendere: & equitaturas tales habere, quales poterunt, & ſibi viderint expedire? dum minus notabiles non exiſtant.*

*27. Vinum ſumendum à fratribus taliter temperetur, vt ſobriè ſumi valeat.*

*28. Ieiunent à propinquiori Dominica feſto B. Martini hyemalis, vſque ad Natiuitatem Domini; & à Quinquageſima, vſque ad Paſcha: inſuper & alijs temporibus anni, omni ſextâ feriâ, niſi feſtiuitas nouem lectionum interuenerit vel Octauæ: ita tamen quod à Quinquageſima vſque ad Paſcha, in cibo Quadrageſimali ieiunent. Ieiunent & alia ieiunia, quæ conſueuerit Eccleſia celebrare.*

*29. Poteſt tamen quandóque Miniſter ieiunium, cum diſcretione, relaxare, propter ætatem vel viam, vel aliam iuſtam cauſam; vel etiam facultate inſpectâ augmentare.*

*30. Carnibus datis, ab his qui foris ſunt, vel ſumptis de proprijs nutrituris, vel etiam emptis, veſci liceat: tantum in Dominicis diebus à Paſcha vſque ad Dominicam*

*minicam propinquiorem festo S. Martini hyemalis; & à Natali vsque ad Septuagesimam; & in Natiuitate Domini; & in Epiphania Domini; & in Ascensione Domini; & in Assumptione & Purificatione B. Mariæ; & in festiuitate Omnium Sanctorum; & in minutionibus & infirmitatibus.*

mini, & à Natali vsque ad Septuagesimam: & in Natiuitate, & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & Assumptione & Purificatione Beatæ Mariæ, & in festiuitate Omnium Sanctorum.

31. *Possunt tamen Ministri cum fratribus suis, de carnibus edendis extra refectorium, & in via, ex iusta & rationabili causa dispensare.*

31.

32. *Liceat fratribus sagimine vesci: liceat etiam nutrituras emere, & nutrire.*

32. Nihil emant ad victum præter panem, & pulmentum, scilicet fabas & pisa, & huiusmodi legumina, olera, oleum, oua, lac, caseos, & fructus: sed neque carnes, neque pisces, siue vinum liceat emere, nisi ad necessitatem infirmorum, vel minutorum, vel pauperum, aut in magnis solemnitatibus: liceat tamen nutrituras emere & nutrire.

33. *Cùm verò in itinere siue in peregrinatione fuerint, si quid datum eis fuerit, inde viuant, & residuum in tres partes diuidant. Si fuerint tamen in via profecti ad redimendum captiuos, quicquid eis datum fuerit, totum*

33. Cùm verò in itinere, siue peregrinatione fuerint, liceat, eis, sed parcè, vinum emere; & pisces in Quadragesima, si necesse fuerit: & si quid eis datum fuerit, inde viuant & residuum in tres partes diuidant.

Tamen si fuerint in via profecti ad redimendum captiuos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptionem captiuorum, præter expensas.

*debent ponere in redemption? captiuorum, præter expensas.*

34. In Ciuitatibus, in Villis, siue Castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omninò extra domos illas nisi fortè in domo religionis, etiamsi àquouis rogentur, commedant, vel bibant: nisi fortè aquam in domibus honestis; nec pernoctare præsumant, extra huiusmodi domos.

*34. In Ciuitatibus & in villis, siue in Castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omninò extra domos illas, (nisi fortè in domibus religiosis, etiam si à quouis rogentur, & cum Archiepiscopis, & Episcopis & Regibus si inuitati fuerint) comedant vel bibant, nisi fortè aquam in domibus honestis. Nec pernoctare præsumant, extra huiusmodi domos: nisi fortè fuerint aliquorum magnatum vel prælatorum officijs deputati.*

35. Nunquam in tabernis vel in eiusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibant: qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium Ministri graui vindictæ subiaceat.

*35. Nunquam in tabernis, vel huiusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibãt: qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium Ministri maioti vel minori vindictæ subiaceat.*

36. Talis sit charitas inter Fratres Clericos & Laicos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensa vtantur.

*36. Talis sit charitas inter fratres Clericos & Laicos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensâ vtantur.*

37. Infirmi seorsum dormiant & comedant; ad quorum curam habendam Conuersus a-

*37. Infirmi seorsum dormiant & comedant: ad quorum curam habendam, conuersus aliquis laicus,*

*cus, siue Clericus deputetur: qui ea quæ necessaria fuerint inquirat, & ministret sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, vt lauta siue nimium sumptuosa cibaria non requirant: commodâ potius & salubri moderatione contenti.*

38. *Cura hospitum & pauperum omnium eũtium & redeuntium, vni de discretioribus & benignioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit charitatis solatium administret: requirat tamen ab illis quos crediderit admittendos, si his quæ apponuntur fratribus, velint esse contenti.*

39. *Ad lauta quidem siue sumptuosa cibaria, non oportet, quemquam admitti. Quæcumque tamen præstanda sunt, cum hilaritate præstentur. Et nulli maledictum pro maledicto reddatur.*

40. *Si quis tamen (& maxime religiosus) ad hospitandum aduenerit, benignè suscipiatur, & caritatiuè, iuxta posse domus, illi subministretur.*

41. *Auenam tamen, vel aliquid aliud loco auenæ, hospitibus*

liquis Laicus, siue Clericus deputetur qui ea quæ necessaria fuerint inquirat, & ministret sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, vt lauta siue nimium sumptuosa cibaria non requirãt; commodâ potius & salubri moderatione contenti.

38. Cura hospitum & pauperum omnium euntium & redeuntium, vni de discretioribus & benignioribus Fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit, charitatis solatium, administret. Requirat tamen ab illis, quos crediderit admittendos, si eis quæ Fratribus opponuntur, velint esse contenti.

39. Ad lauta quidem & sumptuosa cibaria, non oportet quẽquam admitti, quçcumque tamen præsentanda sunt, cum hilaritate præsententur, & nulli maledictum pro maledicto reddatur.

40. Si quis & maxime religiosus, ad hospitãdum aduenerit, benigne suscipiatur, & charitatiuè iuxta posse domus illi subministretur.

41. Auena tamen, vel aliud in loco auenæ hospitibus non detur;

detur; si fuerint in ciuitate vel oppido, vel vbi venalis inueniatur, nisi fortè religiosi sint hospites; vel tales qui ad manum non habeant, & nō emere possint. Si autem hospites venalem non inuenerint, & in domo quâ suscepti fuerint, inueniatur, congruenter eis prębeatur.

42. Nullus Frater Laicus vel Clericus sit, si fieri potest, sine proprio officio: si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur: cùm Apostolus dicat: *Qui non laborat non manducet.*

43. Silentium semper obseruent in Ecclesia sua, semper in refectorio, semper in dormitorio. De necessarijs tamen liceat loqui, in alijs temporibus aptis; & remissâ voce, humiliter & honestè, & extra prædicta loca.

*dare non teneantur; si fuerint in ciuitate vel in villa, vel oppido, vbi venalis inueniatur. Nisi fortè religiosi sint hospites, vel tales qui ad manum non habeant, & emere non possint. Si autem hospites venalem non inuenerint, & in domo in qua suscepti fuerint, inueniatur; congruenter eis præbeatur.*

42. *Nullus frater Clericus aut Laicus sine proprio officio sit, si fieri potest: Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, iuxta arbitrium Ministri canonicè puniatur cùm Apostolus dicat:* Qui non laborat, non manducet.

43. *Silentium semper obseruent in choro: nisi frater alicuius fratris fortè confessionem in dicto loco audiat.*

*Pauca etiam verba in choro sub silentio, & sine strepitu, propter aliquam iustam causam, loqui poterunt.*

*In refectorio & dormitorio silentium obseruabunt, nisi necessitas aliqua vel iusta causa, eos ad loquendum compellat. In quo casu, & paucis verbis, & submissâ voce loquantur; extra verò prædicta loca, liceat eis loqui tēporibus aptis, remissâ voce, humiliter & honestè.*

44. *Vbi-*

44. *Vbique eorum sermo sit honestus, & sine scandalo. Similiter & eorum omnis status, gestus, vita, & omnia alia honesta in eis reperiantur.*

45. *Capitulum (si fieri potest) singulis diebus Dominicis in singulis domibus, Minister cum fratribus suis teneat; & de negotijs domus, & domui suæ siue fratribus & familiæ, nomine Ordinis datis: vt ad Redemptionem captiuorum tertia pars deputetur, fratres Ministro & Minister fratribus rationem fideliter reddant.*

46. *Similiter singulis diebus Dominicis, si fieri potest, exhortatio fiat: et quid credere aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus et clamoribus fratres in capitulo iudicentur.*

47. *Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi benè possit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam subeat quam reus subiret, si conuinci potuisset, nisi Minister ex causa cum eo dispensare voluerit,*

48. *Si quis scandalum mouit, vel aliquid eiusmodi fecerit vel*

44. Vbique sermo eorum sit honestus, & sine scandalo, similiter & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in illis reperiātur.

45. Capitulum singulis (si fieri potest) diebus Dominicis in singulis domibus Minister cum fratribus suis teneat, & de negotijs domus, & domui siue Fratribus datis, vt ad Redemptionem captiuorum tertia pars deputetur, Fratres Ministro & Minister Fratribus rationem fideliter reddant.

46. Non solùm Fratribus, sed & familiæ domus, pro capacitate suâ, similiter singulis diebus Dominicis, si fieri potest, exhortatio fiat, & quod credere aut agere debeant simpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus fratres in capitulo iudicentur.

47. Nullus Fratrum Fratrem in publico accûset, nisi benè possit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam subeat quam reus subiret, si conuinci potuisset, nisi minister ex causa cum eo dispensare voluerit.

48. Si qui scandalum vel aliquid eiusmodi fecerint, vel,

quod absit, seinuicem percusserint, iuxta arbitrium Ministri maiori vel minori vindictę subiaceant.

49. Si quis Frater in Fratrem peccauerit, id est, contra Fratrem, id est, eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens, & cum quieuerit commotio animorum, benignè & fraternè commoneat, & corripiat eum, vsque ter inter se & ipsum solùm, pœnitentiam agere de commisso peccato & à similibus in posterum abstinere. Quod si non audierit, dicat Ministro & ille corripiat eum secreto, secundum quod viderit saluti eius expedire.

50. Qui verò scandalum mouit, & per se emēdare voluerit, totum ante pedes scandalisati petens veniam se extendat; & si semel non sufficit, vsque ter illud idem faciat: si verò hoc in publicum venerit, quęcumque secutura fuerit pœnitētia, hæc sit prior: scilicet: Ante pedes Ministri petendo veniam, totius corporis extensio; & postea secundum eius arbitrium, emendetur.

51. Generale Capitulum, semel

*(quod absit) se inuicem percusserint; iuxta arbitrium Ministri maiori vel minori vindictæ subiaceat.*

49. *Si quis frater peccauerit in fratrem, scilicet contra fratrem, id est, eo solo sciente qui iniuriam passus est; sustineat patienter, licet sit innocens. Et cum quieuerit animorum motus, benignè ac fraternè commoneat, & corripiat eum, vsque ter inter se & ipsum solùm pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere: Qui si non audierit, dicat Ministro & ille corripiat eũ secretò, secundum quod viderit saluti eius expedire.*

50. *Qui verò scandalum mouit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati, petens veniam, se extendat: & si semel non sufficit, vsque ter illud idem faciat. Si vero hoc in publicum venerit, quæcunque secutura fuerit pœnitentia hæc sit prior, scilicet: Ante pedes Ministri petendo veniam, totius corporis extensio; & postea secundum arbitrium Ministri emendetur.*

51. *Generale Capitulum semel in*

*in anno celebretur: quod fieri debet Dominica quarta post Pascha.*

52. *In quo Capitulo quolibet anno correctores Maioris Ministri, vel eius Vicario corrigendi & diffiniendi omnia quæ corrigenda & diffinienda sunt in Generali Capitulo, tempore ipsius Capituli, & etiam Visitatores in diuersis Prouincijs constituendi, & locum futuri Generalis Capituli assignandi habeant potestatem.*

53. *Nullus verò simplex frater ad generale Capitulũ accedat, nisi vocatus à Maiori Ministro, vel missus à proprio Ministro prætenderit. Quam si in Capitulo Generali, non fuerit prosecutus, ad arbitrium Maioris Ministri & Correctorum canonicè puniatur.*

54. *Si pro necessitate domus, debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in Capitulo fratribus proponatur, & cùm eorum consilio & assensu fiat; vt sic suspiciones & murmura euitentur.*

55. *Si quis de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitatiuè ille à fratribus moneatur.*

in anno celebretur: quod fieri debet in octauis Pentecostes.

52.

53.

54. Si pro necessitate domus, debitum fuerit aliquod cõtrahendum, prius in capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio & assensu; vt sic & suspiciones & murmura euitentur.

55. Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitatiuè à Fratribus primò,

post ab aliis vicinis similiter moneatur.

56. Electio Ministri per commune Fratrum consilium fiat, nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Ille verò qui eligitur sacerdos sit, vel Clericus Ordinibus aptus: Minister verò, siue Maior, siue Minor, sacerdos sit.

57. Maior Minister confessiones fratrum omnium congregationum eiusdem Ordinis audire potest.

58. Minor verò Minister, omnium Fratrum suæ domus audiat confessiones, dummodò verecundia repetiti excessus occasionem minimè præbeat tardius Prælatis suis vel minus purè quàm deceat, confitendi.

59. Solicitè verò Minister prouideat, vt præcepta Regulæ, sicuti cæteri Fratres, per omnia teneat.

*56. Electio Ministri per consilium fratrum Clericorum fiat: nec eligatur secundùm dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Ipse verò qui eligitur sit Sacerdos, vel clericus ordinibus aptus, & professus: Minister verò siue Maior siue Minor sacerdos sit.*

*57. Maior verò minister postquam electus fuerit, secundum formam in Regula annotatam, ipsius Ordinis curam plenè habeat, & liberè gerat, prout hactenus extitit obseruatum & cõstitutum, fratrumque omnium Congregationum confessiones audire, & absoluere ab omni transgressione Regulæ, sua possit auctoritate.*

*58. Minor verò minister, omnium fratrum domus suæ audiat confessiones: dummodò verecundia repetiti excessus, occasionem minimè præbeat tardius Prælatis suis, vel minùs purè quàm deceat confitendi.*

*59. Sollicitè verò minister prouideat, vt præcepta Regulæ, sicut ceteri fratres, per omnia teneat.*

60. Post-

*60. Postquam verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem Ministrum conuocatis tribus vel quatuor ministris minoribus, si commodè infra tres dietas à loco valeant inueniri: & si commodè haberi non possint, assumptis secum tribus vel quatuor fratribus eiusdem Ordinis viris religiosis & honestis, de quorum consilio & assensu deponatur: & alius qui dignus sit, loco eius subrogetur.*

60. Postquam verò electus fuerit; si ex culpa deponi meruerit, per Maiorem Ministrũ conuocatis tribus aut quatuor Ministris Minoribus, deponatur; & alius, qui dignus sit, loco eius subrogetur.

*61. Si vero pro remotione terrarum vel alia causa rationabili, maior minister hoc facere non poterit, vices suas ministris minoribus magis religiosis committat. Si verò duo vel tres pro locorum distantia haberi commodè non possint, per aliquem ministrum virum religiosum & honestum, cum tribus vel quatuor fratribus Religiosis hoc fiat: & quod illi fecerint auctoritate maioris ministri ratum habeatur.*

61. Si vero pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili Maior Minister hoc facere non poterit, Ministris Minoribus magis Religiosis committat: & quòd illi fecerint, auctoritate Maioris ratum habeatur.

*62. Maior vero minister si pro excessibus suis corrigendus vel deponendus fuerit per quatuor vel quinque ministros eiusdem Ordinis magis religiosos hoc fiat: qui tamen auctoritate generalis capituli ad hoc eligi debent.*

62. Maior verò Minister si pro excessibus corrigẽdus vel deponendus sit, per quatuor aut quinque Ministros eiusdem Ordinis magis Religiosos hoc fiat: qui tunc auctoritate Generalis Capituli, ad hoc eligi debent.

63. Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, primo per annum cum expensis suis, præter victum habitu suo & omnibus suis retentis, in Ordine pro Deo seruiat: & post annum si bonum & conueniens videatur Ministro domus & Fratribus, & illi, & locus vacauerit, recipiatur: nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur: dum tale sit de quo non videatur Ecclesię litigium imminere. Si verò de cuiusque moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur.

64. Si ante receptionem aliquis se intemperãter habuerit, & impatiens disciplinæ, & ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos, tribuatur ei modestè licentia, cum omnibus quæ attulit, recedendi.

65. In Ordine verò, aliquis non recipiatur antequam annum videatur vigesimum cõpleuisse. Professio verò in arbitrio Ministri relinquatur.

66. Pignora non accipiant, nisi decimas, cum licentia sui Episcopi, de manu Laici.

67. Iuramenta non faciant,

*63. Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, primo per annum in habitu fratrum cum expensis suis præter victum omnibus suis retentis, in ordine pro Deo deseruiat. Et post annum si bonum & conueniens Ministro domus & fratribus videatur: ille recipiatur: nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit recipiatur: dum tamen tale sit de quo non videatur Ecclesiæ periculum imminere. Si vero de cuiusquam moribus visum fuerit dubitandum: prolixior de eo probatio habeatur.*

*64. Si ante professionem aliquis se intemperanter habuerit & impatiens disciplinæ ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos: tribuatur ei modestè licentia cum omnibus quæ attulit recedendi.*

*65. In Ordine verò aliquis non recipiatur antequam vigesimum annum videatur impleuisse. Professio vero post annum in arbitriũ Ministri relinquatur.*

*66. Pignora verò nõ accipiãt, nisi decimas, cum licentia sui Episcopi, de manu Laici.*

*67. Iuramenta non faciant, nisi*

*nisi in magna necessitate cum licentia sui ministri vel iussi ab Episcopo suo, vel ab aliquo vices Apostolicas gerente, & hoc pro iusta & honesta causa.*

68. *Si quod vitium in re quæ venditur notum fuerit: iudicetur emptori.*

69.

70. *Ipsa die qua infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur ministro, vel ei cui minister iniunxerit, & communicet: vt omnia alia sacramenta Ecclesiastica percipere valeat ab eodem.*

71. *Omni secunda feria, præterquam in octauis Paschæ & Pentecostes, Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ, & Circumcisionis Domini, & præter quam in festiuitatibus nouem lectionum & in octauis Sanctorum, & aliarum festiuitatum, finitâ missa pro fidelibus defunctis, fiat absolutio fidelium in cemiterio.*

72. *Singulis quoque noctibus ad minus in hospitali, coram pauperibus, pro statu & pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his pro quibus*

nisi magna necessitate, cum licentia Ministri; vel iussi ab Episcopo suo, vel ab alio vices Apostolicas gerente; & hoc pro honesta & iusta causa.

68. Si quod vitium in re quę venditur, notum fuerit, indicetur emptori.

69. Depositum auri vel argenti vel pecuniæ, non liceat eis suscipere.

70. Ipsa die qua infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur & communicet.

71. Omni secunda feria, prçterquam in octauis Paschæ, & Pentecostes, & Natiuitatis Domini, & Circuncisionis, & Epiphaniæ, & præterquam in festiuitatibus quæ ad colendum pronuntiantur, finitâ Missâ pro fidelibus, fiat absolutio fideliũ defunctorum in cemiterio.

72. Singulis quoque noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus, pro statu & pace Sanctæ Romanę Ecclesię, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his pro qui-

quibus generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio.

73. In Regularibus horis, morem B. Victoris obseruent, nisi fortè pausationes vel aliæ prolixitates, vel vigilię occasione laboris & paucitatis seruiẽtium de consilio piorum & Religiosorum virorum fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim suam, tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestiuè surgere.

74. In rasura similiter, ordinẽ S. Victoris sequãtur Clerici.

75. Laici vero barbas non radant, sed eas crescere modestè permittant.

76. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

*generalis Ecclesia consueuit orare, communis fiat oratio.*

73. *In Regularibus horis, morem beati Victoris obseruent, exceptis fratribus seruitijs Principum & Prælatorum deputatis; & fratribus itinerantibus, exceptis etiam pausationibus, & prolixitatibus & vigilijs, quæ occasione laboris vel paucitatis seruientium, poterunt eis remitti de consilio piorum & religiosorum virorum, ad hoc in suo Generali capitulo de suis fratribus vel Ministris specialiter electorum: propter paucitatem etenim suam, tantas pausationes psallendo facere non tenebũtur, nec ita tempestiuè surgere.*

74. *In rasura similiter, ordinem S. Victoris sequãtur Clerici.*

75. *Laici verò barbas non radant; sed eas ad modum Templariorum vel conuersorum Cistercienſium crescere permittant.*

76. *Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.*

CAPVT

## CAPVT XXXIIII.

*De ortu & origine Fratrum Carmelitarum.*



ACER hic Ordo ficut nomen ita & originem à Monte CARMELO traxiffe fertur Auctore Elia: cuius difcipulus Elizæus, Afcetis congregatis cafas & Monafteria conftrui iuffit ad fluẽta Iordanis. Varijs grauaminibus in Oriente quaffata hęc Religio ad Occidentalem plagam venit, & temporibus Innocentij III. florere cœpit, confirmataque ab Honorio III. legitur anno Pontificatus eiufdem primo, Bullâ Romæ datâ Kal. Ianuarij, anno Chrifti ∞CCXVI. REGVLAM confirmauit Gregorius IX. Papa: cuius Bulla anno Pontificatus eiufdem quarto data, fic incipit: *Ex officio noftro debita &c.* Porrò de facri huius Ordinis origine fimul & progreffu tractaffe videtur vnus inftar omnium doctiffimus ac pientiffimus Pater F. THOMAS A IESV, eo libro quem de primitiuæ fuæ REGVLÆ expofitione vulgauit: vbi miranda quædam referens rationem exactiffimam reddit, ob quam huius Inftituti Sectatores CARMELITÆ communiter nuncupentur. Confulat etiam Lector curiofus Illefcam Antoninũ Tritthemium, Caffaneum, Mireum, Ludouicum, Mirandam & alios complures, Porro feriem Generalium huius Ordinis iam in Occidente conftituti, qualis ad me transmiffa eft hic adtexere placuit ijfdem fere verbis;

*Ill. 1. parte Hift. l. 5. cap. 33. Anton. 3 p. t. 15. Trit. lib. pecul. Caffan. in Catal. gl. mundi. conf. 7.*

1. Primus poft veteres leges, fuit B. BERTOLDVS anno Domini ∞. C. XXI. contemporaneus S. Bernardi, eumque ordinem fanctiffimè gubernauit annis XLV.

II. S. BROCHARDVS Ierosolymitanus rexit annis XXXI.
III. CYRILLVS Constantinopolitanus contemporaneos habuit S.Dominicum, & S. Franciscum anno Dom. M. CC.
IV. BERTHOLDVS Lombardus rexit annis XV.
V. ALANVS Breton successit & decessit anno M. CC.XV.
VI. SIMON STOCH successit anno circiter M.CC.XV.& contemporaneos habuit S. Thomam de Aquino, & S. Bonauenturam: rexit an. L.
VII. NICOLAVS Gallus successit an. M. CC. LXV.
VIII. RODOLPHVS Tudescus electus fuit in capitulo Parisiensi an. Dom. M. CC. LXX.
IX. ÆMILIANVS Gallus, cuius tempore Carmelitæ an. M. CC. LXXXVII.cappas albas, Sede vacante post Honorium IV. resumpserunt: rexitque Ordinem an.XXIV.
X. RAYMVNDVS de Insulis Tolosanus an. M. CC. XCIV. electus est in Capitulo Burdegalensi rexit an.III.
XI. GERARDVS de Bolonia an. M. CC. XCVII. electus fuit Burdegalæ & rexit an. XXI.
XII. GVIDO PERPINIANI oriundus successit an.M.CCC.XVIII. rexitque an.XIII.
XIII. ALEXIVS, Gallus, Tolosanis electus fuit Montis-Pesulani an.M.CCC. XXI. & rexit an. IX.
XIV. P. DE CESIS Limonicensis electus an. M. CCC. XXX.
XV. P.RAYMVNDVS Gallus, Grassensis an.M. CCC. XLII.
XVI. IOANNES BAILASTERVS de Mallorca electus Burdigalæ an. M. CCC. LVIII.
XVII. BERNARDINVS OLENSII, cuius tempore ortum est scisma in Ecclesia.
XVIII. MICHAEL DE BOLONIA electus an. M. CCC. LXXXI.
XIX. IOANNES RANDENSIS electus an. M. CCC. LXXXVIII.
XX. MATTHÆVS DE BOLONIA in Capitulo Bononiensi electus an. M. CD. V.
XXI. RAYMVNDVS AQVARIVS successit Bernardino, qui duo rexerunt Ordinem in Gallia & Hispania. Et tempore illius

illius cessauit scisma: rexeruntque hi duo vsque ad annos M. CD. XI.

XXII. IOANNES GROSSI in Capitulo Bononiensi electus an. M. CD. XI.

XXIII. BARTOLOMÆVS RACCOLI electus in Capitulo Nannetensi, in Britannia, fuitque postea creatus Episcopus Massiliensis an. M. CD. XI.

XXIV. IOANNES FACCI, de Auinione in Rauenspurg, M. CD. XXXIV.

XXV. B. IOANNES SORETH de Normandia M. CD. LI.

XXVI. CHRISTOPHORVS MARTINGONVS Brixiensis an. M. CD. LXXIII.

XXVII. PONTIVS RAYMVNDVS in Capitulo Auenionensi, an. M. CD. LXXXII.

XXVIII. IOANNES TERRASA, Hispanus in Capitulo Placentino M. D. III.

XXIX. IOANNES BAPT. MANTVANVS, in Capitulo Romæ celebrato an. M. D. XIIJ.

XXX. BERNARDINVS LANDVCCIVS in Capitulo Senensi an. M. D. XVII.

XXXI. NICOLAVS AVDET, Cyprus in Capitulo Venetano an. M. D. XXIV.

XXXII. IOANNES BAPT. RVBENS de Rauenna in Capitulo Romano electus an. M. D. LXI.

XXXIII. IOANNES BAPT. CAFFARDVS in Capitulo Romæ celebrato an. M. D. LXXX.

XXXIV. IOANNES STEPHANVS, Chizzola, in Capitulo Romano an. M. D. XCIII.

XXXV. HENRICVS SYLVIVS, Astigitanus, Episcopus, electus an. M. D. XCVIII.

Ad REGVLAM quod adtinet, eam Albertus Hierosolymorum Patriarcha dictauit, quam Innocentius IV. Pont. Max. anno ∞ CCXLVIII. & Eugenius item IV. an. ∞ CCCC. XXXI. temperauere. Verum an. ∞ D. LXII. sanctissima Virgo TE-

RESIA antiquam austerioris vitæ Regulam viriliter restituit Vestalibus à se fundatis: cuius institutum longè lateque diffusum, etiam Religiosi feruenter arripuere. Hinc antiquiores, MITIGATI, recentiores verò DISCALCEATI cœpere nominari. Ipsa porrò TERESIA pietatem quam cum lacte materno suxerat in Monasterio nostræ Dominæ de Gratiâ Ordinis S. Augustini Auilæ fouisse eidemque incrementum dedisse credenda est, maximè si pensitentur hæc eius verba: *Yo soy muy aficionada à S. Augustin: porque el Monasterio adonde estune seglar era de su Orden.*

*S. Teresia in vita sua ca. 9.*



# REGVLA

*Fratrum Beatissimæ Dei Genetricis & Virginis Mariæ de Monte Carmelo.*

I. LBERTVS Dei gratiâ, Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Christo filijs Brocardo & ceteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur in Domino salutem & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè multisque modis sancti Patres instituerunt qualiter quisque in qualicumque ordine fuerit, vel quemcumque modum vitæ Religiosæ elegerit in obsequio Iesu-Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro & bona conscientia deseruire. Verùm quia requiritis à nobis vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

II. Illud imprimis statuimus, vt vnum ex vobis Priorem habeatis, qui vnanimi omnium assensu vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quili-

quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare cum castitate & abdicatione proprietatis.

III. Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint ad vestræ Religionis obseruantiam apta & commoda, secundum quod Priori & Fratribus videbitur expedire.

IV. Præterea iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerit, cuique fuerint assignatæ.

V. Ita tamen vt in communi Refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint aliquam Lectionem sacræ Scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis.

VI. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare.

VII. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum quæ agenda, cuncta procedant.

VIII. Maneant singuli in cellulis suis vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in Orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Horis tamen congruis in suis Ecclesijs & suis Claustris, ac per suos Ambitus manere & deambulare licitè & libere valeant.

IX. Hi qui horas canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum institutiones sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui verò eas non norunt viginti-quinque vicibus *Pater noster*, dicant in nocturnis Vigilijs. Exceptis Dominicis & solemnibus diebus; in quorum Vigilijs prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies eadem dicatur Oratio in Laudibus, Matutinis, in alijs quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur Oratio: præter officia Vespertina in qui-

bus ipsam quindecies dicere debeatis.

x. Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis OMNIA COMMVNIA, & distribuatur vnicuique per manum Prioris, id est per Fratrem ab eo ad idem officium deputatum, prout vnicuique opus erit, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum. Asinos autem siue mulos, prout vestra postulauerit necessitas vobis habere liceat, & aliquod animalium, siue volatilium nutrimentum.

xi. Oratorium prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellarum, vbi manè per singulos dies ad audienda Missarum solennia conuenire debeatis, vbi commodè fieri poterit.

xii. Dominicis quoque diebus, vel alijs vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis; vbi etiam excessus & culpæ Fratrum (si quæ in aliquo fuerint deprehensæ) media caritate corrigantur.

xiii. Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur. Et quia oportet frequenter vos manducare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteris pulmenta cocta cum carnibus sed & carnibus supra mare vesci licebit.

xiv. Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis obseruetis à festo Exaltationis S. Crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas vel debilitas corporis aut alia iusta caussa, ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem.

xv. Quia verò tentatio est vita hominis super terram, & omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur, aduersarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis; muniendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptum est enim: *Cogitatio sancta seruabit te*. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum

veſtrum ex toto corde & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tamquam voſmetipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela Nequiſſimi ignea extinguere, ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, vt de ſolo Saluatore ſperetis ſalutem; qui ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem Spiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter in ore & cordibus veſtris habitet; & quęcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant.

XVI. Faciendum eſt vobis aliquid operis vt ſemper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otioſitate veſtrâ, aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis in hoc B. Pauli Apoſtoli magiſterium pariter & exemplum, in cuius ore Chriſtus loquebatur qui poſitus eſt & datus à Deo prædicator & Doctor Gentium in fide & veritate: quem ſi ſecuti fueritis non poteritis aberrare. *In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos, die ac nocte operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cùm eſſemus apud vos, hæc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari non manducet. Audiuimus enim quoſdam inter vos ambulantes inquietè, nihil operantes. Hi autem qui ſunt eiuſmodi denunciamus & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* Hæc via ſancta eſt & bona; ambulate in ea.

XVII. Commendat autem Apoſtolus ſilentium cum in eo præcepit operandum: & quemadmodum Propheta teſtatur cultus iuſtitiæ ſilentium eſt; & rurſum: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus vt dicto Completorio ſilentium teneatis vſque ad Primam dictam ſequentis diei. Alio verò tempore, licet ſilentij non habeatur obſeruatio tanta, diligentius tamen à multiloquio caueatur. quoniam ſicut ſcriptum eſt, & non minus experientia docet, *in multiloquio*, non deerit peccatum, & qui inconſideratus eſt ad *loquendum ſentiet mala.*

*mala*. Item: *Qui multis vtitur verbis lædit animam suam*. Et Dominus in Euangelio: *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij*. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis & frænos rectos ori suo, (ne fortè labatur & in cadat lingua sua, & insanabilis casus eius sit ad mortem) custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua: & silentium in quo cultus iustitiæ est, diligenter & cautè studeat obseruare.


XVIII. Tu autem Frater BROCARDE, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente & seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: *Quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus*.

XIX. Vos quoque ceteri Fratres, Priorem vestrum honorate humiliter Christum potius cogitantes quam ipsum, qui posuit eum super capita vestra, & Ecclesiarum Præpositis etiam ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ FORMVLAM statuentes, secundum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus, cum redierit, reddet ei: vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix. Amen.

CAPVT

## CAPVT XXXV.

*De Origine & Regula Militum Templariorum.*





EMPLARII Milites XII. feculo caput erexêre Hierofolymis, vbi circa Domini Sepulchrum agitantes, Chriftianos viros eò peregrè profectos excipiebant hofpitio, & exceptos armis accincti per aras & loca facra comitabantur Terram Sanctam tutò luftraturos. Itaque TEMPLARIORVM nomen à TEMPLIS traxêre. Vtebantur autem candido pallio, cum rubenti cruce: cuius charagma præpofuimus, propagataque eft Religio in annos ducentos: quibus etiam viuendi normam & REGVLAM infrafcriptam D. BERNARDVS Clareuallenfis Abbas conftituit: fed alieno vt apparet confcriptam. Habuit hic Ordo non parua incrementa, ita vt facultates maximas oppidaque quamplurima vbique gentium poffiderent: verùm impietatis tandem accufati, quòd qui Hierofolymis agebant ad Saracenos defeciffent, effentque in fœda vitia prolapfi, fub Clemente V. Pont. Max. omnes ad vnum fuêre deleti, quorum facultates, partim Rhodijs Militibus, partim nouis Ordinibus cefsêre.

Nnn PRO-

nis, in quo prædicta militia sumpsit exordium, cum Spiritu sancto intimante ex diuersis Vltra-montanæ prouinciæ mansionibus in solemnitate S. Hilarij an. M. CXXVIII. ab Incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ IX. ad Trecas, Deo duce in vnum conuenientes, & modum & obseruantiā equestris Ordinis per singula capitula ex ore ipsius Magistri Hugonis audire meruimus ac iuxta notitiam exiguitatis nostræ sciētiæ; quod nobis videbatur absurdum omneque quòd in præsenti concilio nequiuit esse nobis memorabiliter relatum ac computatum, non leuitate, sed consultè prouidentiæ & discretioni venerabilis Patris nostri Honorij, ac inclyti Patriarchæ Hierosolymitani Stephani fertilitate ac necessitate non ignari Orientalis religionis, nec non pauperum commilitonū Christi, consilio communis capituli vnanimiter commendauimus. Sanè autem prorsus licet nostri dictaminis auctoritate, permaximus numerus Religiosorum Patrum, qui in illo concilio diuina ammonitione conuenerunt, commendat, non debemus silenter transire, quibus videntibus & veras sententias proferentibus, ego *Ioannes Michaelensis* præsentis paginæ, iussū Concilij, ac venerabilis * Abbatis Clareuallensis, cui creditum ac debitum hoc erat, humilis scriba esse diuinâ gratiâ merui. *S. Bernard. intellige.

Primus quidem resedit *Matthæus*, Albanensis Episcopus, Dei gratiâ S. R. E. Legatus: Deinde *Rainaldus*, Archiepiscopus Remensis: Tertius *Henricus*, Archiepiscopus Senonēsis. Dehinc Coëpiscopi eorum, *Ranckedus* Carnotensis Episcopus, *Gossenus* Suession ūEpiscopus; Episcopus Parisiensis; Episcopus Trecensis; Præsul Aurelianensis; Episcopus Antisiodorensis; Episcopus Meldensis; Episcopus Catalaunensis; Episcopus Laudunensis; Episcopus Beluacensis; Abbas Vezelacensis, qui non multò post factus est Lugdunensis Archiepiscopus, ac S. R. E. Legatus. Abbas Cistertiensis; Abbas Pontiniacensis: Abbas trium fontium: Abbas S. Dionysij de Remis; Abbas S. Stephani de Diuione; Abbas Molesinensis suprà nominatus Abbas, Bernardus Clareuallensis non defuit, cuius sententiam præscri- Nomina Patrum residentium in Concilio Trecensi. *Huius Concilij meminit Tyrius lib. 12. hist. belli sacri cap 7.*

pti liberâ voce collaudabant. Fuerunt autem & Magister Albericus Remensis, & Magister Fulgerius, ac complures alij, quos longum esset enumerare. Cæterum verò de non litteratis idoneum nobis videtur, vt testes, amatores veritatis adducantur in medium: Comes Theobandus, Comesque Niuernensis, ac Andreas de Bandionento, intentissima cura quod erat optimum scrutantes; quod eis videbatur absurdum, temperantes, in Cōcilio sic assistebant. Ipse verò Magister militiæ, Hugo nomine, reuerâ non defuit, & quosdam de Fratribus suis secum habuit, verbi gratia: F. Godefridum, F. Rorallum, F. Gaufridum Bisol. F. Paganum de monte desiderij. Archembaudum de Sancto Amano. Iste verò Magister Hugo cum istis discipulis modum & obseruantiam exigue inchoationis sui militaris Ordinis, qui ab illo, qui dicit: *Ego principium, qui & loquor vobis*; sumpsit exordium, iuxta memoriæ suæ notitiam supranominatis Patribus intimauit. Placuit itaque Concilio, vt consilium, ibi limâ & consideratione diuinarum scripturarum diligenter examinatum, tamen cum prouidentia Papæ Romanorum, ac Patriarchæ Hierosolymitarum, nec non etiam assensu Capituli pauperum commilitonum Templi, quod est in Ierusalem, scripto commendaretur, ne obliuioni traderetur, & inenodabiliter seruaretur, vt recto cursu ad suum Conditorem, cuius dulcedo tam mel superat, vt ei comparatum velut absynthium sit amarissimum, peruenire dignè mereantur: præstante, cui militant, & militare queant, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

REGVLA

# REGVLA

*Qualiter diuinum officium audiant.*

I. VOs quidem proprijs voluntatibus abrenunciantes, atque alij pro animarum salute vobiscum ad terminum, cum equis & armis summo Regi militantes, Matutinas & omne seruitium integrum, secundum canonicam institutionem, ac regularium, Doctorum sanctæ ciuitatis consuetudinem, pio ac puro affectu audire vniuersaliter studeatis. Idcirco vobis, Venerabiles Fratres, maximè debetur quia præsentis vitæ luce despectâ, contemptoque vestrorum corporum cruciatu, sæuientem mundum pro Dei amore vilescere perenniter promisistis diuino cibo refecti ac satiati & Dominicis præceptis eruditi, & firmati, post mysterij diuini consummationem, nullus pauescat ad pugnam, sed paratus sit ad coronam.

*Quot orationes Dominicas, si nequiuerint audire, dicant.*

II. Cæterum si aliquis Frater negotio Orientalis Christianitatis fortè remotus, quod sæpius euenisse non dubitamus, & pro tali absentia Dei seruitium non audierit, pro Matutinis XIII. orationes Dominicas, ac pro singulis horis septem; sed pro Vesperis IX. dicere collaudamus, ac libera voce vnanimiter affirmamus. Isti enim in salutifero labore ita directi, non possunt accurrere hora competenti, ad diuinum officium, sed si fieri potest, horæ constitutæ non prætereant ante institutum debitum.

*Quid agendum pro Fratribus defunctis.*

III. Quando verò quilibet Fratrum remanentium, morti

quæ nulli parcit, impendet, quod est impossibile auferri, Capellanis ac Clericis vobiscum ad terminum caritatiuè summo Sacerdoti seruientibus, creditum officium & Missam solemniter pro eius anima, Christo animi puritate iubemus offerre: Fratres autem ibi astantes, & in orationibus pro Fratris defuncti salute pernoctantes, centum orationes Dominicas, vsque ad diem septimum pro Fratre defuncto persoluant: ab illo die quo eis obitus Fratris denunciatus fuerit, vsque ad prædictum diem centenarius numerus perfectionis integritatem, cum fraterna obseruatione habeat. Adhuc nempe diuinâ, ac misericordiâ caritate deprecamur, atq; pastorali auctoritate iubemus, vt quotidie, sicuti Fratri in vicibus dabatur, & debetur, ita quod est necessarium sustẽtationi huius vitę in cibo, & potu tantùm, cuidam pauperi, ad Quadragesimum diem, impendatur. Omnes enim alias oblationes, quas in morte Fratrum, & in Paschali solemnitate, cæterisque solemnitatibus, Domino pauperum commilitonum Christi spontanea paupertas indiscretè reddere consueuerat, omninò prohibemus.

*Capellani victum & vestitum tantùm habeant.*

IV. Alias verò oblationes, & omnia eleemosynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis, vel alijs ad tempus manentibus, vnitati communis capituli reddere peruigilij curâ præcipimus. Seruitores itaque Ecclesiæ victum, & amictum secundum auctoritatem tantùm habeant; & nihil amplius habere præsumant, nisi magistri sponte charitatiuè dederint.

*De Militibus defunctis, qui sunt ad terminum.*

V. Sunt namque milites in Domo Dei, Templique Salomonis ad terminum misericorditer nobiscum degentes; vnde ineffabili miseratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixè iubemus, vt si interim tremenda maiestas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate septem dies sustẽtationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

Vt

*Vt nullus Frater remanens oblationem faciat.*

VI. Decreuimus, vt superiùs dictum est, quòd nullus Fratrum remanentium aliam oblationem agere præsumat: sed die noctuque mundo corde, in sua professione maneat, vt Sapientissimo Prophetarum in hoc se æquipollere valeat: Calicem salutaris accipiam, & in morte mea, mortem Domini imitabor: quia sicut Christus pro me animam posuit, ita & ego pro Fratribus animam ponere sum paratus. Ecce competentem oblationem: ecce hostiam viuentem, Deoque placentem.

*De immoderata statione.*

VII. Quod autem auribus nostris verissimus testis insonuit, videlicet immoderata statione, & sine mensura stando diuinum officium vos audire: ita fieri non præcipimus, immò vituperamus; sed finito psalmo, & *Venite exultemus Domino*, cum Inuitatorio, & Hymno, omnes sedere tam fortes, quàm debiles, propter scandalum euitandum, nos iubemus. Vobis verò residentibus, vnoquoque Psalmo finito, in recitatione *Gloria Patri*, de sedibus vestris ad altaria supplicando, ob reuerẽtiam sanctæ Trinitatis ibi nominatæ surgere, & debilibus inclinare demonstramus. Sic etiam in recitatione Euangelij, & ad ***Te Deum Laudamus***, & per totas Laudes, donec finito ***Benedicamus Domino***, stare adscribimus, & eandem Regulam in Matutinis sanctæ Mariæ teneri iubemus.

*De refectione Conuentus.*

VIII. In vno quidem Palatio, sed meliùs dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid necessarium fuerit, pro signorum ignorantia, leniter, ac priuatum quærere oportet. Si omni tempore, quę vobis necessaria sunt, quærenda sunt, cum omni humilitate, & subiectione reuerentiæ potiùs ad mensam, cùm Apostolis dicat: Panem tuũ cũ silentio mãduca: Et Psalmista vos animare debet dicens:

*Posui*

*Posui ori meo custodiam*, id est, apud me deliberaui, vt non delinquerem, lingua, id est, custodiam os meum, ne male loquerer.

### *De lectione.*

IX. In prandio, & cœna semper sit sancta lectio recitata. Si Dominum diligimus, salutifera eius verba, atque præcepta intentissima aure desiderare debemus. Lector autem Lectionum vobis indicat silentium.

### *De carnis refectione.*

X. In hebdomada namque, nisi Natalis dies Domini, vel Pascha, vel festum sanctæ Mariæ, aut omnium Sanctorũ euenerit, vobis ter refectio carnis sufficiat, quia assueta carnis comestio, intelligitur onerosa corruptio corporum. Si verò in die Martis tale ieiunium euenerit, vt esus carnium retrahatur, in crastino abundanter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus militibus remanentibus, nec non Capellanis duo fercula in honorem S. Resurrectionis, bonum, & idoneum indubitanter videtur. Alij autem, videlicet armigeri, & clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

### *Qualiter manducare milites debeant.*

XI. Duos, & duos manducare generaliter oportet, vt solerter vnus de altero prouideat, ne asperitas vitæ, vel furtiua abstinentia in omni prandio intermisceatur. Hoc autem iustè iudicamus, vt vnusquisque miles, aut Frater æqualem, & æquipollentem vini mensuram per se solus habeat.

### *Vt alijs diebus duo aut tria leguminum fercula sufficiant.*

XII. Alijs nam diebus, videlicet secunda, & quarta feria, nec non & sabbatho duo, aut tria leguminum, vel aliorum ciborum fercula, aut, vt ita dicam, cocta pulmentaria, omnibus sufficere credimus; & ita teneri iubemus, vt, fortè qui ex vno

vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

*Quo cibo sextâ feriâ reficere oportet.*

XIII. Sextâ autem feriâ cibum Quadragesimalem ob reuerentiam Passionis omni congregationi, remota infirmorum imbecillitate, semel sufficere à festo Omnium Sanctorum vsque ad Pascha, nisi Natalis dies Domini, vel festum S. Mariæ, aut Apostolorum euenerit, collaudamus. Alio verò tempore, nisi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

*Post refectionem semper gratias referant.*

XIV. Post prandium verò, & cœnam semper in Ecclesia, si propè est, vel si ita non est, in eodem loco, summo procuratori nostro, qui est Christus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus. Famulis, aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reseruatis, distribuere fraternâ charitate debent, & iubentur.

*Vt decimus panis semper eleemosynario detur.*

XV. Licet paupertatis præmium, quod est regnum cælorum, pauperibus procul dubio debeatur; vobis tamen, quos Christiana fides de illis indubitáter fatetur, decimum totius panis quotidie eleemosynario vestro dare iubemus.

*Vt collatio sit in Arbitrio Magistri.*

XVI. Cùm verò sol Orientalē regionē deserit, & ad Ibernā descendit, audito signo, vt est eiusdem regionis consuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac priùs generalem collationem sumere peroptamus. Hanc autem collationem in dispositione, & arbitrio Magistri ponimus, vt quando voluerit de aqua, & quando iubebit, misericorditer ex vino temperato competenter recipiatur. Verùm hoc non ad nimiam satietatem oportet, & luxu fieri, sed parciùs; quia apostatare etiam sapientes videmus.

*Vt finitis completis silentium teneatur.*

XVII. Finitis itaque Completis, ad stratum ire oportet. Fratribus igitur à Completorijs exeuntibus, nulla sit denuò licentia loqui in publico, nisi necessitate cogente; armigero autem suo quæ dicturus est, leniter dicat. Est verò forsitan, vt in tali interuallo vobis de Completorijs exeuntibus, maxima necessitate cogente, de militari negocio, vt de statu domus nostræ, quia dies ad hoc vobis sufficere non creditur, cum quadam Fratrum parte ipsum Magistrum, vel illum, cui domus dominium post Magistrum est debitum, oporteat loqui. Hoc autem fieri iubemus; & ideò, quia scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum*. Et alibi: *Mors, & vita in manibus linguæ*. In illo colloquio scurrilitates, & verba ociosa, ac risum mouentia omninò prohibemus, & vobis ad lectulum euntibus, Dominicam orationem, si aliquis quid stultum est locutus, cum humilitate, & puritatis deuotione dicere iubemus.

*Vt fatigati ad Matutinas non surgant.*

XVIII. Fatigatos, nempè milites non ita, vt vobis est manifestum, surgere ad Matutinas collaudamus; sed assensu Magistri, vel illius, cui creditum fuerit à Magistro, eos quiescere, & tredecim orationes constitutas sic cantare, vt mens ipsorum voci concordet, iuxta illud Prophetæ: *Psallite Domino sapienter*. Et illud: *In conspectu Angelorum psallam tibi*; vos vnanimes collaudamus. Hoc autem in arbitrio Magistri semper consistere debet.

*Vt communitas victus inter fratres seruetur.*

XIX. Legitur in diuina pagina: diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Ideo non dicimus, vt sit personarum acceptio, sed infirmitatum debet esse consideratio. Vbi autem, qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò, humiliter pro infirmitate, non extollatur pro misericordia, & ita

ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abstinentiam amplecti liceat, sed communem vitam instanter teneant.

*De qualitate & modo vestimenti.*

xx. Vestimenta autem vnius coloris semper esse iubemus, verbi gratia, alba, vel nigra, vel vt ita dicam, burella. Omnibus autem militibus professis in hyeme, & in æstate, si fieri potest, alba vestimenta concedimus; vt qui tenebrosam vitam postposuerint, per liquidam, & albam suo conditori se reconciliari agnoscant. Quid albedo, nisi integra castitas? Castitas, securitas mentis, sanitas corporis est. Nisi enim vnusquisque miles castus perseuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; testante Apostolo Paulo: *Pacem sectamini cum omnibus & castimoniam, sine qua nemo videbit Dominum*. Sed quia huiusmodi indumentum arrogantiæ, ac superfluitatis æstimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt solus leniter per se vestire, exuere, & calciare, ac discalciare valeat. Procurator huius ministerij peruigili cura hoc vitare præsumat, ne nimis longa, aut nimis curta, sed mensurata ipsis vtentibus, secundum vniuscuiusque quantitatem suis Fratribus tribuat. Accipientes itaque noua, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in camera, vel vbi Frater, cuius est ministerium, decreuerit, propter armigeros, & clientes, & quandoque pro pauperibus.

*Quod famuli vestimenta alba, hoc est, pallia non habeant.*

xxi. Hoc nempe, quod erat in domo Dei, ac suorum militum Templi, sine discretione, ac consilio communis Capituli, obnixè contradicimus, & funditus, q. quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli, & armigeri alba vestimenta, vnde veniebant damna importabilia: Surrexerunt namque in vltramontanis partibus quidam pseudofratres, & coniugati, & alij dicentes se esse de Templo,

cùm sint de mundo. Hi nempè tantas contumelias, totque damna militari ordini acquisierunt, & clientes remanentes plurima scandala oriri inde superbiendo fecerunt. Habeant igitur assiduè nigra, sed si talia non possunt inuenire, habeant, qualia inueniri possunt in illa prouincia, qua degunt, aut quod vilius vnius coloris comparari potest, videlicet burella.

*Quod milites remanentes tantum alba habeant.*

XXII. Nulli ergo concessum est candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, nisi nominatis militibus Christi.

*Vt pellibus agnorum vtantur.*

XXIII. Decreuimus communi consilio, vt nullus Frater remanens pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vsum corporis pertineat, etiāque coopertorium, nisi agnorum, vel arietum habeat.

*Vt vetusta armigeris diuidantur.*

XXIV. Procurator, vel dator pannorum omni obseruantia veteres semper armigeris, & clientibus, & quandoq; pauperibus fideliter æqualiterque erogare intendat.

*Cupiens optima, deteriora habeat.*

XXV. Si quis Frater remanens ex debito, aut ex motu superbię, pulchra vel optima habere voluerit, ex tali præsumptione, proculdubio vilissima merebitur.

*Vt quantitas & qualitas vestimentorum seruetur.*

XXVI. Quantitatem secundum corporum magnitudinem, largitatemque vestimentorum obseruare oportet, dator pannorum sit in hoc curiosus.

Vt

*Vt dator pannorum imprimis æqualitatem seruet.*

XXVII. Longitudinem, vt superius dictum est, cum æquali mensura, ne vel susurronum, vel comminatorum aliquid oculus notare præsumat, Procurator Fraterno intuitu consideret, & in omnibus supradictis, Dei retributionem humiliter cogitet.

*De superfluitate capillorum.*

XXVIII. Omnes Fratres, remanentes principaliter, ita tonsos habere capillos oportet, vt regulariter ante, & retrò, & ordinatè, considerare possint; & in barba, & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obseruetur, ne superfluitas, aut faceciæ vitium denotetur.

*De rostris & laqueis.*

XXIX. De rostris, & laqueis manifestum est esse gentilicium. Et cùm abominabile hoc omnibus agnoscatur, prohibemus, & contradicimus, vt aliquis ea non habeat, immò prorsus careat. Alijs autem ad tempus famulantibus, rostra, & laquea, & capillorum superfluitatem, & vestium immoderatam longitudinem habere non permittimus, sed omninò contradicimus. Seruientibus enim summo Conditori, munditia interiùs, exteriusque valde necessaria, eo ipso attestante, qui ait: *Estote mundi, quia ego mundus sum.*

*De numero equorum & armigerorum.*

XXX. Vnicuique vestrorum militum tres equos licet habere: quia domus Dei, Templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræsentiarum augere, nisi cum Magistri licentia.

*Nullus armigerum gratis seruientem feriat.*

XXXI. Solùm autem armigerum singulis militibus eadem causa

causa concedimus; sed si gratis, & charitatiuè ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

*Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.*

XXXII. Omnibus militibus seruire IESV CHRISTO animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negocio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei necessarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde verò ex vtraque parte æqualitate seruatâ, bonum, & vtile appretiari equos iudicauimus. Habeatur itaque precium in scripto, ne tradatur obliuioni, & quicquid militi, vel eius equis, vel armigero erit necessarium, adiunctis & ferris equorum secundum facultatem domus, ex eadem domo fraternâ charitate impendatur. Si verò interim equos suos miles aliquo euentu in hoc seruitio amiserit, Magister, prout facultas domus hoc exigit, alios administrabit. Adueniente autem termino repatriandi, medietatem precij ipse miles diuino amore concedat, alteram ex communi Fratrum, si ei placet, recipiat.

*Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.*

XXXIII. Conuenit his nempè militibus, qui nihil sibi Christo charius existimant, propter seruitium, secundum quod professi sunt, & propter gloriam summæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indesinenter Magistro teneant. Tenenda est itaque vt mox, vbi aliquid imperatum à Magistro fuerit, vel ab illo, cui Magister mandatum dederit, sine mora, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De talibus enim ipsa veritas dicit: ***Obauditu auris, obediuit mihi.***

*Si licet ire per villam sine iussu Magistri.*

XXXIV. Ergo hospitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum seruientes, deprecamur, & firmiter

miter eis iubemus, vt fine Magiſtri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præſumant, præterquam noctu ad ſepulchrum, & ad ſtationes, quæ intra muros ſanctæ ciuitatis continentur.

*Si licet eum ambulare ſolum.*

XXXV. Hi verò ita ambulantes, non ſine cuſtode, id eſt, milite, aut Fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque poſtquam hoſpitati fuerint, nullus miles, vel armiger, aut famulus per atria aliorum militum, cauſa videndi, vel cum aliquo loquendi ſine iuſſu, vt dictum eſt ſuperiùs, incedat. Itaque conſilio affirmamus, vt in tali domo ordinata à Deo, quòd nullus ſecundum proprietatem militet, aut quieſcat, ſed ſecundum Magiſtri imperium totus ſe incumbat, vt illam Domini ſententiam imitari valeat, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui me miſit.*

*Vt nullus nominatim, quod ei neceſſarium erit, quærat.*

XXXVI. Hanc propriè conſuetudinem inter cætera adſcribere iubemus, & cũ omni conſideratione, ob quærendi vitiũ, teneri præcepimus. Nullus igitur Frater remanens aſſignanter, & nominatim equum, aut equitaturam, vel arma quærere debet. Quomodo ergo? Si verò eius infirmitas, aut equorum ſuorum grauitas, talis eſſe agnoſcitur, vt ſic incedere ſit damnum commune, veniat Magiſtro, vel cui eſt debitum miniſterium poſt Magiſtrum, & cauſam vera fide, & pura ei demonſtret: Inde namq; in diſpoſitione Magiſtri, vel poſt eum Procuratoris res ſe habeat.

*De frenis & calcaribus.*

XXXVI. Nolumus, vt omninò aurum, vel argentum, quæ ſunt diuitiæ peculiares, in frenis, & pectoralibus, nec calcaribus, vel in ſtrenuis vnquam appareant, nec alicui Fratri remanenti

emere

emere liceat. Si verò charitatiuè talia vetera instrumenta data fuerint, aurum vel argentũ taliter coloretur, ne splendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, Magister de talibus quod voluerit faciat.

*Tegimen in hastis & clipeis non habeatur.*

XXXVIII. Tegimen autem in clypeis & hastis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.

*De licentia Magistri.*

XXXIX. Licet Magistro cuiquam dare equos vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

*De mala & sacco.*

XL. Sacculus & mala cum firmatura non conceduntur: sic exponentur, ne habeant absque Magistri licentia, vel cui creduntur domus post eum negocia, in hoc præsenti capitulo Procuratores & per diuersas prouincias degentes non continentur nec ipse Magister intellgitur.

*De legatione litterarum.*

XLI Nullatenus cuiquã fratrũ liceat à parẽtibus suis, neq; à quoquam hominum nec sibi inuicem accipere vel dare litteras sine iussu Magistri vel Procuratoris. Postquam licentiam frater habuerit, in præsentia Magistri, si ei placet, legantur. Si verò & à parentibus ei quidquam directum fuerit, nõ præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Magistro. In hoc autem capitulo Magister & domus Procuratores non continentur.

*De fabulatione propriarum culparum.*

XLII. Cùm omne verbum otiosum generare agnoscatur peccatum, quid ipsi iactantes de proprijs culpis ante districtum iudicem dicturi sunt? Ostendit certè Propheta; Si à bonis eloquijs

quijs propter taciturnitatem debet interdum taceri; quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Vitamus igitur,& audacter contradicimus, ne aliquis frater remanens, vt meliùs dicam, stultitias, quas in seculo, in militari negotio, tam enormiter egit, & carnis delectationes miserrimarum mulierũ cum fratre suo, vel alio aliquo, vel de alio commemorare audeat: & si fortè referentem aliquem talia audierit, obmutescere faciat, vel quantociùs poterit, cito pede obedientiæ inde discedat, & olei venditori, aurem cordis non præbeat.

*De quæstu & acceptione.*

XLIII. Verũenimuerò, si aliqua res sine quæstu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat Magistro, vel Dapifero: si verò aliter suus amicus vel parens dare, nisi ad opus suum, noluerit hoc prorsus nõ recipiat, donec licentiam à Magistro suo habeat. At cui res data fuerit, nõ pigeat illi, si illi datur: imò pro certò sciat, quia si inde irascitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula Ministratores non continentur, quibus specialiter hoc ministerium debetur, & conceditur de mala, & sacco.

*De manducarijs equorum.*

XLIV. Vtilis res est cunctis, hoc præceptum, à nobis constitutũ, vt indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem Frater facere præsumat manducaria linea, vel lanea, idcircò principaliter facta; nec habeat vlla, excepto profinello.

*Vt cambiare vel quærere nullus audiat.*

XLV. Nunc aliquid restat, vt nullus præsumat cambiare sua, frater cum fratre, sine licentia Magistri; & aliquid quęrere, nisi frater fratri, & si res parua, vilis, non magna.

*Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.*

XLVI. Quod nullus auem cum aue accipere audeat, nos communiter iudicamus: non cõuenit enim religioni, sic cum mun-

danis delectationibus inhærere, sed Domini præcepta libenter audire, orationibus frequenter incumbere, mala sua cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus frater remanens, hac principali causa, ire præsumat.

*Vt nullus feram arcu vel balista percutiat.*

XLVII. Cùm omni religione ire deceat, simpliciter, & sine risu, humiliter, & non multa verba, sed rationabilia loqui, & non sic clamosa in voce: specialiter iniungimus, & præcipimus omni Fratri professione in bosco cum arcu, aut balista iaculari audeat nec cum illo, qui hoc fecerit, ideò pergat, nisi gratia eum custodiendi à perfido gentili: nec cum cane sit ausus clamare, vel garrulare; nec equum suum, cupiditate accipiendi feram, pungat.

*Vt leo semper feriatur.*

XLVIII. Nam est certum, quod vobis specialiter creditum est, & debitum, pro fratribus vestris animas ponere, atque incredulos, qui semper Virginis filio minitantur, de terra delere. De leone enim hoc legimus, quia ipse circuit, quærens quem deuoret; & manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.

*De omni re super vos quæsita, iudicium audite.*

XLIX. Nouimus quidem persecutores S. Ecclesiæ innumerabiles esse, & hos, qui contentionem non amant, incessanter, crudeliusque inquietare festinant. In hac igitur Cõcilij sententia serenâ consideratione pendeat, vt si aliquis in partibus Oriẽtalis religionis, in quocumque alio loco super vos rem aliquam quæsierit, vobis per fideles, vt veri amatores iudices audire iudicium præcipimus, & quod iustum fuerit, indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

Vt

*Vt hæc Regula in omnibus teneatur.*

L. Hac eadem Regula in omnibus rebus vobis immeritò ablatis, perenniter iubemus, vt teneatur.

*Quod licet omnibus militibus professis, terram & homines habere.*

LI. Diuina, vt credimus, prouidentia à vobis in sanctis locis sumpsit exordium hoc genus nouum religionis, vt videlicet religionis militiã admisceretis, & sic religio per militiam armata procedat, hostem sine culpa feriat. Iure igitur iudicamus, cùm milites Templi dicamini, vos ipsos, ob insigne meritum, & speciale probitatis, domum, terram, & homines habere, & agricolas possidere, & iustè eos regere, & institutum debitum vobis specialiter debetur impendi.

*Vt de malè habentibus, cura peruigil habeatur.*

LII. Malè habentibus Fratribus super omnia adhibenda est cura peruigil, vt quasi Christo eis seruiatur, vt illud Euangelicũ *Infirmus fui, & visitasti me*, memoriter teneatur: hi etenim diligenter, ac patienter portandi sunt, quia de talibus superna retributio indubitanter acquiritur.

*Vt infirmis necessaria semper dentur.*

LIII. Procuratoribus verò infirmantium omni obseruantia, atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque sustentationi diuersarum infirmitatum sunt necessaria, fideliter, ac diligenter, iuxta domus facultatem eis administrent v. g. carnem, & volatilia, & cætera; donec sanitati restituantur.

*Vt alter alterum ad iram non prouocet.*

LIV. Præcauendum nempè non modicum est, ne aliquis aliquem commouere ad iram præsumat; quia propinquitatis, & diuinæ Fraternitatis, tam pauperes, quàm potentes summa clementia æqualiter adstringit.

*Quomodo fratres coniugati habeantur.*

LV. Fratres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt si fraternitatis vestræ beneficium, & participationem petunt, vterque suæ substantiæ portionem, & quicquid amplius acquisierint, vnitati communis Capituli post mortem concedant, & interim honestam vitam exerceant, & bonum agere Fratribus studeãt, sed veste cãdida, & chlamyde alba non incedant. Si verò maritus antè obierit, partem suam Fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ sustentamentum habeat: hoc enim iniustum consideramus, vt cum fratribus Deo castitatem promittentibus, Fratres huiusmodi in vna, eademque domo maneant.

*Vt amplius Sorores non habeantur.*

LVI. Sorores quidem amplius periculosum est coadunare; quia antiquus hostis fœmineo consortio complures expulit à recto tramite paradisi. Itaque Fratres charissimi, vt integritatis flos inter vos semper appareat, hac consuetudine amodò vti non liceat.

*Vt fratres Templi, cum excommunicatis non participent.*

LVII. Hoc, Fratres, valdè cauendum, atque timendum est, ne aliquis ex Christi militibus homini excommunicato nominatim, ac publicè aliquo modo se iungere, aut suas accipere prçsumat, ne anathema maranatha similiter fiat. Si verò interdictus tantùm fuerit, cum eo participationem habere, rem suam charitatiuè accipere non immeritò licebit.

*Qualiter milites seculares recipiantur.*

LVIII. Si quis miles ex massa perditionis, vel alter secularis sæculo volens renunciare, vestram communionem, & vitam velit eligere, non ei statim assentiantur, sed iuxta illud Pauli: Probate spiritus, si ex Deo sunt, & sic ei ingressus concedatur. Legatur

gatur igitur Regula in eius præsentia: & si ipse præceptis expositæ Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc si Magistro, & Fratribus eius recipere placuerit, conuocatis Fratribus, desiderium, & petitionem suam cunctis animi puritate patefaciat: Deinde verò terminus probationis in consideratione, & prouidentia Magistri, secundum honestatem vitæ petentis, omninò pendeat.

*Vt omnes fratres ad secretum consilium non vocentur.*

LIX. Non semper omnes Fratres ad consilium conuocare iubemus, sed quos idoneos, & consilio prouidos Magister cognouerit. Cùm autem de maioribus tractare voluerit, vt est, dare communem terram, vel de ipso Ordine disceptare, aut fratrem recipere, tunc omnem congregationem, si Magistro placet, cõuocare, est competens: auditoque communis capituli consilio, quod melius, & vtilius Magister considerauerit, illud agatur.

*Quod cum silentio orare debeant.*

LX. Orare fratres prout animi, & corporis affectus postulauerit, stando, vel sedendo, tamen summa cum reuerentia, simpliciter & non clamosè, vt vnus alium non conturbet, communi consilio iubemus.

*Vt fidem seruientium accipiant.*

LXI. Agnouimus nempè complures ex diuersis prouincijs, tam clientes, quàm armigeros pro animarum salute, animo feruenti ad terminum cupientes in domo nostra mancipari, vtile est autem, vt fidem eorum accipiatis, ne fortè veteranus hostis in Dei seruitio aliquid furtiuè, vel indecenter eis intimet, vel à bono proposito repentè exterminet.

*Vt pueri quamdiu sunt parui, non accipiantur inter fratres Templi.*

LXII. Quamuis Regula Sanctorum Patrum pueros in congregatione permittat habere; nos de talibus non collaudamus

vos vnquam onerare. Qui vero filium suum, vel propinquum, in militari religione perenniter dare voluerit, vsque ad annos, quibus viriliter armata manu possit inimicos Christi de terra sancta delere, eum nutriat: dehinc secundum Regulam in medio Fratrum pater, vel parentes eum statuant, & suam petitionem cunctis patefaciant. Melius est enim in pueritia non vouere, quàm, postea quam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

*Vt senes semper venerentur.*

LXIII. Senes autem pia consideratione secundum virium imbecillitatem supportare, ac diligenter honorare oportet: & nullatenus in his, quæ corporis sunt necessaria, districtè teneantur, saluâ tamen authoritate Regulæ.

*De fratribus qui per diuersas Prouincias proficiscuntur.*

LXIV. Fratres verò, qui per diuersas prouincias diriguntur, Regulam, in quantum vires experunt, seruare in cibo, & potu, & cæteris studeant, & irreprehensibiliter viuant, vt ab his, qui foris sunt, bonum testimonium habeant. Religionis propositum nec verbo, nec actu polluant, sed maximè omnibus, quibus se coniunxerint, sapientiæ, & bonorum operum exemplum, & condimentum præbeant. Apud quem hospitari decreuerint, famâ optimâ sit decoratus, &, si fieri potest, domus hospitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebrosus hostis occisionem, quod absit, inferat. Vbi autem milites non excommunicatos congregare audierint, illuc pergere, non considerantes tam temporalem vtilitatem, quàm æternam animarum illorum salutem, dicimus. Illis autem Fratribus in vltramarinis partibus spe subuectionis ita directis, hac conuentione eos, qui militari ordini se iungere perenniter voluerint, recipere collaudamus, vt in præsentia Episcopi illius prouinciæ vterque conueniant, & voluntatem petentis Præsul audiat: auditâ itaque petitione, mittat eum Frater ad Magistrum,

Magiſtrum, & ad Fratres, qui ſunt in Templo, quod eſt in Ieruſalem, & ſi vita eius eſt honeſta, talique conſortio digna, miſericorditer ſuſcipiatur, ſi Magiſtro, & Fratribus bonum videtur. Si verò interim obierit, pro labore, & fatigatione, quaſi vni ex Fratribus, totum beneficium, & fraternitas pauperum, & commilitonum Chriſti ei impendatur.

*Vt victus æqualiter omnibus diſtribuatur.*

LXV. Illud quoque congruè, & rationabiliter manu tenendum cenſemus, vt omnibus Fratribus remanentibus victus ſecundum loci facultatem æqualiter tribuatur. Non enim eſt vtilis perſonarum acceptio, ſed infirmitatum neceſſaria eſt conſideratio.

*Vt milites Templi decimas habeant.*

LXVI. Credimus namque relictis affluentibus diuitijs vos, ſpontaneæ paupertati eſſe ſubiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iuſtè habere hoc modo demonſtrauimus: Si Epiſcopus Eccleſiæ, cui decima iure debetur, vobis charitatiuè eam dare voluerit, aſſenſu communis Capituli de illis decimis, quas tunc Eccleſia poſſidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio ſuo damnabiliter amplectitur, & ſe ipſum in hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit, ad nutum eius, qui præeſt tantùm, ſine conſenſu Capituli id agere poteſt.

*De leuibus & grauibus culpis.*

LXVII. Si aliquis Frater loquendo, vel militando, aut aliter aliquid leue deliquerit, ipſe vltrò delictum ſuum ſatisfaciendo Magiſtro oſtendat. De leuibus ſi conſuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeat. Si verò eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori, & eui-

& euidentiori subiaceat disciplinæ, & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur à familiaritate Fratrum, nec cum illis simul in eadem mensa edat, sed solus refectionem sumat, dispensationi, & iudicio Magistri totum incumbat, vt saluus in iudicij die permaneat.

### *Qua culpa frater amplius non recipiatur.*

LXVIII. Ante omnia prouidendum est, ne quis Frater potens, vel impotens, fortis, aut debilis, volens se exaltare, & paulatim superbire, ac culpam suam defendere, indisciplinatus maneat: sed si emendare noluerit, ei districtior correptio accedat. Quòd si pijs admonitionibus, & fusis pro eo orationibus emendare noluerit, sed in superbia magis, ac magis erexerit, tunc secundum Apostolum de pio eradicetur grege: *Auferte malum ex vobis*. Necesse est, vt à societate Fratrum fidelium ouis moribunda remoueatur. Cæterùm Magister, qui baculum, & virgam manu tenere debet, baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates sustentet, virgam quoque, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat: consilio Patriarchæ, & spiritali consideratione id agere studeat, ne, vt ait Beatus Maximus, aut solutior lenitas cohibentiam peccantis, aut immoderata seueritas à lapsu non reuocet delinquentem.

### *Vt à Paschali solennitate vsque ad festum omnium Sanctorum vnam camisiam lineam tantum sumere habeat.*

LXIX. Interea, quo nimium ardorem Orientalis regionis misericorditer consideramus, vt à Paschali festiuitate vsque ad omnium Sanctorum solemnitatem, vnicuique vna camisia linea tantùm, non ex debito, sed sola gratiâ detur, illi dico, qui ea vti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camisias laneas habeant.

*Quot*

*Quot & quales panni in Lecto sint necessarij.*

LXX. Singulorum quidem, non aliter, per singula lecta dormientium dormire, nisi permaxima causa, vel necessitas euenerit, communi consilio collaudamus. Lectualia, vel lectisternia moderata dispensatione Magistri vnusquisque habeat: Credimus enim potiùs saccum, culcitram, & coopertorium vnicuique sufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id est, veluso frui benè licebit. Vestiti autem camisijs dormiant, & femoralibus semper dormiant. Dormientibus itaque Fratribus, iugiter vsque manè nunquam desit lucerna.

*De vitanda murmuratione.*

LXXI. Æmulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrationes, detractiones, diuinâ admonitione vitare, & quasi quandam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisque vigilante animo, ne Fratrem suum clam culpet, aut reprehendat, sed illud Apostoli studiosè secum animaduertat: *Ne sis criminator, ne susurro in populo*. Cùm autem Fratrem liquidò aliquid peccasse agnouerit, pacificè, & fraternâ pietate, iuxta Domini præceptum, inter se, & illum solum corripiat: & si eum non audierit, alium fratrem adhibeat; sed si vtrumque contempserit, in conuētu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis sunt, qui alijs detrahunt: & nimiæ infelicitatis sunt, qui se à liuore minimè custodiunt; vnde in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur.

*Vt omnium mulierum fugiantur oscula.*

LXXII. Periculosum esse credimus in omni religione, vultum mulierum nimis attendere: & ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec sororem, nec amitam, nec vllam aliam fœminam aliquis Frater osculari præsumat. Fugiat ergo fœminea oscula Christi militia, per quæ solent homines sæpe periclitari, vt pura conscientia, & secura vita, in conspectu Domini perenniter valeat conuersari. Amen.



# CAPVT XXXVI.

*De origine Ordinis Fratrum Minorum, Capucinorum, Recollectorum aliorumque S. Francisci Patris Seraphici Regulam amplectentium.*





SACER ille, de quo sermocinamur, ORDO MINORVM, Auctorem suum habet S. FRANCISCVM hominē Italum, Assisij natum: qui cùm sub Innocentio III. & Honorio III. Pontificibus floruisset, à Gregorio IX. miraculis clarus, in Canonem relatus est. Diuersæ Reformationes, hunc Ordinem in diuersas Familias diuiserunt. Quidam enim dicuntur CLAVSTRALES siue CONVENTVALES, qui in strictæ paupertatis articulo, & quibusdam alijs REGVLÆ præceptis & obseruantijs, auctoritate Romanorum Pontificum fuêre dispensati. Alij verò dicuntur OBSERVANTES eo quod in perfectâ eiusdem REGVLÆ obseruantia, firmiter perseuerent, licet alij alijs strictiùs, qui & propterea RECOLLECTÆ seu REFORMATI nuncupantur.

Porro

Porro Capucinorum Sodalium Inſtitutum F. MATTHÆVS BASCHIVS inchoauit in Vmbria, anno ∞. D. XXV. comiteſque habuit F. LVDOVICVM TENALIAM FOROSEMPROMENSEM eiuſque fratrem germanum. Hi Romam profecti, à Clemente VII. Pont. Max. impetrarunt facultatem *ferendi tunicam aſperiorem & villoſam coloris ſubcinericij, cum caputio in vertice acuminato: facultatem ſimiliter ſuſcipiendi* FRATRES, *& ſeculares ad eundem habitum, atque trium votorum profeſſionem admittendi: vt conſtat ex diplomate dato anno* ∞. D. XXVI. *die* VIII. *Maij.*

In Belgicam verò noſtram, anno ∞. D. LXXXVI. primus euocauit Alexander Dux Parmenſis Prouinciarum noſtrarum Gubernator, qui & IN HABITV & in Monaſterio huius Ordinis Parmæ ſepeliri voluit.

Ceterùm S. FRANCISCI REGVLA, quæ quarta inter approbatas enumeratur, ex Euangelij albo, ſiue prototypo excerpta, ab Innocentio III. anno ∞. CC. VIII. aut ſequenti primitùs eſt approbata & confirmata: quam & poſtmodùm dato diplomate confirmauit Honorius III. ſui Pontificatus anno VIII. Sacri huius Ordinis Inſignia ſuperius addidiſſe libuit.

---

# REGVLA
## S. FRANCISCI.

*In nomine Domini, incipit Regula & vita Minorum Fratrum.*

CAP. I. REGVLA, & vita Minorum Fratrum hæc eſt: ſcilicet, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare, viuendo *in obedientia, & ſine proprio,* **Tria vota.**

 *& in*

*Præceptum formale.* *& in castitate.* Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur *Refertur ad præceptum de obediētia.* Fratri Francisco, & eius successoribus obedire.

*Cap. 10.*

*De ijs qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.*

CAP. II. Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Prouinciales, quibus solummodò, & non alijs, recipiendi Fratres licentia *Conditiones æquiualentes in receptione Fratrum.* concedatur. Ministri verò diligenter examinent eos de Fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis: & si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finem firmiter obseruare: & vxores non habent; vel si habent, & iam Monasterium intrauerint vxores: vel licentiam eis dederint auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso: & illius ætatis sint vxores, quòd de eis non possit oriri suspicio: dicant eis verbum sancti Euangelij, quòd vadant & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspirauerit eis: si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Posteà concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sine capucio, & cingulum, & braccas, & caparonem vsque ad cingulum (nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur.) Finito verò anno probationis, recipiantur, ad obedientiam promittentes vitam *Præceptum inhibitoriū.* istam semper & Regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ: quia *Luca 9. 62.* secundùm sanctum Euangelium, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Et illi qui iam promi- *Æquipollēs.* serunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam

aliam sine capucio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes, vestimentis vilibus induantur. Et possint ea repeciare de saccis, & alijs pecijs, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis: sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum.

*Æquipollēs.*
*Æquipollēs.*
*Libertas.*
*Exhortatio.*

*De diuino Officio, & ieiunio: & quomodo Fratres debeant ire per mundum.*

CAP. III. Clerici faciant diuinum Officium secundùm Ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio; ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino; pro Laudibus quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum Horarum, septem; pro Vesperis autem duodecim: pro Completorio, septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à Festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti; sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Alijs autem temporibus non teneantur nisi sexta Feria ieiunare. Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadant per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent: sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primùm dicant: Pax huic domui. Et secundùm sanctum Euangelium, de omnibus cibis quæ apponuntur eis, liceat manducare.

*Æquipollēs.*
*Æquipollēs.*
*Libertas.*
*Refertur ad præcedens de ieiunio.*
*Libertas.*
*Exhortatio.*
*Admonitio.*
*Æquipollēs.*
*Admonitio.*

*Quòd Fratres non recipiant pecuniam.*

*Præceptum formale.* CAP. IV. Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam. *Æquipollēs.* Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs Fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantùm, & Custodes, sollicitam curam gerant, secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper saluo, vt (sicut dictum est) denarios vel pecuniam non recipiant.

*De modo laborandi.*

*Admonitio.* CAP. V. Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quòd excluso otio, animæ inimico, sanctæ orationis ac deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deseruire. *Refertur ad præceptum de non recipiendo pecuniam. cap. 4.* De mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam, & hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

*Quòd Fratres nihil sibi approprient: & de eleemosyna petenda: & de Fratribus infirmis.*

*Præceptum inhibitoriū.* CAP. VI. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, *Admonitio.* vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. *Admonitio nobilis.* Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos Fratres meos, hæredes & Reges Regni cœlorum instituit: pauperes rebus fecit; virtutibus autem sublimauit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectissimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cœlo habere *Admonitio.* velitis. Et vbicumque sunt, & se inuenerint Fratres, ostendant se dom-

se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem; quanto diligentiùs debet quis diligere & nutrire Fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei seruire sicut vellent sibi seruiri. *Æquipollēs.*

## *De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.*

CAP. VII. Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quàm citiùs poterunt sine mora. Ipsi verò Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitentiam: si verò Presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cauere debent ne irascantur, & conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira & conturbatio, in se & in alijs, impediunt charitatem. *Habens vim præcepti.* *Admonitio.* *Exhortatio.*

## *De electione Generalis Ministri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.*

CAP. VIII. Vniuersi Fratres, vnum de Fratribus istius Religionis teneātur semper habere in Generalem Ministrum, & seruum totius Fraternitatis. Et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat à Ministris Prouincialibus & Custodibus, in Capitulo Pentecostes. In quo Prouinciales Ministri teneantur semper insimul conuenire, vbicumque à Generali Ministro fuerit constitutum: & hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres (quibus electio data est) in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri *Habens vim præcepti.* *Refertur ad præceptum de obedientia. Cap. 10.* *Habens vim præcepti.* *Habens vim præcepti.* *Libertas.*

nistri & Custodes possint singulis, si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodijs semel Fratres suos ad Capitulum conuocare.

*De Prædicatoribus.*

*Æquipollēt.* CAP. IX. Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fra- *Æquipollēt.* trum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab *Admonitio.* eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

*De admonitione & correctione Fratrum.*

*Admonitio.* CAP. X. Fratres qui sunt Ministri & serui aliorum Fratrum, visitent & moneant Fratres suos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra ani- *Admonitio.* mam suam, & Regulam nostram. Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias vo- *Præceptum formale.* luntates. Vnde firmiter præcipio eis vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt *Æquipollēt.* contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ. Et vbicumque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare; ad suos Ministros debeant, & possint re- *Admonitio.* currere. Ministri verò charitatiuè & benignè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, vt dicere possint eis, & facere sicut domini seruis suis: nam ita debet esse, quòd *Exhortatio.* Ministri sint serui omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Iesu Christo, vt caueant Fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & sollicitudine huius sæculi, *Exhortatio.* à detractione & murmuratione. Et non curent nescientes litteras,

teras, litteras discere, sed attendant, quòd super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem: orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate; & diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt & arguunt; quia dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* *Admonitio nobilis.* *Matth. 5. 44.* *Mat. 10. 22.*

*Quòd Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.*

CAP. XI. Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione, inter fratres, vel de fratribus, scandalum oriatur. *Præceptum formale.* *Præceptum formale.* *Præceptum formale.*

*De euntibus inter Saracenos & alios infideles.*

CAP. XII. Quicumque fratrum, diuina inspiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles; petant inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis; vt semper subditi & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus. *Libertas.* *Præceptum formale.*

Explicit Regula & vita fratrum Minorum.

*Sequitur confirmatio Regulæ.*

NVlli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno octauo.

Explicit confirmatio Regulæ Fratrum Minorum.

---

*Testamentum seu Expositio & glossa spiritualis Regulæ beatissimi Patris Francisci, quod insignitus sacris stigmatibus, feruore & Spiritu sancto plenus, prope finem vitæ suæ suis reliquit, vt Regula magis sincerè magisque Catholicè obseruetur.*

DOminus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere pœnitentiam: quia cùm essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos: & ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod mihi videbatur amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis.

Et posteà parum steti & exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesijs, vt ita simpliciter adorarem & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe, hîc, & ad omnes Ecclesias, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Et posteà dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt secundùm formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipsorum, quòd si facerent mihi persecutionem, nolo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam

*Oratio ad Ecclesias.*

*Honorandi Sacerdotes.*

ſapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſęculi, in parochijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos & omnes alios volo timere, & amare, & honorare ſicut meos dominos. Et nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & domini mei ſunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum Corpus eius, & Sanguinem ſuum, quod ipſi conſecrant & recipiunt, & ipſi ſoli alijs adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria volo ſuper omnia honorare & venerari, & in locis pretioſis collocare. Et ſanctiſſima nomina eius, & verba ſcripta vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo quòd colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſſima verba diuina, debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam. *Miniſtri Corporis Christi.* *Theologi venerandi.*

Et poſtquam Dominus dedit mihi de fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi, quòd ego deberem ſecundùm formam ſancti Euangelij viuere: & ego paucis verbis & ſimpliciter feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendam vitam iſtam, omnia quæ habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica vna, intus & foris repeciata, qui volebant, cum cingulo & braccis, & nolebamus plus habere. *Recipiendi omnia dabant pauperibus.*

Officium dicebamus nos Clerici ſecundùm alios Clericos, Laici dicebant Pater noſter. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſijs pauperculis & derelictis: & eramus idiotæ & ſubditi omnibus.

Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij fratres mei firmiter volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem: & qui neſciunt, addiſcant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendum otioſitatem. *Laborandũ fratribus.*

Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi Dominus vt diceremus: Dominus det tibi pacem. Et caueant sibi fratres, vt Ecclesias, & habitacula, & alia omnia quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus obseruare, semper ibi hospitantes tamquam peregrini & aduenæ. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuersis, vt vbicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per se, nec per interpositam personam; neque pro Ecclesia, neque pro alio loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum: sed vbicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram, ad faciendam ibi pœnitentiam cum benedictione Dei.

*Salutatio S. Francisci.*

*Littera non petenda.*

Et firmiter volo obedire Ministro Generali huius fraternitatis, & illi Guardiano quem sibi placuerit mihi dare; & ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere vltra obedientiam & voluntatem suam, quia dominus meus est.

*Obedientia qualis esse debeat.*

Et quamuis sim simplex & infirmus, tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat Officium sicut in Regula continetur. Et omnes alij fratres teneantur obedire Guardianis suis; & facere Officium secundùm Regulam. Et qui inuenti essent, qui nollent facere Officium secundùm Regulam, & vellent aliquo modo variare, aut non essent Catholici, omnes fratres vbicumque sunt, per obedientiam teneantur, vbicumque inuenerint, aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, vbi ipsum inuenerint, præsentare. Et Custos firmiter teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis, die noctuque, ita quòd non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister firmiter teneatur per obedientiam, ipsum mittere per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum sicut hominem in vinculis, donec repræsentent eum

*Cap. 3.*

*Haeretici fratres capiendi.*

eum coram Domino Hostiensi, qui est Dominus, Protector & Corrector istius fraternitatis.

Et non dicant fratres, Hæc est alia Regula: quia hęc est recordatio, admonitio & exhortatio, ac meum Testamentum, quod ego frater Franciscus paruulus vester & seruus facio vobis fratribus meis benedictis, propter hoc vt Regulam quam Domino promisimus, meliùs Catholicè obseruemus.

Et Generalis Minister, & omnes alij Ministri & Custodes per obedientiam tenentur in istis verbis non addere vel minuere, & semper hoc scriptum habeant secum, iuxta Regulam. Et in omnibus Capitulis quę faciunt, quando legunt Regulam, legant & ista verba. *Regula semper gestāda.*

Et omnibus fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glossas in Regulam, nec in istis verbis, dicendo: Ita volunt intelligi: sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter & purè dicere & scribere Regulam & ista verba; ita simpliciter & purè sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finem. *Non glossa in eam mittenda.*

Et quisquis obseruauerit hæc, in cælo repleatur benedictione altissimi Patris cælestis; & in terra repleatur benedictione dilecti Filij sui, cum sanctissimo Spiritu paraclito, cui est honor & gloria, nunc & in æternum. Et ego frater Franciscus paruulus vester & seruus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem, quam habeatis cum omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis, nunc & in sæcula sæculorum. Amen. *Benedictio S. Francisci.*

## *Summarium Præceptorum.*

PRimum status nostri substantiale fundamentum (vt ait Hugo in 1. cap. Regulæ) est, Euangelica seruare consilia, quæ in Regula sunt expressa: & eo modo & forma prout in ipsa posita sunt. Vnde assertiuè dicendum est, nihil esse in Regula quod sub mortali culpa, virtute voti regularis, obliget professores; nisi quod sub præceptoriis verbis in ea ponitur, vt (præ-

cipio: iniungo per obedientiam:) vel sub verbo habente vim præcepti; vt dicendo (teneantur:) vel sub verbo inhibitorio, seu prohibitorio, vt est illud 6. cap. (fratres nihil sibi approprient) vel nisi sit de illis æquipollentibus per Clementem V. (in sua declaratione super Regulam fratrum Minorum quæ incipit: Exiui de paradiso, &c.) specificatis & expressis. Quæ omnia hîc pro commoditate Nouitiorum subscribuntur.

VII. Præcepta formalia.
II. Inhibitoria.
IV. Habentia vim prçcepti.
XII. Æquipollentia præceptis.

*Præcepta Formalia.*

1. QVòd totus Ordo tenetur præstare obedientiam & reuerentiam Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ. cap. 1.

2. Quòd fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. cap. 4.

3. Quòd fratres obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare. cap 10.

4. Quòd fratres non habeant suspecta consortia mulierum. cap. 11.

5. Quòd non ingrediantur Monasteria Monacharum. cap. 11.

6. Quòd non fiant compartes virorum aut mulierum. cap. 11.

7. Quòd Ministri petant vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis. cap. 12.

*Inhibitoria.*

1. QVòd nullo modo liceat fratribus de ista Religione exire. cap. 2.

2. Quòd fratres nihil sibi approprient. cap. 6.

*Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale, ex declaratione Pontificum.*

1. QVòd fratres teneantur recurrere ad Ministros Prouinciales pro casibus reseruatis. cap. 7.

2. Quòd

2. Quòd fratres habeant vnum de fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum, &c. cap. 8.

3. Quòd Ministri & Custodes teneantur in simul conuenire in Capitulo Generali, pro electione successoris Generalis Ministri. cap. 8.

4. Quòd si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem; debeant eligere alium, &c. cap. 8.

*Æquipollentia ex declaratione Clementis V. obligantia ad mortale.*

1. QVòd fratres habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio qui voluerint habere. cap. 2.

2. Quòd illi tantùm qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta. cap. 2.

3. Quòd vilibus vestimentis induantur. cap. 2.

4. Quòd Clerici faciant diuinum Officium secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & Laici dicant Pater noster. cap. 3.

5. Quòd fratres ieiunent à Festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, sanctam Quadragesimam Resurrectionis, & in sextis Feriis totius anni. cap. 3.

6. Quòd non equitent, nisi manifesta necessitate aut infirmitate cogantur. cap. 3.

7. Quòd Ministri & Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus induendis. cap. 4.

8. Quòd fratres seruiant fratribus infirmis. cap. 6.

9. Quòd fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. cap. 9.

10. Quòd nullus fratrum populo audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius fraternitatis fuerit approbatus. cap. 9.

11. Quòd vbicumque sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, possint & debeant ad suos Ministros recurrere. cap. 10.

12. Omnia

12. Omnia quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tam Nouitiorum quàm etiam Professorum, & ad modum receptionis ac professionis spectantia; in quo multæ conditiones obligatoriæ comprehenduntur. cap. 2.

Hæc omnia si simul iungantur, constat quòd viginti quinque erunt obligatoria Regulæ sub culpa mortali. Septem scilicet præcepta formalia: duo inhibitoria: quatuor habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia: quæ omnia viginti quinque sunt. Et licet secundùm declarationes Nicolai III. & Clementis V. sunt viginti octo, reducuntur tamen ad vigintiquinque. Nam reliqua tria habentia vim præcepti, includuntur in supradictis. Id enim quod dicitur in primo capite (quòd fratres teneantur obedire successoribus sancti Francisci) & id quod dicitur capite octauo (quod teneantur obedire Generali Ministro) includuntur vtique in illo præcepto, capite decimo. Quòd obediant suis Prælatis in omnibus quæ non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ. Illud autem quod dicitur de ieiunio sextæ Feriæ, ad æquipollens reducitur vbi agitur de ieiunio. Illud verò duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos sine licentia, & non mittendo nisi idoneos; potiùs videtur præceptum iuris communis (cap. Quàm sit, de Iudæis & Saracenis. & cap. Cùm ex iniuncto, de hæreticis.) quàm particulare Regulæ nostræ, & ideò hîc non connumeratur.

Suaues admonitiones, salutares Exhortationes, & Regulæ Libertates, sunt suis locis in margine notata.

TEstamentum sancti Francisci non obligat nos sub culpa mortali ad sui obseruantiam. Quod & Gregorius IX. & Nicolaus III. expresse testantur. Ob reuerentiam tamen Seraphici Patris decet nos illud pro virili obseruare. Nec ad alia consilia Euangelica tenentur fratres quàm quę (vt dictum est) in Regula ponuntur. Eò tamen amplius tenentur quàm ceteri Christiani, quò statum perfectionis profitendo, seipsos in holocaustum & sacrificium medullatum Domino obtulerunt per verum

verum mundanorum omnium contemptum, & conari debēt pro viribus (vt monet Nicolaus III. & omnes Doctores) vt ea obseruent cum maximè seruiant ad ipsam perfectionem assequendam.

*Verba B. P. N. Francisci exhortatoria ad Fratres.*

O dilectissimi Fratres, & in æternum Benedicti filij, audite me, audite vocem Patris vestri.

Magna promisimus:
Maiora promissa sunt nobis.
Seruemus hæc:
Suspiremus ad illa.
Voluptas breuis:
Pœna perpetua.
Modica passio:
Gloria infinita.
Multorum vocatio,
Paucorum electio,
Omnium retributio.

Fratres, dum tempus habemus, operemur bonum. *Gal. 6.*

## *FORMA PROFESSIONIS FF. MINORVM.*

Ego Frater N. voueo & promitto Deo omnipotenti: & beatæ Mariæ Virgini: & B. Francisco: & omnibus Sanctis: & tibi Pater: toto tempore vitæ meæ seruare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: viuendo in obedientia: sine proprio: & in castitate.

*Prælatus qui ad professionem recipit respondet.*


Et ego ex partē Dei, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam. In nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti ✠. *Omnes Fratres respondent*: Amen.

*Deinde datur ei osculum pacis ab omnibus, Prælato incipiente.*



# CAPVT XXXVII.


*De institutione Ordinis Minimorum cuius etiam insignia proponimus.*






ACRI Ordinis Minimorum Franciſcus à Paula caput & Fundator inclytus fuit anno ∞. CCCC. L. vel vt alijs placet ∞ CCCC. LXXII. Huius ſanctiſſimi viri parentes, cum ſine prole in Matrimonio complures annos vixiſſent, tandem voto piè facto, beatiſſimo Franciſco Ord. Minorum Fundatori, eiuſdem precibus eum filium ſuſcepêre: quem & propterea FRANCISCVM nominauêre. Qui gradiuſculus, iuxta parentum ſuorum votum, Ordinem Minorum cum amplexus eſſet, deſiderio viſitandi corpus S. Franciſci exæſtuans, eò proficiſcendi licentiam obtinuit adhuc nouitius. At non eſt poſtmodum ad Nouitiatum reuerſus quâ de cauſsâ, adhuc incertum eſt. In propoſito tamen Deo ſeruiendi perſeuerans, vitam Eremiticam agere cœpit, in quadam Eccleſia iuxta locum PAVLAM nominatum, humiculationes & imdipedalia exercens; qui & ad ſe conuolantes fratres excipiens MINIMOS appellari

pellari voluit. Sacrum hunc Ordinem Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius III. & Iulius II. magnis priuilegijs condecorarunt. Qua de re vide plura apud Mirandam, & Hieronymum Romanum ſcriptorem Auguſtinianum libro VI. de Repub. Chriſtiana cap. XXXI. & Illeſcam part. II. lib. VI. cap. XXVI.



# REGVLA

## SS. ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA.

*De ſalutifera præceptorum obſeruantia, de obedientia præſtanda ſummo Pontifici, ac Generali, & 4. votis.*

CAP. I.



HVIVS ORDINIS MINIMORVM vniuerſi Fratres ſalutis ęternæ viam, REGVLAM & vitam imitantes, ac decem mandata diuina & Eccleſiæ præcepta ſalubriter obſeruantes, & ad ſacra Conſilia ſcandere contendentes, ſãctiſſimo domino noſtro domino Iulio Papæ II. & eius ſucceſſoribus canonicè intrantibus, fideliter obediant, ac ſub Obedientiæ, Caſtitatis, Paupertatis, & Quadrageſimalis vitæ & modificationibus infraſcriptis modificatæ, ſacris votis perſeuerantes

ranter viuere promittant. Insuper fratri Francisco de Paula, & illius pro tempore successoribus Generalibus Correctoribus, similiter pareant, & ab hac Regula & vita nunquam recedant, memores quod frustra bonum inchoatur, si antè vitæ terminum deseratur; solisque perseuerantibus corona datur.

*De qualitate & ætate recipiendorum ad hunc ordinem.*

CAP. II. AD hunc Ordinem Minimorum quadragesimalis vitæ zelo & maioris pœnitentiæ intuitu migrare cupientes, per eiusdem Ordinis Generalem Correctorem, vel per Vigiles aut Prouinciales, vel per aliquos idoneos fratres ab eis substitutos recipiantur in fratres Clericos vel fratres Laicos aut fratres Oblatos: dummodo tales nouiter recipiendi, requisitis conditionibus apti existant, & ad minus 18. annum attingant.

**De tempore recipiédi nouitios ad professionem.**

Præterea, elapso continuæ probationis anno, & non antea (quacumque dispensatione Superioribus dicti Ordinis super hoc penitus interdictâ) si à fratribus professis, & potissimum ab Informatore suo, bonum testimonium habuerint, ad professionem recipi poterunt. Ipsi verò taliter recepti, in statu professionis suæ perpetuo remaneant.

*De congregationis huius indumentis, tonsura & capillis.*

CAP. III. HVius paruulæ Congregationis cuncti Clerici professi, & omnes in maioribus ordinati, gerant vniformem TONSVRAM latitudine vnius mediocris palmæ commensuratam: verumtamen neque ipsi neque fratres Laici, nec fratres oblati capillos nutriant, sed crebriùs tondeantur, vel abradantur. Insuper omnium ipsorum Fratrum Clericorum & Laicorum habitus, sit talaris & honestus, de panno abiecto, ex lana naturaliter nigra, & sine tinctura contexto. Illorum etiam capucium eiusdé coloris existat, & ante ac retro vsque ad medium femoris vel circa protendatur.

Ha-

Habeant prætereà ROTVNDVM CINGVLVM LANEVM similis coloris prænodatum, QVINQVE simplicibus NODIS; quod quidem cingulum, simul cum habitu & capucio prædictis fratribus ipsis die noctuque dimittere non licebit, nisi causâ mutationis, mundationis, aut reparationis, vel alicuius euidentis infirmitatis, super hoc tamen primitùs oneratâ medici conscientiâ.

De cingulo FF. Professorum.

Insuper ad nutum vtantur ZOCOLIS aut soleis factis vel palmis aut stramine, vel funibus aut iuncis, vel etiam calceis desuper apertis, iuxta prouinciarum varietates: nisi vbi necessitas vrgens, vel Superioris discreta dispensatio relaxauerit à pedum nuditate. Similibus indumentis vtantur cuncti fratres Nouitij Clerici & Laici: excepto quòd eorum cingulum rotundum NODIS tantum TRIBVS notabitur, & ipsorum capucium vsq; ad cingulum ipsum duntaxat, ita quod cingi non valeat protendatur.

De zocolis calceis cingulo & capucio Nouitiorum.

Fratres autem OBLATI, deferant habitum coloris præfati, vsque ad suram vel circa & non vltra protensum habeant etiam cingulum rotundum NODIS solùm QVATVOR prænodatum, ipsi prætereà vtantur integra calceatura, & decenti capucio, adiuncta corneta vel conuenienti byrro, secundum exigentiam regionum.

De habitu cingulo & calceatura oblatorum.

Dicti etiam OBLATI, tam ante quam post professionem, poterunt in Prouisores eligi & intus, pro vt cæteri, vnum vel plura officia minora exercere, iuxta Capituli localis ordinationem.

De officio oblatorum.

Poterunt insuper singuli, pro vt exegerit necessitas, suo sub habitu portare tunicellas, ex humili panno, & de staminea; & similiter fœmoralia & caligas super genua competenter porrectas. Poterunt etiam ipsi cuncti ad libitum, CLAMIDE coloris sui habitus nusquam rugata vel crispatâ, vsque ad suram vel circa protensâ, intus & foris vti.

De vestimentis, sub habitu deferendis & clamide.

Soli autem fratres professi, habeant CVCVLLVM ad caput tegendum aptum, suis chlamydibus posterius consutum. Præ-

De capucio seu cucullo

fati verò fratres Oblati, intus & extra ad nutum vtantur mantello clauſo, ad modum ſui habitus, vel circa longo, abſque aliquo capucio ſeu cucullo.

De equitatura Fratrum.

Cunctorum inſuper fratrum ſupradictorũ conſideratâ qualitate, illis omnibus ad minus ( de Correctoris localis licentia) ſuper Aſinum incedere licebit, memores quod humilitas Redemptoris taliter incedere non renuit.

## *De officio diuino ſine notulis.*

CAP. IV. LAudibus diuinis fratres huius ordinis in clericos aſſumpti, cum tremore alacriter intendentes, ſimpliciter explicando ſeu computando, abſque notulis reuerenter ac ceremonialiter perſoluant diuinum officium, iuxta Romanæ Eccleſiæ ritum.

De calẽdario & Miſſæ celebratione cum Miniſtris.

Ipſi & ſinguli per vniuerſum ordinem, vniforme Calendarium à Romana Eccleſia illis nunc approbatum, vniformiter teneant & miſſam cum expedierit etiam ſimpliciter computando ſeu explicando, ſine notulis depromant, vno tantum vel duobus aut ad ſummũ tribus adhibitis miniſtris. Occurrente verò aliquo feſto ſpecialiter ſolemni poterit eorum miſſa conuentualis, de illo celebrari, cum commemoratione feſti diei Calendarij aut vice verſâ.

De anniuerſario dedicationis Eccleſiarũ Ordinis.

Inſuper anniuerſarium Dedicationis omnium Eccleſiarum Ordinis, prima vacante Dominica menſis Iulij, omnes huius Ordinis fratres Clerici pariformiter celebrent.

De obligatione Miſſarum.

Ad nullas verò miſſas, nec ad quæcunque ſuffragia ſe obligent ipſi fratres, niſi tantùm in genere ſeu ſub generalitate omnium miſſarum & ſuffragiorum ordinis: aut ſolum pro quinquaginta annis vel citra.

De officio diuino Laicorum & oblatorum.

Præterea, fratres laici ſeu conuerſi, pro matutinis trigeſies, pro laudibus decies, pro veſperis duodecies, & pro qualibet reliquarum horarum ſepties orationem Dominicam, & totiens ſalutationem Angelicam dicant, verſiculis Gloria Patri, & Sicut

cut erat, singulis cuiuslibet horæ salutationibus additis. Et pro defunctorum officio, decies Pater noster, ac totiẽs Aue Maria, quotidie recitent versiculo Requiem æternam, vltimo Aue Maria subiuncto. Fratres autem Oblati, pro Matutinis, viginti; pro laudibus, septem, pro vesperis, decem; & pro singulis cęterarum horarum quinque Pater noster, & totidem Aue Maria, depromant, versiculis Gloria Patri & Sicut erat singulis vltimis Aue Maria pariformiter subiunctis, & pro defunctorum officio, alia quinque Pater noster, & totidem Aue Maria, quotidie dicant, versiculo Requiem æternam, vltimo Aue Maria similiter addito.

Dicti autem Oblati in actibus capitularibus vocem non habeant, quin potius circa frequens ministerium fratrum sollicitè satagant, & in die professionis suæ in capitulo fidelitatem Ordini promittant. Ac (pro vt fratres) ad quatuor eiusdem Ordinis vota se obligent. Nihilominus tamen, pecunias quascunque tangere ac super se portare, & de Correctoris licentia soli ambulare, licitè valebunt. De exercitio & voce oblatorum.

Præterea, singulis Hebdomadis, fratres huius Ordinis (legitimâ causâ cessante) saltem semel sibi deputatis seu permissis confessoribus, deuotè confiteantur. Insuper diebus ac festis Natalis Domini, Purificationis Gloriosæ Virginis Mariæ, Cœnæ ipsius Domini, Pentecostes, Assumptionis eiusdem Virginis Mariæ, & dedicatione S. Michaelis Archangeli, atque in Omnium Sanctorum solemnitate, ad minus singuli non sacerdotes (legitimâ causâ cessante) capitulariter se reconcilient, & ita reconciliati communionem deuotè sumant. De confessione, recõciliatione, & communione Fratrum.

*De obedientia & reuerentia ac benedictione petenda.*

CAP. V. VOluntatem propriam se abnegasse non ignorãtes, huius Ordinis fratres, in cunctis quæ suæ animæ, & huic sacræ REGVLÆ non aduersantur, suis Superioribus humiliter obediant: illos etiam humili affatu ac reuerentiali

rentiali gestu venerentur: & benedictionem ab eis suppliciter exposcant, cùm ipsorum licentia bini, & bini extra conuentum proficiscantur, eandem etiam benedictionem cum redierint petant.

De vicecorrectore foras euntibus assignando.

Insuper quamdiu foris exstiterint (pro vt eorum superior ipsis ordinauerit) illorum alter Correctoris vice fungatur.

De euitādis ac fratribus propter castitatem.

Præterea, in perpetua castitate viuentes, oculum scandalizantem eruant, & omnem compaternitatem ac suspectum cōsortium, & prauum consilium penitùs fugiant.

De prohibitione intrādi in monasteria monialium

Insuper Sanctimonialium Monasteria intrare non audeant: nisi ad Ecclesiam: & ad crates extra clausuram existentes: & hoc dumtaxat prædicationis ratione: vel causa eleemosynæ petendæ durante vero huiusmodi prædicatione, aliquam cortinam taliter extendant ipsę Sanctimoniales; quod neminem (præter prædicatorem) videant. Prædicti etiam fratres, cum ipsis Sanctimonialibus, super alijs quam super præfatis, in longum sermonem non protendant.

De mulieribus non introducédis, exceptis fundatricibus & è Regio sanguine.

Nec mulieres aliquas in huius Ordinis Conuentus vllatenus intrare permittant, verumtamen singulæ dominæ de stirpe Regiâ procreatæ, ac etiam omnes huius Ordinis Fundatrices (quæ locorum eiusmodi Ordinis septa communiora videre postulauerint) eadem cum sua comitiua honestè intrare, ac deuote visitare tolerentur.

De pecunijs non tractandis eleemosynis in iudicio non repetendis & subuentione Fratrum.

Præterea sub paupertate Euangelica perpetuo militantes, omnes fratres clerici & laici pecunias nullatenus tangant: nec illas scienter deferant: neque ipsi in iudicio aut extra contendendo repetant eleemosynas temporaneas, vel annuas aut perpetuas huic Ordini quomodolibet oblatas: cùm illę ab eis in toto vel in parte auferentur. Insuper tam Ecclesiæ reparationi, quàm etiam ipsorum fratrum debitè subuentioni, iuxta facultatem cuiusque Conuentus per Correctoris & capituli localis ordinationem, piè subueniatur.

De

*De modo viuendi in quadragesimali cibo.*

CAP. VI. Singuli fratres huius Ordinis à cibis carnalibus omnino abstineant,& dignos pœnitentiæ fructus in cibo quadragesimali taliter agant, quod ipsi carnes ac omnia sementinam originem à carnibus ipsis trahētia, penitus vitent. Carnes igitur & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quæuis lacticinia ex eisdem congesta, & producta, quæcunque intus ac extra ( saluis modificationibus infrascriptis) omnibus ac singulis fratribus ipsis & oblatis sint omnino & irrefragabiliter interdicta.

Quamprimùm verò quis eorum in ægritudinem inciderit, ad Infirmariam claustralem per Infirmarium deducatur, & ibidem primitùs de cibis quadragesimalibus illius infirmati (iuxta medicinalem artem congruentioribus, pro vt loci suppetit facultas)diligenter ac solicitè,ipsi per obedientiam subueniatur. Si autem talis ægritudo sic examinata inualuerit, medici consilio deducatur talis ægrotus ad Infirmariam exteriorem, intra Conuentus clausuram sitam. Et inibi ( iuxta ordinationem dicti medici ) de Correctoris iussione ; vigilanter & charitatiuè illi succuratur, de quibusuis cibarijs pro sanitate celeriùs restauranda.Et fiat hoc secundum facultatem loci: ac per ministerium Oblati si adfuerit. In eius verò absentia, fiat per obsequium Procuratorum & aliorum deuotorum Ordinis. De infirmis & vtraque Infirmaria.

Caueant autem omnes ipsi fratres, ac oblati, ne quenquam medicorum, pro quadragesimali vita deserenda, & Paschali seu pingui assumenda, per se nec per interpositam personam inducant; præsertim cùm & eisdem medicis de iure prohibeatur, ne pro corporali salute, aliquid ægrotis suadeant, quod in periculum animæ conuertatur. At vbi ægrotum ipsum ita constiterit euidenter conualescere, quod quadragesimalibus cibis consuetis sustentare queat (maturâ deliberatione præuiâ) ad pristinæ vitæ sanctiorem consuetudinem redeat,memor salutiferæ professionis suæ. Nulli itaque omnium ipsorum aliter quam De quadragesimali vita, post morbū resumenda,& cibis carnalibus nō introducēdis.

quam hac stabili lege sancitum est, dictis cibis Paschalibus seu pinguibus, videlicet Carnibus, ouis, caseo, butyro, nec quibusuis lacticinijs, neque ex eisdem congestis seu productis, quouis tempore vesci: neque talium quidquam victui conueniens, & aptum, intro deferre, neque deferri facere vllatenus permittatur.

De spatio infirmariæ à sanis non adeundæ.

Cum autem talibus (vt dictum est) vesci oportunum fuerit, aliunde quam per claustrum seu conuentum deferantur ad ipsam exteriorem infirmariam: quæ ad minus quinquaginta pedum spatio (vbi locus compatitur) prouidè separetur; & cum interioribus conuentus officinis, nullo pacto stare permittatur. Quam etiam absque Superioris licentia residentibus ibidem infirmis, nullus ingrediatur.

*De corporali ieiunio fratrum.*

CAP. VII. QVoniam Ieiunium corporale mentem purgat, sensum subleuat, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ pabula dispergit, atque libidinum ardores exstinguit, & castitatis lumen accendit: ea propter singuli fratres Clerici, & Laici, membra cum vitijs & concupiscentijs crucifigentes, vniformiter ieiunent à secunda feria post quinquagesimam, vsque ad sabbatum sanctum inclusiuè: & à festo Omniū Sanctorum, vsque ad Natalis Domini exclusiue: alijs enim diebus quibus est ab ecclesia indictum ieiunium, & similiter omnibus quartis & sextis ferijs totius anni, exceptis dumtaxat singulis quartis ferijs, inter Paschæ & Pentecostes, & inter ipsius D. Natalis & Purificationis B. Mariæ Virginis festa, annuatim occurrentibus, etiam ipso die Natalis eiusdem Domini, feriâ sextâ pro tempore cadente.

De ieiunio oblatorum.

Oblati verò, tantummodo sextis ferijs totius anni, & à festo B. Catharinæ Virginis exclusiue, vsque ad supradictum diem Natalis Domini, nec non singulis præfatis Ecclesiæ ieiunijs, pariformiter ieiunent.

Insu-

Insuper à cunctis prædictis ieiunijs nullus corpore sanus eximatur, peregrinationis tempore dumtaxat excluso. Poterunt nihilominùs superiores Ordinis, super singulis ieiunijs, cum ipsis fratribus & Oblatis rationabiliter dispensare.

De dispensatione ieiunij.

Præterea, charitatiuè semper obseruetur quod cuncti diutino ac naturali languore cœlitus visitati, ne dum indictis ieiunijs, sed etiam in cunctis vigiliis & quibuscumque Ordinis huius oneribus, benigne supportentur, & cibis quadragesimalibus abundantius, quàm sani refocillentur. Ipsi verò taliter visitati, de tempore adhuc sibi ad pœnitentiam peragendam commodato, gaudeant & gratulentur.

De supportandis infirmis in ieiunijs & oneribus alijs.

Vt autem efficacius omnis crapulæ tollatur occasio, non permittititur quibuscumque sanis extra refectionis ordinariæ solitam horam, sine Superioris licentia comedere, nec in secularium domibus reficiendi causa recumbere, nec inibi pernoctando dormire, cùm ipsi ad suum monasterium commodè possint redire.

De non comedẽdo sine superioris licẽtia, etiã extra conuentum.

Præterea, furtiuarum commessationum latibula, singulis interdicuntur. Verumtamen hospites hilari corde & vultu placido recolligantur: ac iuxta cuiusquè loci facultatem, cibis quadragesimalibus & non alijs, per eos quibus superior id ipsum mandauerit, & non per alios, benignè tractentur.

De furtiuis commessationibus fugiẽdis & hospitibus recolligendis.

## *De orationis studio.*

CAP. VIII. HOrtentur vlterius singuli vt orationis sanctæ studium non prætermittant: memores quod puræ & assiduæ orationis iustorum magna sit virtus, ac velut fidelis nuncius mandatum peragit, & penetrat, quo caro non peruenit.

Vt autem illis omnibus potior orandi detur occasio, moneãtur singuli quatenus sollicitè dent operam Euangelico silentio: ita quod in Ecclesia, claustro ac dormitorio, omni tempore: in refectorio verò in prima & secunda mensis, & à Completo-

De silentio à fratribus, vbi & quãdo seruãdo

rio vſque ad primam, ſilentium ſeruare ſtudeant: aliàs ſubmiſſe ac Religioſe loqui ſtudentes. Nihilominùs tamen ſi quid in ipſis temporibus & locis ſilentio dedicatis, neceſſario loquendum contigerit, verbis paucis ac demiſſis, quæ dicenda fuerint, breuiter concludantur.

De modeſtia Fratrũ. Hortentur inſuper cuncti, vt ſint benigni, modeſti, & exemplares: non alios ſed ſeipſos iudicantes: ac multiloquium (quod ſine culpa eſſe non poteſt) fugientes.

De receptione Prælatorum. Huius etiam Ordinis Generalem & Vigiles ac Prouinciales (cum ad eos diuerterint) reuerenter ſuſcipiant: & illis debitum honorem, humiliter impendant.

*De congregationis huius Prælatis, & quando præeſſe fratres poſſunt.*

CAP. IX. HVius Religionis vitæ regimini intendentes, cęteris in victu ac veſtitu, ſe iuxta poſſe conforment; & virgam cum manna, ac oleum cum vino, id eſt iuſtitiam cum miſericordia, & è contra in eorum correctionibus proinde adhibeant. Et quoniam experientiæ defectu, illi qui prius tentationis bella expertus non fuerit, vel diſcipulum non ſe nouerit, Correctoris onus ſubire congregationiſque Fratrum curam ſuſcipere non expedit: ea propter nullus in hoc Ordine præficiatur, nec in Superiorum electione, neque depoſitione vocem habeat, niſi ad minus per triennium in hoc ipſo ordine iam profeſſus laudabiliter vixerit. Nec etiam poſt ipſum triennium, hoc idem facere quiſquam valeat: demptis ſolis Presbyteris tantum in hoc ordine profeſſis, & vigeſimum quintum annum ad minus attingentibus: niſi Generalis vel Prouincialis Capituli conſenſu interueniente.

De officio Seniorum. In Seniores verò quicunque capitulariter aſſumpti, ſuis Correctoribus conſilium & auxilium in cunctis ad hanc Regulam & vitam quomodolibet ſpectantibus, maturè præbeant.

De lectoribus & gradibus non ſumendis. Omnes inſuper Lectores ita ſuas forment lectiones, quod eorũ auditores ad ædificatoriè prædicãdum & confeſſiones audiendum

diendum idoneos & aptos efficiant. Vbique tamen obseruetur, quod nullus ad magisterij seu alium gradum assumatur.

Præterea Prædicatores & secularium Confessores, in suis officijs non ordinentur & confirmentur, nisi per huius Ordinis Generalem Correctorem, aut per Vigiles vel Prouinciales, aut illorum Vicegerentes idoneitate ac sufficientia proinde consideratis, nouitiorum etiam confessor, & eorum Informator per supradictos Prælatos similiter assignentur. De confessoribus & prædicatoribus assignandis.

Sacrista verò ac cæteri cuncti conuentuum officiarij, per localem Correctorem & Capitulum conuentus eligantur, vel per alios Superiores Prælatos in eorum visitationibus maturè deputentur: Ipsi autem taliter electi seu deputati, sibi commissis officijs vigilanter incumbant. De conuentualium officialium electione.

*De congregationis huius Superiorum intitulatione.*

CAP. X. HVius denique Ordinis Minimorum directioni incumbentes, singuli Correctores non immeritò veniunt nuncupandi: vt seipsos primitùs corrigentes, compassiuè sibi commissos fratres ita corrigant, quòd fraternis defectibus piè cõdoleant, & ipsorum emẽdationem potius quam punitionem prætendant ac requirant.

Præterea singulis triennijs in festo Dominicæ Ascensionis (vbi prius per aliud præcedens Generale capitulum fuerit ordinatum) fiat fratrum huius Ordinis Generalis Congregãtio: ad quam singuli Vigiles & Prouinciales, cum suis collegijs seu socijs, & de cunctis prouincijs duo commissi ex omnibus commissis cuiuslibet prouinciæ decenter electi, capitulariter conueniant, & ex huius ordinis vniuersitate vnum ibidem maturè eligant in Generalem Correctorem: veluti seruum bonum & fidelem honestum virtuosum ac prudentem pro tribus dumtaxat annis sibi inuicem subsequentibus prouidè constituendum, omni sinistro fauore ac liuore prorsus seclusis. De celebratione capituli Generalis, & electione correctoris generalis.

Quatuor insuper aut plures Vice-correctores Vigiles (pro vt iuxta regionum varietates succedente tempore videbitur De vigilibus & oculatis Visitatoribus.

expedire) pro tribus etiam annis dumtaxat ibidem eligantur: ac ſuper certas Ordinis correctorias maturè deputentur: & in ſuis tantum Vigilantijs, Generalis Correctoris authoritate plenaria potiantur. Hoc nihilominus nōobſtante licitè poterit ipſe Generalis Corrector, ſuper omnes prædictos Vigiles tranſmittere oculatos viſitatores, qui taliter in lucernis ardentibus, Fratrum ſuorum iniquitates viſitent, & emendent in vera iuſtitia, quod miſericordiā non diſpergant ab illa: & ita miſericordiam faciant, quod iuſtitiam ab ea non diuidant.

De electione, officio & māſione zeloſi.

Inſuper ibidem eligantur vel iam electi confirmentur aliqui fratres ZELOSI ſcientes huius ordinis negotia, conuenienter expedire: qui & in loco noſtro Romano, vel in aliis locis ſeu conuentibus vrbi propinquis (pro vt expediens fuerit) moram pertrahant.

De electione correctorū Prouincialium.

Præterea Correctores Prouinciales de triennio in triennium ſimiliter innouandi, in conuocationibus prouincialibus die penultima menſis Septembris vbi expedierit annuatim aſſignandis etiam capitulariter eligantur.

De aſsignatione & tēpore ſubiectionis correctorum & Prælatorum.

Locales verò Correctores ſenſus exercitatos habētes inibi pariter aſſignentur, factas prius in quolibet Conuentu ipſorum electione. Ipſi verò Correctores Locales (reuoluto ſui Correctoriatus anno) ſemper ad minus per annum ſubiecti remaneant: niſi per ipſum Capitulum Prouinciale vel Generale ad altiora officia nouiter eligerentur. Cęteri autem Superiores quicunque ſaltem tanto tempore, quanto illi prius prælati extiterint. Poſtea ſubiecti manebunt, niſi etiam ipſi (vt præmittitur) ad altiora officia de nouo eligerentur.

De modo, quo correctoribus, licet conuētum exire.

Dictis etiam Correctoribus Localibus ſui correctoriatus tēpore (vt commiſſum ſibi gregem ab inuiſibilibus nequitiarum ſpiritualium beſtiis vigilantius cuſtodiant,) conuentum exire non licebit, niſi pro iuſta cauſa, & de capituli ſcientia & aſſenſu Seniorum.

De ſocijs ſuperioribus deputā.

Inſuper ſingulis præintitulatis huius ordinis ſuperioribus, maturè deputentur tres timoroſi ſocii, qui Seniores nuncupentur


tur: quorum prouido suffulti consilio, commissa sibi religionis negotia discretè ac sapienter discernant, & efficaciter tractent atque diffiniant. Quamprimum autem, vt præmittitur, electi fuerint prædicti Superiores ac illorum socij, similiter & fratres ZELOSI Romæ vel in circuitu residere habentes, in ipsorum electionibus si sint præsentes: in sui vero officii executionis primordio, si sint absentes, in capitulo fidelitatem ordini promittant. dis, & fidelitate à singulis promittenda.

Præterea, quicquam facto vel scripto contra hanc Regulam & vitam impetrare seu impetrari facere, aut etiam in posterum vlla statuta componere vel innouare, seu etiam componi aut innouari facere, neque ipsi neque alij quiuis fratres quouis modo præsumant. De nihil impetrãdo vel innouãdo contra Regulam.

Insuper cuncti simplices vices gerentes, seu Visitatores, peractis eorum visitationibus, nulla prorsus authoritate neque præeminentia fungantur. De Visitatoribus post visitationem.

Vt autem hæc Regula pariter & Correctorium melius obseruentur, petatur à Domino nostro Papa vnus de sacro-sancto Reuerendissimorum Cardinalium collegio: qui huius paruulæ Religionis zelosus Protector, benignus amator peruigilque custos existat, & quidquam quod huius sacræ vitæ ac Regulæ puritatem eneruet aut pœnitentiæ robur euertat, nullatenus admittat. Hæc est charissimi fratres lex ac Regula mitis & sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere ac fideliter custodire: quatenus per ipsius obseruantiam tandem de manu Domini pro benedictione perenni, gratiam & gloriam sempiternam fœliciter consequamini. Amen. De R. Protectore ordinis.

REGVLA



# REGVLA

## SORORVM ORD. MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA.

*De salutifera praeceptorum & votorum obseruantia, de obedientia summo Pontifici exhibenda: ac clausura perpetua.*

CAP. I.



Vius ordinis Minimorũ vniuersæ Sorores, salutis æternæ viã Regulam & vitam imitantes, ac decem mãdata & Ecclesiæ præcepta saluriter obseruantes, & ad sacra cõsilia scandere contendentes, sanctissimo D.N. Iulio Papę II. & eius successoribus canonicè intrantibus fideliter obediãt: ac sub obedientiæ, Castitatis, Paupertatis, & Quadragesimalis vitæ, modificationibus infrascriptis modificatæ, sacris votis perseueranter viuere promittant, & sub decenti clausura reclusæ permaneant.

De obediẽtia superioribus & matri Correctrici præstanda.

Insuper Generali, ac Prouincialibus eiusdem Ordinis pro tempore existentibus, & suæ matri Correctrici humiliter pareãt & ab hac Regula & vita nunquam recedant: memores quod frustra bonum inchoatur, si ante vitæ terminum deseratur, solisque perseuerantibus corona datur.

De

*De cunctis aptis ad hunc ordinem recipiendis.*

CAP. II. AD hunc Ordinem Minimorum quadragesimalis vitæ zelo & maioris pœnitentiæ intuitu migrare cupientes, per Matres Correctrices recipiantur in sorores vel Oblatas: dummodò tales nouiter recipiendæ requisitis conditionibus aptæ existant, & ad minus decimum quintum annum attingant.

Præterea, elapso continuæ probationis anno, & non antea (quacunque dispensatione Correctricibus eiusdem ordinis super hoc pœnitus interdicta) si à sororibus professis & potissimum ab informatrice sua bonum testimonium habuerint ad professionem recipi poterunt. Ipsæ vero taliter receptæ in statu professionis suæ perpetuo remaneant. De Recipiendis sororibus ad professionem.

Formam professionis vide in correctorio. num. 18.

*De capillatura, habitu, caputio & cingulo.*

CAP. III. HVius paruulç Congregationis cunctæ sorores & oblatæ capillos non nutriant, sed crebrius tondeantur vel abradantur. Insuper omnium ipsarum sororum habitus sit talaris & honestus de panno abiecto ex lana naturaliter nigra sine tinctura contexto. Praterea illarum caputium eiusdem coloris existat & vsque ad scapulas vel circa super honesta velaria protendantur: & ad præstringendum aptetur. Habeant etiam rotundum cingulum laneum similis coloris, prænodatum quinque simplicibus nodis. Quod quidem cingulum, simul cum habitu & caputio præfatis eisdem sororibus die noctuque dimittere non licebit, nisi causa mutationis, mundationis aut reparationis vel alicuius euidentis infirmitatis super hoc tamen primitus oneratâ medici conscientiâ. De zocolis calceis, cingulo, birrho, & velo omnium sororum.

Insuper ad nutum vtantur zocolis aut soleis factis ex sparto vel palmis, vel stramine, vel funibus aut iuncis, vel etiam cal-

ceis desuper apertis iuxta prouinciarum varietates, nisi vbi necessitas vrgens vel superioris discreta dispensatio relaxauerit à pedum nuditate. Similibus indumentis vti habebunt sorores nouitiæ: excepto quod ipsæ & pariformiter oblatæ nouitiæ loco cinguli rotundi zonam coloris habitus sui simpliciter portabunt. Caputium autem non deferant ipsæ nouitiæ, sed loco ipsius birrhum humilis coloris & desuper velum honestum. Dictæ etiam oblatæ post earum professionem rotundo cingulo vtantur, sicut & sorores professæ, vnico nodo dumtaxat excluso. Præterea, suum habitum, sororum habitu paulo breuiorem, deferant: & honesta velaria cum decenti birrho portent.

De vestimentis sub habitu deferendis & chlamide.

Poterunt insuper singulæ sorores ac oblatæ (vt exegerit necessitas) sub dicto habitu portare tunicas & tunicales, ex humili panno ac de staminea, similiter & caligas honestas super genua competenter porrectas licitè portare, & chlamide coloris habitus sui absque aliquo cucullo ad libitum vti. Huiusmodi verò chlamidem, sorores ipsæ vsque ad nodum pedis, oblatæ autem præfatæ, illam vsque ad suras vel circa protensam humiliter portabunt.

De officio oblatarum, & de litteris nō scribendis sine licentia.

Poterunt vlteriùs omnes ipsæ Oblatæ tam ante quàm post earum professionem, pro vt ceteræ, vnum vel plura officia minora iuxta capituli localis ordinationem licitè exercere. Præterea ipsæ Sorores ac Oblatæ, extra suos conuentus (absque Correctricis licentia) nullas litteras transmittant.

*De officio diuino, & de missa, ac prædicatione, quomodo audienda.*

CAP. IV. LAudibus diuinis Sorores huius Ordinis, pro debitis horis soluendis tanquam idoneæ deputatæ, cum tremore alacriter intendentes simpliciter explicando seu computando, absque notulis reuerenter ac cæremonialiter persoluant diuinum officium, iuxta Romanæ curiæ ritum.

ritum. Ipsæ etiam singulæ per vniuersum ordinem vniforme calendarium, à Romana Ecclesia illis nunc approbatum, vniformiter teneant. Poterit insuper coram ipsis Sororibus ac Oblatis, diebus singulis missa celebrari, quam illæ de suo clauso choro debitè videant, & audiant. Nunquam tamen coram ipsis cantando, nec explicando seu computando Missa celebretur: nec ad aliquam à quibuscunque personis in earum Ecclesijs taliter respondeatur. Occurrente verò aliquo festo specialiter solemni, poterit Missa conuentualis coram eis de ipso celebrari cum commemoratione festi diei calendarij aut vice versa. De dicto etiam suo clauso choro, prædicationes audire valeant.

Insuper, anniuersarium dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis prima vacante Dominica mensis Iulij, omnes pariformiter celebrent. Ad nulla etiam suffragia se obligent ipsæ Sorores, nisi tantum in genere seu sub generalitate omnium suffragiorum Ordinis aut solum pro quinquaginta annis vel citra.

**De anniuersario dedicationis Ecclesiarum ordinis & obligatione suffragiorum.**

Præterea, cunctæ Sorores ad ipsum diuinum officium persoluendum non idoneæ, congregationi sanctæ diligenter obsequentes, pro Matutinis trigesies, pro Laudibus decies, pro Vesperis duodecies, & pro qualibet reliquarum horarum septies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam dicant, versiculis *Gloria Patri* & *Sicut erat*, singulis vltimis cuiuslibet horæ salutationibus additis. Et pro defunctorum officio, decies *Pater noster* & toties *Aue Maria* quotidie recitent, versiculo *Requiem æternam*, vltimo, *Aue Maria* subiuncto. Sorores autem Oblatæ pro Matutinis viginti, pro Laudibus septem, pro Vesperis decem, & pro singulis reliquarum horarum quinque *Pater noster* & totidem *Aue Maria* depromant, versiculis *Gloria Patri* & *Sicut erat* vltimis *Aue Maria* subiunctis. Et pro defunctorum officio alia quinque *Pater noster*, & totidem *Aue Maria* quotidie dicant, versiculo *Requiem æternam* vltimo *Aue Maria* similiter addito.

**De officio sororum non choristarum.**

De voce, professione, ac officio oblatarum, & de craticulis, & cursore.

Dictæ etiam oblatæ in actibus capitularibus vocem non habeant: sed circa frequens ministerium Sororum sollicitè satagant, & in die professionis suæ in capitulo fidelitatem Ordini promittant. Et (prout Sorores) ad quatuor eiusdem Ordinis vota, suo modo se obligent. Nihilominus tamen, pecunias quascunque tangere & illas de licentia Correctricis à quibuscunque personis, quotiens opus fuerit, perstrictas conuentus craticulas recipere licitè valebunt. Quibus sic per eas receptis, ad ordinationem dictæ Correctricis, de illis omnibus disponant: sui tamen conuentus clausuram nullatenus exeant, prout nec sorores. Dicti etiam Procuratores seu quæuis aliæ deuotæ personæ, per prædictas craticulas eisdem Sororibus & Oblatis super cunctis sibi necessarijs iuxta illarum facultatem prouideant.

De confessione, & ordine dicendi culpas in capitulo.

Præterea singulis hebdomadis, legitima caussa cessante, dictæ sorores, ac oblatæ saltem semel sibi deputatis confessoribus deuotè confiteantur. Et ter in hebdomada, videlicet secunda, quarta & sexta ferijs, pro dicendis culpis suis, etiam pro conuentus negotijs expediendis, capitulariter conueniant. Quibus ita congregatis, singulæ ipsarum, decenti religionis ordine, primùm quidem nouitiæ, postmodum oblatæ iam professæ, & deinde Sorores professæ, coram Matre Correctrice, publicas culpas suas reuerenter dicant. Et iniunctam sibi prouidè pœnitentiam salutarem benignè suscipiant.

De Reconciliatione & communione.

Insuper, diebus, ac festis Natalis Domini, Purificationis Virginis Mariæ, cœnæ ipsius Domini, Pentecostes, Assumptionis Virginis Mariæ, ac dedicationis sancti Michaëlis Archangeli, & in omnium Sanctorum solemnitate, ad minus singulæ Sorores, ac Oblatæ, legitimâ caussâ cessante, capitulariter se reconcilient: & ita reconciliatæ, sacram Communionem reuerenter sumant.

De

*De obeditntia, reuerentia, & castitate.*

CAP. V. VOluntatem propriam se abnegasse non ignorantes, huius Ordinis sorores, ac Oblatæ, suæ Matri Correctrici, in cunctis quæ suæ animæ, & huic sacræ Regulæ non aduersantur, humiliter obediant: & illam humili affatu, ac reuerentiali gestu venerentur. In perpetua etiam castitate viuentes, oculum scandalizantem eruant, ac suspectum consortium, & prauum consilium penitus fugiant.

Præterea, sub paupertate Euangelica militantes prędictæ sorores, pecunias nullatenus tangant: nec illas scienter vllo modo deferant. Insuper tàm Ecclesiæ reparationi, quàm debitæ ipsarum sororum, & oblatarum subuentioni, iuxta facultatem cuiusque conuentus, per Correctricis, & capituli localis ordinationem, charitatiuè subueniatur. *De pecunijs non tangendis & subuentione sororum.*

Ipsis insuper cunctis sororibus, ac oblatis, quascunque promiscui sexus personas, intra quemcumque huius Ordinis conuentum hospitio suscipere, nec personas ipsas, etiam proprios infirmarum confessores, vel corporales medicos, aut quoslibet Ecclesiæ pręlatos, vel alios quoscunque dominos, ad se, nec ad suos hortos ingredi quouis modo permittant: sed dumtaxat ad quaslibet strictas, & duplices, seu combinatas craticulas Ecclesiæ conuentus, ac Infirmariæ (quarum quidem craticularum in eodem pariete, vna sit extrinsecus, altera remanente intrinsecus) quantum sub Deo possimus, strictè prohibemus. Cùm autem pro nonnullis huius Ordinis sororibus, aut oblatis alloquendis, quasdam personas ad præfatas craticulas ire contigerit, ipsæ Sorores, ac Oblatæ (sumpta primitùs Correctricis benedictione) cum decēti societate, illis ab eadem Correctrice tradita personas ipsas breuiter alloqui tollerentur: Ita tamen, quòd eas videndi facultas penitùs interdicatur. *De hospitibus & alijs in craticula conueniendis.*

Permittatur etiam pro dictarum infirmarum consolatione, ac necessaria visitatione, quòd ipsarum confessores, & medici corpo- *De modo quo confessores ac medici infirmas videbunt.*

corporales quoties opus fuerit accedant, ad ante dictam strictam infirmariæ craticulam: ad quam infirmæ præfatæ, seipsas approximare: ac si opus sit cum ductili lectulo, honestè deferri facere poterunt: quatenus ipse medicus, illas ibidem videre, ac tangere queat.

*De modo viuendi in quadragesimali cibo.*

CAP. VI. Singulæ sorores huius ordinis, à cibis carnalibus omninò se abstineant: & dignos pœnitentiæ fructus in cibo quadragesimali taliter agant, quòd ipsæ carnes, & omnia, sementinam originem à carnibus ipsis trahentia, penitus vitent. Carnes igitur, & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quçuis lacticinia, ac ex eisdem congesta, & producta quæcumque, saluis modificationibus infrascriptis, ipsis omnibus, & singulis sint omninò, & irrefragabiliter interdicta.

De ægrotis in infirmaria interiori. Quamprimum verò aliqua earum in ægritudinem inciderit, ad infirmariam claustralem per Sororem, seu Oblatam pro infirmaria deputatam, seu deputandam, benignè deducatur: & ibidem primitus de cibis quadragesimalibus illius infirmitati, iuxta medicinalem artem congruentioribus, prout loci suppetit facultas, diligenter, ac sollicitè, ipsi per obedientiam, subueniatur.

De ægrotis in infirmaria exteriori, & quadragesimali vita resumẽda. Si autem talis ægritudo sic examinata, inualuerit, Medici consilio deducatur ipsa ægrotans ad exteriorem infirmariam, iuxta clausuram conuentus sitam: & inibi, iuxta ordinationem ipsius medici, de Correctricis iussione, vigilanter, & charitatiuè succurratur, de quibusuis cibarijs pro sanitate celeriùs restauranda: & hoc quidem fiat secundum loci facultatem, & per ministerium Ordinis procuratorum, vel procuratricum. Caueant autem omnes ipsæ Sorores, ac oblatæ, ne quemquam medicorum pro deserenda quadragesimali vita, & Paschali, seu pingui assumenda, per se, nec per interpositam personam inducant: præsertim cùm & eisdem medicis de iure prohibeatur,

tur, ne pro corporali salute, aliquid ęgrotis suadeant, quod in periculum animæ conuertatur. At vbi ęgrotam ipsam ita constiterit euidenter conualescere, quòd quadragesimalibus cibis assuetis sustentari queat, matura deliberatione præuiâ ad pristinæ vitæ sanctiorem consuetudinem redeat, memor saluriferæ professionis suæ.

Nulli itaque Sororum omnium aliter, quàm hac stabili lege sancitum est, dictis cibis Paschalibus, seu pinguibus, videlicet carnibus, ouis, caseo, butyro: nec quibuscunque lacticinijs, neque ex eisdem congestis, seu productis quouis tempore vesci: neque talium quidquam victui conueniens, & aptum intrò deferri facere vllatenus permittatur. Cùm autem talibus, vt dictum est, vesci oportunum fuerit, aliunde, quàm per claustrum, seu conuentum deferantur ad ipsam exteriorem infirmariam, quæ muris vndique circundetur, & aliquanto spatio ab ipso conuentu separetur: atque cum interioribus eiusdem conuentus officinis, nullo pacto stare permittatur: atque etiam absque Correctricis licentia, residentibus ibidem infirmis, nulla ingrediatur.

De cibis ad infirmariā ferendis, & quando licet sanis eam ingredi.

*De corporali ieiunio.*

CAP. VII. QVoniam corporale Ieiunium mentem purgat, sensum subleuat, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ pabula dispergit, atque libidinum ardores extinguit, & castitatis lumen accendit, ea propter omnes, huius Ordinis Sorores, membra sua cum vitijs, & concupiscentijs crucifigentes, vniformiter ieiunent à secunda Feria post quinquagesimam, vsque ad sabbathum sanctum inclusiuè: & à festo Omnium Sanctorum, vsque ad diem Natiuitatis Domini exclusiuè: alijs etiam diebus, quibus est ieiunium ab Ecclesia indictum: & similiter omnibus quartis, ac sextis ferijs totius anni: exceptis dumtaxat singulis quartis ferijs inter Paschæ, & Pentecostes, & inter

& inter Natiuitatis ipsius Domini, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis festa, annuatim occurrentibus: etiam ipso die Natalis Domini sexta feria pro tempore cadente. Oblatæ verò, sextis tantummodò ferijs totius anni, & à festo Beatæ Catharinæ Virginis, exclusiuè, vsque ad prædictum diem Dominici Natalis, singulis etiam præfatis Ecclesiæ ieiunijs pariformiter ieiunent.

De dispensatione ieiunij & infirmorum supportatione in omnibus.

Insuper à cunctis prędictis ieiunijs, nulla corpore sana eximatur. Poterunt nihilominus Prælatæ, seu Correctrices, super singulis prędictis ieiunijs cum ipsis sororibus, ac oblatis, rationabiliter dispensare. Pręterea, charitatiuè semper obseruetur, quòd cunctæ diutino, ac naturali languore cœlitùs visitatæ, nedum in dictis ieiunijs, sed etiam in cunctis vigilijs, & quibuscunque Ordinis oneribus, benignè supportentur, & cibis quadragesimalibus abundantius, quàm sanæ refocillentur. Ipsæ verò taliter visitatæ, de tempore adhuc sibi ad pœnitentiam peragendam commodato, gaudeant, & lętentur.

De crapula & furtiuis commessationibus fugiendis.

Vt autem efficacius omnis crapulæ tollatur occasio, non permittatur quibuscunque sanis extra refectionis ordinatæ solitam horam, sine Correctricis licentia, comedere. Prętereà furtiuarum commessationum latibula, singulis interdicuntur.

*De puræ orationis studio & seruando silentio.*

CAP. VIII. Hortentur vlterius singulæ, vt sanctæ orationis studium non prętermittant, memores quod puræ, & assiduæ orationis iustorum magna sit virtus: ac velut fidelis nuntius mandatum peragit, & penetrat, quò caro non peruenit. Vt autem ipsis omnibus potior orandi detur occasio, moueantur singulæ, quatenùs dent operam Euangelico silētio. Ita quòd in Ecclesia, claustro, ac dormitorio omni tempore: in refectorio verò in prima & secunda mensis:

& à

& à Completorio vſque ad Primam, ſilentium ſeruent, aliàs ſubmiſsè, ac religiosè loqui ſtudentes; ſi quid tamen in prædictis temporibus, & locis ſilentio dedicatis neceſſario loquendum contigerit: verbis paucis, ac demiſſis, quæ dicenda fuerint, breuiter concludantur.

Hortantur inſuper cunctæ, modeſtæ, ac exemplares: non alias quaſcumque perſonas, ſed ſeipſas iudicantes, & multiloquium, quod ſiue culpa eſſe non poteſt, fugientes. De modeſtia Sororum.

*De congregationis huius Prælatis ſeu Correctricibus, quo anno eligendis.*

CAP. IX. HVius Ordinis, & vitæ regimini intendentes, cęteris in victu, ac veſtitu ſe iuxta poſſe conforment: & virgam cum manna, & oleum cum vino: id eſt, iuſtitiam cum miſericordia, & è contra in ſuis Correctionibus proinde adhibeant. Et quoniam experientiæ defectu, illa, quæ prius tentationis bella experta non fuerit, vel diſcipulam non ſe nouerit Correctionis onus ſubire, congregationiſque curam ſuſcipere non expedit: ea propter nulla Sororum in hoc ordine præficiatur, nec in Prælatarum, ſeu Correctricum, & antiquarum Sororum electione, nec diſpoſitione vocem habeat: niſi ſaltem per biennium in hoc ordine iam profeſſa laudabiliter vixerit, & vigeſimum quintum annum, ad minus, attigerit.

In antiquiores verò Sorores quæcunque capitulariter aſſumptæ, ſuis correctricibus in earum Conuentu, conſilium, & auxilium in cunctis ad hanc Regulam, & vitam ſpectantibus maturè præbeant. Præterea Soror ſacriſta, & cæteræ cunctæ conuentuum officiariæ per prædictas earum Correctrices, vna cum Capitulo locali, in vno quoque Conuentu eiuſdem Ordinis, debitè eligantur. Ipſæ etiam taliter electæ ſibi commiſſis officijs vigilanter incumbant. De antiquioribus, ſacriſta, ſorore, & alijs officiarijs.

*De congregationis huius Prælatarum intitulatione, & iuſtitia.*

CAP. X. HArum denique Sororum Ordinis Minimorum directioni incumbentes, ſingulæ Correctrices, non immeritò veniunt nuncupandæ: vt ſeipſas primitus Corrigentes, compaſſiuè ſibi commiſſas Sorores, & oblatas ita corrigant: quòd ſuper earum defectibus piè condoleant, & ipſarum emendationem potiùs, quàm punitionem prætendant, ac requirant.

De tempore electionis correctricis.

Inſuper ſingulis triennijs in feſto Dominicæ Aſcenſionis, in cunctis conuentibus eiuſdem Ordinis, & in quolibet ipſorum, fiat Sororum ſpecialiſſima congregatio qua cunctæ Sorores profeſſæ capitulariter conuenientes, vnam è ſuæ congregationis vniuerſitate, maturè eligant in ſuam Matrem Correctricem, veluti ſeruam bonam, & fidelem, honeſtam, virtuoſam, ac prudentem, pro tribus dumtaxat annis ſibi inuicem ſubſequentibus, prouidè conſtituendam ſuper earum conuentualem congregationem: omni ſiniſtro fauore, ac liuore prorſus excluſis.

De confirmatione correctricis & ſociarum electione.

Ipſa etiam correctrix ſic electa, per eiuſdem Ordinis Minimorum Generalem, vel per eius prouinciæ Correctorem Prouincialem pro tribus dictis annis debitè confirmetur. Taliter verò confirmata ſic omnium ſibi commiſſarum ſororum, & oblatarum iniquitates corrigat in vera iuſtitia, quòd miſericordiam non diſpergat ab illa, & ita miſericordiam faciat, quòd iuſtitiam ab ea non diuidat. Ipſi etiam Correctrici in quouis conuentu maturè deputentur tres timoroſæ ſociæ, quæ antiquiores ſorores nuncupentur: quarum prouido ſuffulta conſilio, commiſſa ſibi religionis negotia diſcretè, ac ſapienter diſcernat, & efficaciter tractet, atque diffiniat. Cùm primum verò, vt præmittitur, electæ fuerint mater correctrix, & eius ſociç

ciæ, in capitulo conuentus sui, fidelitatem Ordini promittant. Ipsarum etiam Prælatarum dicto triennio finito, antequam ad alterius electionem procedatur, sibi commissis prælationis officijs humiliter renuntient: & saltem, pro triennio immediatè sequenti officio careant, ac subditæ remaneant.

De clausura monasterij, & quo casu liceat sororibus illam exire.

Præterea neque ipsis Correctricibus, neque vllis Sororibus, nec oblatis liceat conuentus sui clausuram vsquam exire: nisi alicubi contigerit aliquem nouum Conuentum ipsius Ordinis erigi, & tunc per eiusdem Ordinis Minimorum Generalem, vel per talis prouinciæ Correctorem Prouincialem, seu per eorum iussionem, & ordinationem, poterunt aliquæ Sorores, ac Oblatæ huius Ordinis, de suis Conuentibus extrahi: & ad ipsum conuentum, sic nouiter erectum, licitè transmitti: quatenus illum instaurent, & ibidem Nouitias Sorores, ac Oblatas conuenienter recipiant; & iuxta eiusdem ordinis Correctorium, illas salubriter instruant, dirigant, & informent.

De nihil impetrando contra Regulam.

Præterea, quicquam verbo, vel scripto contra hanc Regulam, & vitam impetrare, seu impetrari facere: aut aliqua statuta componere, vel innouare, seu etiam componi, aut innouari facere, neque Correctrices ipsæ, neque aliæ quæuis Sorores, nec Oblatæ aliquatenus præsumant.

De qualitate & ætate confessoris Monialiū.

Tandem singulis huius Ordinis Conuentibus prædictarum Sororum Confessionibus audiendis, eiusdem Ordinis Minimorum Generalis, vel talis prouinciæ Corrector Prouincialis maturè deputent Presbyteros idoneos, & honestos confessores: per eundem Generalem, vel per proprium Vigilem, aut Prouincialem ad nutum mouibiles: annum quinquagesimum ad minus agentes: Salua tamen moderatione per ipsum Correctorem Generalem, aut per proprium Vigilem, vel Prouincialem vsque ad constitutos in quadragesimo anno facienda: Salua etiam locorum necessitate Confessores inferiorie ætatis assumi cogente. Ipsi verò Confessores,

singularum prænominatarum Sororum, & Oblatarum confessiones, vigilanter audiant, illisque pro commissis delictis pœnitentiam iniungant salutarem. Hæc est, Sorores charissimæ, lex, & REGVLA mitis, ac sancta, quam vos hortamur humiliter suscipere, & fideliter, ac perseueranter custodire: quatenus per ipsius obseruantiam, tandem de manu Domini, pro benedictione perenni, gratiam, & gloriam fideliter consequamini.

REGVLA



# REGVLA

## VTRIVSQVE SEXVS FIDELIVM

## *ORDINIS MINIMORVM*

## S. FRANCISCI

## DE PAVLA.

*De Dei & Ecclesiæ mandatorum salubri obseruatione.*

CAP.I.  Voniam ad ęternam vitam ingrediendam, & obtinenda sempiterna pręmia, necessario sunt obseruanda diuina pręcepta: vos autem vtriusque sexus fideles huius Ordinis Minimorum, cœlesti Regi sub hac Regula militantes, ac per ipsius obseruantiam ad ęternam vitam intrare sperantes: ante omnia, Dei, & Ecclesiæ sanctæ mandata debitè custodiatis, ac vnum in Trinitate Deum reuerenter honoretis, & cum toto corde, totisque visceribus super omnia diligatis, ac eidem fideliter seruiatis, & cor vestrum in ipso fixè reponatis.

Illius etiam sanctum nomen in vanum non assumatis: quin potius in singulis dictis, & factis vestris, vos ac omnes proles vestras, necnon seruos, & ancillas ab omni prorsus iuramento cohibere procuretis. Et cum huius vestræ congregationis *De iuramento vitando.*

 fratres,

fratres, aut Sorores iurantes audieritis, eosdem in charitate corripere studeatis, attendentes Christi consilium dicentis: *sit sermo vester* EST, EST: NON, NON: Vix enim recedet malum ab eo, qui assuescit iuramento.

De festorũ sanctificatione.

A maledicto insuper, & omni conuitio vigilanter abstineatis: ac sacrum diem Dominicum, & reliqua sanctæ Ecclesiæ festa debitè sanctificetis: In ipsis etiam festis salubribus operibus, ac pijs exercitijs attentè meditando, & orando, ac legendo, & Missas, ac diuinum Officium, & sermones audiendo, vos Domino dedicetis.

De honore parentum & malis euitandis.

Vestros insuper Patres, ac Matres tam spirituales, quàm corporales, & Correctores, atque Correctrices, & omnes Ecclesiasticas personas humiliter honoretis, & homicidium fugiatis. Præterea illos, qui vobis subijciuntur, in bonis operibus sapienter instruatis: & odium, ac rancorem, & indignationem, similiter declinetis. Vobis etiam maledicentibus, benedicatis, ac pro persequentibus vos, oretis: Insuper pro viribus furtum, rapinam, vsuram, ac illicitos quoscumque contractus, & omnem auaritiam salubriter respuatis. Cæterùm, quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si quid de alieno habueritis, idipsum quàm citius poteritis, restituere procuretis.

### *De diuino officio clericorum.*

CAP. II. EVangelicam doctrinam vigilanter obseruantes, primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Insuper laudis cantica pro vniuersis vobis collatis beneficijs Domino sapienter recitetis. In primis vos omnes huius Ordinis in sacris ordinibus constituti diuinum officium persoluatis, iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ, vel secundum morem Ecclesiæ, cuius beneficium obtinueritis, aut prout ipsum meliùs dicere consueueritis. Ita quòd huiusmodi vestrum beneficium relinquere non teneamini: vestra etiam professione præsen-

præsentis REGVLÆ nullatenus obstante.

Vos autem quæcumque aliæ vtriusque sexus personæ eiusdem ordinis, pro Matutinis, septem: pro Laudibus tria: pro Vesperis quinque: pro Completorio autem, & pro qualibet reliquarum horarum tria *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, cuiuslibet talium horarum versiculis *Gloria Patri, & Sicut erat,* debitè subiunctis. Et quoniam sancta, salubrisque est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: pro ipsis defunctis, etiam ter *Pater noster*, & toties *Aue Maria*, quotidie recitetis: versiculo, *Requiem æternam*, vltimo, *Aue Maria*, similiter addito. De officio Laicorum.

In morte etiam cuiusuis huius societatis fratris, aut Sororis, vos omnes eiusdem Congregationis fratres, ac Sorores illius villæ, vel oppidi, vbi talem decedentem sepeliri contigerit (legitima caussa cessante) pariter conueniatis: ac pro tali decedente saltem semel, infra octo dies, in primis vos omnes subscripti in sacris constituti, si sacerdotes fueritis, vnam Missam celebretis: vos vero Diaconi, & Subdiaconi, Vigilias cum nouem lectionibus: vos autem reliquæ singulæ eiusdem Ordinis vtriusque sexus personæ, quindecim *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, deuotè dicatis. Præterea pro singulis Fratribus eiusdem Ordinis, Minimorum taliter decedentibus, etiā semel in proximiori loco, vbi talium fratrum, & Sororum Congregatio habebitur: & pariformiter in die commemorationis defunctorum, etiam semel pro cunctis fidelibus defunctis: similiter & infra totā Quadragesimam etiā semel: & infra Domini Aduentū, iterum semel alia quindecim *Pater noster*, & totidem, *Aue Maria*, pro cunctis eiusdem Ordinis Fratribus, ac Sororibus, & alijs cunctis fidelibus defunctis, deuotè recitetis. De seruitio decedentium.

Insuper pro gratijs, ac indulgentijs quàm plurimis acquirendis, præsertim, diebus festiuis, in Laude B. Mariæ Virginis, circa exercitium suæ deuotæ Coronæ, sexaginta tria *Aue Maria*, & septem *Pater noster*, continentis, vos crebrius occuperis. Ad sanctissimę etiam Trinitatis honorem, vos omnes huius congrega- De corona B. M. V. & Antiphona SS. Trinitatis.

gregationis fratres, ac Sorores, qui, & quę legitis, quotidie dicatis deuotè Antiphonam ipsius Beatissimę Trinitatis, videlicet, *Benedicta sit Sancta Trinitas, &c.* subiuncto versiculo: *Benedicamus Patrem &c.* addito etiam responsorio: *Laudamus, &c.* vnà cum oratione, *Omnipotens sempiterne Deus, &c.*

*De confessione & communione.*

CAP. III. QVoniam dilectus, & amænus, ac totus floridus Christus, in virtutum floribus delectatur: ea propter vos omnes huius congregationis fratres, ac Sorores, humiliter exhortamur: vt debita confessione sacramentali reuerenter facienda: confessoribus, vobis per eiusdem Ordinis Minimorum Generalem Correctorem, aut per aliquem vigilum, vel Prouincialium, maturè deputatis, conscientias vestras mundetis, ac decoretis. Et saltem quater singulis annis, videlicet in cœna Domini, vel in ipsius Resurrectione, & in eiusdem Natali, ac in Pentecoste, & in Assumptione gloriosæ V. Mariæ, sacrosanctam communionem deuotè sumatis: omnium decimarum parochialibus debendarum iure semper saluo.

De auditione Missæ

Pręterea, Missas reuerenter audiatis: vt Christi acerbæ Passionis, quę in eisdem Missis recolitur, salutaribus armis muniti, in obseruantia mandatorum Dei, fortes existatis, ac firmi. In ipsis etiam Missis, vos deuotè precari consulimus, vt Christi mors, pręciosa fiat vestra vita, & eiusdem dolor, vestra medicina, ipsius quoque labor, requies æterna.

*De mundo non diligendo & inhonestis officijs respuendis.*

CAP. IV. PRęcipuum dilectionis discipuli dogma saluificum salubriter adimplentes, nolite diligere mūdum, neque ea, quę in mundo sunt. Qui enim mundi huius voluerit esse amicus, Dei constituetur inimicus. Ea propter vos omnes hanc Regulam suscipientes, charitatiuè in Christo hortamur, ne mundalia publica, nec inhonesta officia exerceatis: neque arma inuasiua deferatis; nisi pro sanctę Ecclesię salubri tuitione

tuitione, aut pro fidei vel iustitiæ defensione.

Præterea nuptialia,& alia quæcumque conuiuia,nisi consanguineorum, iuxta posse deuitetis. Mundi etiam vanitates, & honores, ac rumores, labentisque sæculi pompam,& gloriam, ac perituras opes,salubriter respuatis. Omnes insuper publicos, ac prohibitos, & scandalosos ludos, summoperè declinetis, quatenùs tandem de manu Domini immarcescibilem æternæ gloriæ palmam, & regnum decoris, fæliciter recipiatis: huius enim fallax sæculi est gloria, & diuitiæ fallaces. Sunt autem procul dubio fælices, qui plus de virtuosa, quàm de longæua vita: & potius de conscientia pura, quàm de arca plena excogitant. De fugiendis conuiuijs, & mundi vanitatibus.

*De ieiunijs & abstinentijs ac precibus feriæ sextæ.*

CAP. V. APostolicum documentum sapienter exequentes, mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hac ex re vos omnes Christo sub hac REGVLA militantes, vestram ob eundem Christum carnem domantes, à carnibus abstineatis, à festo beatæ Luciæ exclusiuè, vsque ad Domini Natalem: tribus etiam diebus ante prædictos cunctos communionum dies, & singulis quartis ferijs totius anni. Insuper à dicto beatæ Luciæ festo exclusiuè, vsque ad præfatum Domini Natalem: & singulis sextis ferijs totius anni ieiunare solliciti sitis: & eisdem sextis ferijs in ipsius Christi passionis memoriam deuotè dicatis quinquies, *Pater noster*, ac toties, *Aue Maria.*

A dictis autem ieiunijs,& abstinentijs, piè secludantur ex vobis, omnes in puerperio iacentes, prægnantes, lactantes, ac itinerantes: similiter & senes, ac debiles, & in graui labore desudantes: prius postulata à proprijs confessoribus licentia. Ipsi etiam cõfessores vestra prædicta ieiunia, iuxta omnium vestrum qualitates, seu conditiones, & complexiones vobis licitè commutare poterunt in aliqua pietatis opera, vt certas deuotiones, & orationes. De his qui excusantur à ieiunijs cum licẽtia cõfessoris.

De operibus pietatis & exhortatione ad vitam quadragesimalem.

Præterea, vos omnes erga pauperes, & orphanos, viduas, & impotentes, pia misericordiæ opera iuxta posse compleatis: ac sacris Ecclesiæ ieiunijs vos benignè conformetis. Insuper, si deuotionis gratiâ sanctam quadragesimalem vitam perpetuò ducere volueritis, illam cum Dei benedictione laudabiliter ducatis. Verùm tamen vnusquisque vestrum in spiritu libertatis plenæ, ac integræ dimittatur.

*De congregationis huius vestimentis cingulo & professione.*

CAP. VI. OMnium vestrum exteriora vestimenta iuxta cuiuspiam statum, & conditionem sint vestibus fratrum eiusdem Ordinis Minimorum penitus, aut quasi similia: vel sint alterius decentis, & honesti coloris. Prętere a, vos omnes huius congregationis fratres, ac sorores cingulum duobus nodis dumtaxat nodatum: ab eiusdem Ordinis Minimorum Correctoribus, vel ab eis commissis, deuotè recipiatis, & in illorum manibus oportuno tempore professionem emittatis, si sub hac salubri REGVLA perseueranter militare volueritis.

De susceptione Cinguli, & tempore professionis, ac priuatione eiusdem.

Poteritis insuper ob Christum à iuuenilibus annis in hac ipsa REGVLA, & vita, vos salubriter exercere: supradictumque CINGVLVM de dictorum Correctorum, vel ab eis commissorum manibus suscipere, ac deferre: & in quinto decimo vestræ ętatis anno (& non antea) debitam professionem emittere. Si verò aliquando (dęmone procurante) huius vestræ congregationis aliqui, vel aliquæ, quasdam inhonestas, aut prohibitas artes exercerent, vel assidui blasphematores essent, per aliquem, seu aliquos vestrum charitatiuè ter moneantur: qui si trina, vt decet, facta monitione, se non correxerint, nec emendauerint, per supradictos ejusdem Ordinis Minimorum Correctores, de seniorum consilio, præmemorato cingulo, & cunctis eiusdem ordinis gratijs, ac priuilegiis penitus priuentur.

De obligatione priuatorum

Nihilominus nouerint tales ex priuatione huiusmodi se à præsentis REGVLÆ obseruantia, nullatenus absolui, neque liberari:

liberari: quin potius ipsi præfato cingulo,& omnibus prædictis gratiis, ac priuilegiis, indignos se recognoscant, & iudicent. Digna tamen ipsorum contritione exigente, ac humilitate poscente, poterunt ab eis oblata Cingula illis benignè restitui: & ad pœnitentiam salutarem, ac priorem laudabilem vitam intra præsentem fraternitatem valebunt ipsi recipi. cingulo & restitutione eiusdē.

*De fraternitatis huius correctoribus & correctricibus.*

CAP. VII. HOrum denique vtriusque sexus fidelium cuilibet congregationi, Prouinciales huiusmodi Ordinis Minimorum Correctores, aut eorum vices gerentes, vel eis Superiores deputent Correctorem, vel Correctricem, per eosdem quoties expedierit amouibilem. Cùm etiam ipsi Prouinciales ad fratrum eiusdem Ordinis Minimorum, vel ad fratrum, & sororum huius Congregationis loca declinauerint: poterunt in die oportuno conuocare, seu conuocari facere omnes eiusdem Societatis fratres, ac sorores, & per se, vel per alios eisdem sermonem facere. Illas ad Dei mandatorum obseruantiam, & in bono perseuerantiam, salubriter exhortando.

Præterea, vos omnes huius Congregationis Correctores, & Correctrices, exortas, vestros inter fratres, ac sorores lites quascunque, pro viribus extinguatis, & ad veram concordiam, & pacem illos charitatiuè reducatis. Mutuam insuper charitatem vos omnes ad inuicem seruantes: Et vos mutuò FRATRES, ac SORORES vocare non verentes. In vestris tribulationibus, & aduersitatibus, ac infirmitatibus vos inuicem in Domino visitetis, & consolemini. De litibus extinguendis: & fraterna charitate seruanda.

Hæc sunt, Charissimi, quæ tanquam salubria, & ad sempiternam vitam recto calle ducentia, vos salubriter obseruare monemus. Fideles namque si fueritis in obseruando, fidelis erit Dominus in remunerando. Et ne forsan obliuio, vel ignorantia vobis sint delinquendi caussa: cùm oportunitas aderit, saltem De obseruantia & lectura REGVLAE.

femel in quolibet menfe vulgariter, ac intelligibiliter vobis hæc REGVLA legatur: vt per eius frequentem intelligentiam, cordibus veftris, firmius imprimatur: ac per hoc confequenter à vobis melius obferuetur: quatenus per illius obferuantiam, tandem de manu Domini pro benedictione perenni gloriam fempiternam, & gratiam fœliciter confequamini. Amen.



# DE LECTVRA REGVLÆ.

IN Capitulo apud Tolofam celebrato, numero 20. decernitur, quod legatur REGVLA noftra, in refectorio, diebus capitularibus, videlicet die Lunæ, die Mercurij, & die Veneris vniufcuiufque Hebdomadæ. Ita quòd ad minùs in die vltimo, tota REGVLA terminetur. Et idem decernitur in Capitulo, apud Romam fecundò celebrato numero 17.

*Forma profeffionis Tertij ordinis vtriúfque fexus fidelium.*

EGo N. promitto Deo Omnipotenti totique curiæ cœlefti, & tibi Patri, mores meos ac vitam meam in meliùs emendare, & Ordinis Minimorum vtriufque fexus fidelium REGVLÆ, per S. D. N. Iulium Papam II. confirmatæ, falutifera pręcepta, pro poffe obferuare, & S. Francifco de Paula, fuifque fucceforibus eiufdem Ordinis Minimorum Generalibus Correctoribus pro tempore exiftentibus, obedire; nec non pręditæ Regulæ falubribus confilijs ac monitis me conformare, & pręditi Ordinis honorem & vtilitatem fideliter procurare. Amen.

*Catalogus*

*Catalogus Generalium Correctorum qui huic Ordini Minimorum præfuerunt vſque ad annum* 1593.

I. BEatus FRANCISCVS DE PAVLA, natione Italus, ex prouincia Calabriæ, eiuſdem Ordinis inſtitutor, de beneficio Sedis Apoſtolicæ, quamdiu vixit, illius moderator extitit: & dum obitus ſui diem adeſſe cognoſceret, vocatos ad ſe Fratres, ad mutuam charitatem cohortatus, quem ſibi ſucceſſorem deligerent (quouſque generalis Fratrum Conuentus Romæ celebraretur) nominauit: nimirum R. P. F. BERNARDINVM de CROPVLATV natione Italum, à Calabria, confeſſorem ſuum: qui pręfuit à die ſecunda menſis Aprilis anni 1507. vſque ad 28. Decembris eiuſdem anni. Nam tunc temporis, electus fuit in Capitulo primo Romæ habito, qui ſequitur.

II. Pater Frater FRANCISCVS BINET natione Gallus, ex Prouincia Turonenſi, Prior quondam Monaſterij Mamertini Ordinis S. Benedicti, à B. Franciſco in ſuum Ordinem receptus, illum ſecundus Generalis pręclare rexit electus Romæ in primo Capitulo Generali, anno 1508. die prima menſis Ianuarij. Hic coactus à Summo Pontifice Iulio II. hanc primam prouinciam humiliter ſuſcepit.

III. Pater F. GERMANVS LIONET, Gallus, ex Prouincia Turonenſi, Turonis electus, anno 1511.

IV. Pater F. FRANCISCVS BINET electus Toloſæ, anno 1514. ſecunda vice rexit Ordinem.

V. Pater F. FRANCISCVS CERDONIVS natione Gallus, ex prouincia Turoniæ, Romæ electus, anno 1517. Hic moriens intra triennium, ſubſtituit ſibi Vicarium P. F. MICHAELEM COMITEM, eiuſdem prouinciæ Præfectum.

VI. Pręfatus P. BINET Pariſijs tertio electus, anno 1520.

VII. Pater F. MARTIALIS DE VICINIS Gallus, è prouincia Toloſana Romæ electus, anno 1523.

VIII. Pater F. IOANNES SVTORIS, Gallus, ex prouincia Parisiana, Malchæ electus, anno 1526.

IX. Pater F. DESIDERIVS DE MOTA, Gallus, Parisiensis prouinciæ, Gratianopoli electus, anno 1529.

X. Pater F. FRANCISCVS BELLAMATER Gallus, ex prouincia Parisiensi, anno 1532. Ianuæ electus.

XI. Pater F. GASPAR DE FOSSO Italus, ex prouincia Calabriæ, anno 1532. ad Generalatum Paulæ assumptus est.

XII. Pater F. BERNARDVS DE FABRO, Gallus, ex prouincia Tolosana, Bononiæ electus anno 1538.

XIII. Idem Pater F. GASPAR DE FOSSO iterum Ordini præficitur, anno 1541. absens Valentiæ electus, à Paulo III. Episcopus Scalæ postea factus, à Iulio III. translatus ad Episcopatum Calnensem, & à Pio Papa IV. demum Archiepiscopus Reginus confirmatus.

XIV. Pater F. MARCELLVS PALMERIVS, Italus, ex prouincia Calabriæ, assumptus Bononiæ, anno 1544.

XV. Pater Frater SIMON GVICHARDVS, Gallus, Prouinciæ Franciæ, præfuit Ordini anno 1547. Foroiulij electus.

XVI. Pater F. IOANNES MALRAS, Gallus, Tolosanæ prouinciæ, Valentiæ electus 1550.

XVII. Pater F. HVGO DE CALCE, Gallus, ex Tolosana prouincia, electus Ianuæ 1553.

XVIII. Pater F. HIERONYMVS ARNONVS, Italus, ex prouincia Calabriæ, Foroiulij electus, anno 1556.

XIX. Pater F. IOANNES DE BELRIGVARDO, Gallus, Parisiensis prouinciæ, Ianuæ electus 1559.

XX. Pater F. IOANNES IVDA Gallus eiusdem prouinciæ electus Valentiæ 1562.

XXI. Pater F. IOANNES DE FLVMINE FRIGIDO, Italus Calaber, Foroiulij electus 1565.

XXII. Pater F. MARCELLVS PALMERIVS prædictus, iterum electus, Romæ 1568.

XXIII. Pater

XXIII. Pater F. GASPARVS PASSARELLVS Italus, ex prouincia Appuliæ, die 25. Maij 1571. Valentiæ electus.

XXIV. Pater F. VALENTINVS A MASSA, Italus, ex prouincia Neapolitana, electus Ianuæ, 20. Maij 1574.

XXV. Pater F. IOSEPHVS TELLERIVS Gallus Parisiensis, Ordini Præpositus, in vrbe Auenionensi, 23. Iunij anno 1578.

XXVI. Pater F. ALPHONSVS VILLAMAIOR, Hispanus, ex prouincia Andalosiæ in Capitulo Barchinonæ inchoato die vltimâ Aprilis 1581. electus.

XXVII. Pater F. STEPHANVS CARNEVALIVS Italus, ex prouincia superioris Calabriæ, in Generalem datus, Ianuæ 5. Maij 1584.

XXVIII. Pater F. GREGORIVS CARBONELLVS, Italus, ex inferiori Calabria, clauum tenuit regiminis sex annos, Romæ delectus 16. Maij 1587.

XXIX. Pater F. ISIDORVS SABLASIVS Italus ex prouincia S. Francisci in Calabria 20. Maij 1593. Valentiæ electus.

*Huc vsque scriptoris innotuit diligentia.*





# CAPVT XXXVIII.

## *De origine Societatis* IESV.






NTER præclaras, quæ Christo militant, Religiones, haud mediocrem locum sortitur SOCIETAS IESV. Auctorem habuit virum sanctitate præclarum, iamque in canonem relatum IGNATIVM DE LOYOLA, genere nobilem, domo Cantabrum, cuius res prçclarè gestas latino planè stylo prosecutus est inter alios ac instar omnium Maffæus. Illam porrò, prægrandi Ecclesiæ bono, confirmauit Paulus III. Pont. Maximus, anno ∞. D. XLV. quam & alij postmodum eiusdem S. E. R. successores, varijs priuilegijs donauère. Huius autem sacræ Societatis Sectatores, apud Hispanos & Italos, THEATINI passim vocitantur: malè tamen, cùm Institutum Theatinorum, sub S. P. N. AVGVSTINI Regula merentium, Fundatorem habeat Petrum Caratam Neapolitanum, Episcopum quondam Theatinum, vnde nomenclatura dimanauit. Franci atque nostrates Belgæ, IESVITAS appellitant, nobili quidem nomine, sed non planè congruo, si Ludolphum de Saxonia

seculi

ſeculi XIV. ſcriptorem quique anno circiter ∞. CCC. XXX. viuebat, audiamus: *Nomen CHRISTVS, eſt nomen gratiæ, ſed nomen IESVS, eſt nomen gloriæ. Sicut enim hic per gratiam baptiſmalem, à Chriſto dicimur CHRISTIANI, ſic in cœleſti gloria, ab ipſo dicemur IESVITÆ, id eſt, à Saluatore, Saluati.*

Cæterum huius illuſtris Societatis IESV præcipuum ſtudium, eſt Eccleſiæ inter varios hæreticorum aſſultus quaſſatæ ac periclitanti, totis neruis ſuccurrere, docendo, prædicando, ſcribendo, fidelium confeſſiones audiendo: quibus in muneribus, præclari admodum inter eos enituere viri, quorum plures Indos & Iapones Euangelij face colluſtrauere, ſicut Orlandini aliorumque produnt Hiſtoriæ.

Quantum ad REGVLAS adtinet, eas accurato commentario cohoneſtauit Iulius Nigronus Genuenſis eiuſdem Inſtituti Theologus. Eaſdem hîc damus, nudas tamen, & commentarijs, grande volumen facturis, viduatas.





# SOCIETATIS IESV REGVLÆ COMMVNES.

Quæ quisque erga se seruare debeat.

1. Inguli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant, cum omni diligentia in Domino.

P.4.c.4 § 3. & 4. *Ibi p.3 c 1. § 11. & p.6. c 5 § 2. & in Bul. 3. Pauli. 3.

2. * Omnes quotidie sacro decenter intersint: & concionem, lectionemve sacram cum in templo nostro habebitur, audiant.

3. Singuli statuto die, & assignato sibi Confessario confiteantur, & non alteri sine Superioris facultate.

*Par. 4. c. 4. §. 5. & c. 10. §. 5. & p. 5. c 4. §. 5. & exc. 4 §. 48 & 41.

4. * Omnes (qui Professi, aut formati Coadiutores non sunt) bis in anno sua vota renouabunt, præmissa confessione generali, quo tempore rationem suæ conscientiæ reddent, & quoties etiam Superiori visum fuerit, iuxta morem Societatis.

5. In abstinentia sextæ feriæ, Societatis consuetudo seruetur.

6. Nullus mortificationem publicè faciat, nec concionetur, nisi Superiore approbante.

In ex. c. 4. §. 4.

7. Nemo pecuniam apud se habeat: apud alium verò, nec pecuniam, nec quicquam aliud.

* Pa. 4. c. 6. lit. G.

8. Libros nemo habeat sine facultate: * in ijs verò quibus vti licet, nec scribat quicquam, nec notam vllam imprimat.

9. Nemo rem vllam ex domo, vel ex alterius cubiculo sibi vsurpet, aut ab externo, quouis modo sibi aut alij accipiat, sine Superioris licentia.

* Par. 6. c. 6. §. 13.

10. Ad maiorem vnionem eorum, qui in Societate viuunt, maiusque auxilium eorum, apud quos habitant, singuli addiscant eius regionis linguam, in qua resident, nisi forte ipsorum natiua illic esset vtilior; salua * tamen Latini sermonis lege in ijs, qui litteris dant operam.

11. Nullus ita cubiculum suum claudat, quin videri extrinsecus possit, aut arcam seu quicquam aliud habeat obseratum absque superioris facultate.

* Par. 3. c. 2. lit. E.

12. Aperta fenestra nemo noctu dormiat, * nec sine indusio, aut non coopertus.

13. Ne-

13. Nemo cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus.

14. Nemo eorum, qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discat, aut scribere, aut si aliquid scit, plus litterarum addiscat, nec quisquam eum doceat sine præpositi Generalis facultate: sed satis ei erit sancta cum simplicitate, & humilitate Christo Domino nostro seruire. *Inex.c.6.§.6.*

15. Signo campanæ constitutis horis audito, omnes statim vel imperfecta littera relicta, ad id, ad quod vocantur, se conferant. *Par 4 c.10. §.5.*

16. Vt consulatur valetudini, nemo extra consueta tempora bibat, nec extra domum cibum sumat absque facultate Superioris.

17. Qui male se habere præter solitum senserit, id infirmario, vel Præfecto sanitatis aut Superiori referat. Nemo vero medicinam vllam accipiat, aut medicum eligat, vel consulat, nisi approbante Superiore. *Par. 3.c. 2. §. 6.*

18. Singuli etiam si Sacerdotes sint, cum primum surgunt, lectum operiant, eumque & reliqua componant hora consueta, & scopis cubiculum verrant, tertio saltem quoque die, exceptis ijs, qui ob occupationes maioris momenti, aut valetudinis causa iudicio Superioris subleuandi sunt.

19. Mundities, quæ & ad valetudinem & ad ædificationem confert omnibus curæ sit, tam circa seipsos quam circa alia omnia.

20. Qui grauem tentationem alicuius nouerit, Superiorem admoneat, vt ei ipse pro paterna in suos cura, ac prouidentia, conuenienti remedio possit occurrere. *Seruanda erga Superiores.*

21. Quæ à superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab alijs exquirat, aut coniecturam faciendo de ijs sermonem misceat, sed vnusquisque sibi ac muneri suo attendens, quicquid de se, atque alijs constituendum erit, tamquam de manu Dei expectet.

22. Omnes caput aperiant suis Superioribus, & Sacerdotibus ij, qui Sacerdotes non sunt: discipuli etiam suis præceptoribus. Vnusquisque autem Superiores alloquatur magna cum reuerentia: is vero quem Superior alloquitur, aut reprehendit, humiliter & sine interpellatione audiat.

23. Si cui à Superiore denegatum aliquid fuerit, alium Superiorem ne adeat super ea re; quin ei aperiat, quid sibi ab alio fuerit responsum, & quas ob causas negatum.

24. Cui fuerit alicuius rei cura commissa, si impedimentum aliquod interuenerit, mature admoneat aliquem ex Superioribus, vt prouideat.

Seruanda erga domesticos. 25. Nemo cum ex vno loco in alium proficiſcitur, quicquam ſecum aſportet ſine facultate Superioris.

26. Extra tempora recreationi aſſignata hac ratione ſilentium ſeruandum eſt, vt nemo loquatur, niſi obiter & perpaucis, aut de rebus neceſſarijs, præſertim in Eccleſia, Sacriſtia, & refectorio: in miſſa vero, concione, menſa, lectionibus, & diſputationibus ſi quid priuatim dicere neceſſe erit, breuiſſimè, & ſubmiſſa voce ſuggeratur.

*Par. 3. c. 4. §. 4. & lit. A.* 27. Nemo præter eos, qui à Superiore deputati fuerint, loquatur cum ijs, qui in prima probatione verſantur: excipiuntur tamen vſitatæ ſalutationes, quas, cum alij alijs obuij fiunt, charitas religioſa exigit.

28. Omnes demiſſa voce, vt religioſos decet, loquantur, nulluſque cum alio contendat; ſed ſi qua in re nobis eſt diuerſa ſententia, eaque videtur manifeſtanda rationes modeſtæ, & cum charitate afferantur, eo animo, vt ſuus veritati ſit locus, non vt in ea re ſuperiores videantur.

29. Qui facultate accepta ægrotos inuiſent, non ſolum demiſſa voce loquantur, ſed tanta etiam moderatione, vt illis moleſti nō ſint, atque de ijs agant, quæ & exhilarare, & conſolari ægrotos, circunſtanteſque ædificare in Domino poſſint.

*Par. 10. §. 11.* 30. Caueant ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de alijs nationibus ſiniſtrè ſentire aut loqui ſolent, quin potius & bene ſentiant, & peculiari affectu diuerſas à ſua nationes proſequantur in Domino, ac proinde nemo bella, contentioneſve inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat.

*Par. 4 c. 10. § 6.* 31. Nemo præter eos, quibus per Superiorem licet quicquam alijs iubeat, alioſve reprehendat.

32. In alterius officium nemo ſe ingerat: in locum vero alieno miniſterio deputatum nullus ingrediatur ſine facultate Superioris, aut Præfecti illius loci, in rebus neceſſarijs.

*Par. 3. c. 1. lit. D.* 33. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur ſine generali aut ſpeciali Superioris facultate; quod ſi aliquis intus ſit, non prius aperiat oſtium, quam poſt pulſum audiat, Ingredere, & tamdiu aperta ſit ianua, quamdiu intus vna fuerint.

34. Vt ea, quæ religioſos decet, grauitas, & modeſtia retineatur, nemo alium etiam ioco tangat, præterquam in ſignum caritatis amplexando cum quis aut abit, aut redit peregrè.

35. Nemo dum menſæ accumbit, cuiquam ex noſtris, præterquam ei Superiori qui præeſt toti Domui aut Collegio, caput aperiat. Et cum aliquid in menſa cuiquam deeſt, is, qui illi aſſidet, admoneat eum, qui miniſtrat.

36. Do-

36. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet sine facultate generali, aut particulari Superioris. Seruanda erga extraneos & cũ foras eundum est.

37. Nemo cuiusquam externi ad domesticum, aut domestici ad externum mandata deferat, aut literas, inscio Superiore: seculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temere, & sine fructu narrentur.

38. Nemo quæ domi acta, vel agenda sunt, externis referat, nisi Superiori id probari intelligat. Constitutiones verò, aliosve huiusmodi libros, aut scripta quibus Societatis institutum, vel priuilegia continentur, nisi ex Superioris expresso consensu, ijs communicet.

39. Nemo scriptas dabit, aut mittet cuiquam externo, vel domestico instructiones spirituales: aut meditationes, nec exercitia spiritualia Societatis alicui communicabit, nisi à Superiore id approbetur.

40. Nemo ab externis consilium petat sine facultate Superioris.

41. Nemo cuiusquam negotij, etiam pij, sine facultate Superioris curam suscipiat, nec ad id operam suam promittat, aut se propensum ostendat: secularia verò negotia, vt quæ sunt à nostro instituto aliena, & vehementer à spiritualibus auocant, multo magis auersari conuenit. *Par.6.c.3 §. 7. & p.9 §. 6.§.4.*

42. Omnes, pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur pijs colloquijs proximum ad meliora promouere, & consilio, ac exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem excitare. *Par.7 c.4.§. 8 & in ex.c. 6. §. 4.*

43. Nullus domo egrediatur, nisi quando, & cum quo socio superiori visum fuerit.

44. Cum quis facultatem à Superiore petit aliquo eundi, simul etiam aperiat, quò, & cuius rei causa ire velit, præsertim si Prælatus, aut alius vir primarius conueniendus sit; eademque die referat eidem, quid egerit sicuti ipsum velle intelliget, & res postulauerit. *Par.3.c.1.§. 3.& in ex.c. 4.§.25.*

45. Ingressuri, egressurive domo, tintinnabulum nec vehemẽtius, nec crebrius expulsent, quam par est. Nemo autem nisi consueta domus ianua egrediatur, vel ingrediatur.

46. Qui domo egrediuntur, signabunt sua nomina, quæ prope ostium domus in tabula descripta sunt, & admonebunt ianitorem quò sint profecturi.

47. Omnes ante noctem, qui foris sunt, se domum recipiant; nec egredientur ante lucem sine facultate Præpositi, vel Rectoris.

48. Cum quis iter faciens transit per locum, vbi domus aut Collegium Societatis sit, ad aliud hospitiũ ne diuertat, * eiusque, qui illic præest, obedientiæ subsit in omnibus, sicut & reliqui, qui in eadem **Can. 13. cong.13.*

Domo, vel Collegio commorantur, Quod si quis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non nisi ex eiusdem consilio, ac directione tractabit.

49. Singuli has regulas, & officiorum suorum habeant, atque intelligant, sibique faciant familiares, ac earum memoriam mensibus singulis eis legendis, vel audiendis renouent: * qui tamen peculiaria ministeria Coadiutorum obeunt, eas, quæ ad ipsorum officia pertinent, singulis hebdomadis repetant.

* Par. 4. c. 10. lit. E.

## REGVLÆ PROVINCIALIS.

### *De ijs, quæ ad eius personam, & communem totius Prouinciæ administrationem spectant.*

Cap. I. QVæ Præpositis domorum, & Rectoribus quod ad eorum personas attinet, in regulis præscribuntur, eo diligentius seruare enitatur Prouincialis, quo pluribus pro ratione officij sui, vitæ spiritualis studio præire debet.

2. Finem officij sui (quem ante oculos habebit) in eo positum esse intelligat, vt prouinciam sibi commissam in acquirenda perfectione, iuxta proprij instituti rationem, & regulas ipsi datas promoueat.

In Bullis instituti societatis.

3. Imitetur in gubernatione charitatem, mansuetudinem, & benignitatem Christi Domini nostri, vt iuxta eam normam, quam tradiderunt Apostoli, non dominans, sed forma factus gregis ex animo, exemplo magis, quam verbo subditos ad perfectionem dirigat.

4. Seueritatem suo tempore cum benignitate misceat, suamque auctoritatem per solidas virtutes tueatur, ac dilectionem & curam suorũ præ se ferendo modestè, & circumspectè præcipiendo, ita amabilem se reddat, vt omnes fidenter ad illum recurrere possint.

Par. 9. c. 1. §. 1. c. & lit. A

5. Solicitè animum ad gubernationem applicet, neque tamen in ea ita distrahatur, vt in studio orationis, & sanctis desiderijs, quibus totam sustentare debet Prouinciam, intepescat: quamuis autem ordinariè concionari non debet, si quando tamen per occupationes officij sui commodè licebit, & hoc & alia Societatis ministeria exercere poterit.

6. Nullas regulas, aut ordinationes, aut consuetudines toti Prouinciæ communes abroget, vel nouas inducat inconsulto Generali, sed secundum eas quas habet gubernet Prouinciam.

Par. 9. c. 3 §. 8. & lit. D.

7. Sicut Prouincialis, quando necesse est, in regulis, ordinationibus

bus, decretis, & in ipsis etiam Constitutionibus cum particularibus, dispensare potest, sic cum dispensauerit in rebus maioris momenti, quæ videantur vrgere, & in quibus sine graui incommodo Generalis responsum expectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione, & eius causa admonere. & par. 4. c. 10. lit. B.

8. Præter facultates, quæ in his regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ in compendio facultatum Societatis Prouincialibus concessæ sunt, quas ex compendio ipso intelliget.

9. Omnes facultates eorum Superiorum, qui Prouinciali subordinati sunt, ad ipsum quoque pertinent, ab ipsoque etiam suspendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur.

10. Potest Prouincialis in absentia, vel in periculo vitæ constitutus, nominare Viceprouincialem, si Generalis neminem designasset: quocunque autem modo constituatur, easdem omnino facultates habeat quas Prouincialis, nisi à Generali, vel Prouinciali limitentur: rationem tamen administrationis non immutabit. Car. 22. cong. 4.

*De ijs quæ illum ad bonam Prouinciæ administrationem iuuabunt.*

Cap. II. 11. Consultores quatuor habebit à Generali designatos in ijs locis, vbi frequentius residet, quoad fieri poterit, cum quibus res grauiores communicabit: quod si absentes sint, per transmissas literas: * quorum vnus ab eodem Generali constitutus, erit eius admonitor, & socius. In quauis autem Domo, vel Collegio opera Superioris, & eius consultorum, quos ad consultationem adhibendos iudicauerit, vtatur in rebus ijs, de quibus ordinariè consultandum erit. Par. 9. c. 6. §. 14. * Ibidem c. 4. §. 4.

12. Si expediret præter Consultores, alios etiam nonnunquam ad Consultationem, vocare poterit, & eos quidem, quos de rebus propositis melius iudicare posse existimauerit, vel si absentes sint, iubere, vt de rebus ijsdem sententiam suam ad se transmittant.

13. Litteras, & scripta, quę pertinent ad rem, de qua consultatio habenda est, ostendat Consultoribus (nisi quid obstet) vt bene informati sententiam suam melius dicere possint.

14. Cum ordinationes aliquas communes à Generali acceperit, illas Superioribus suæ Prouinciæ & Consultoribus manifestari faciat. Et quæ alicuius momenti fuerint, ad gubernationem vel instructionem pertinentes, in libro ad id designato describendas curet.

15. In proponenda re, de qua deliberandum est, in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne Consultoribus declinandi in eam

in eam partem detur occasio, sed quisque liberius in Domino suam sententiam aperiat.

16. Si quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Consultoribus agere, poterit iuxta primum, & secundum modum in exercitijs ad electionem faciendam traditum, quid agendum sit deliberare.

17. Libenter se ab alijs admoneri patiatur de ijs, quæ ad officium, & personam suam pertinent, & eum præcipuè, qui Admonitoris officio fungitur, benigne audiat. Part. 9. c. 4. § 4.

18. Habeat secum literas Apostolicas authenticas, & compendium facultatum Societatis, constitutiones, decreta, Regulas omnes, & quæ à Generali ordinantur, eaque bene intelligat, & obseruari faciat.

19. In loco, in quo diutius ei residendum est, habebit Archiuum, in quo asseruabit instrumenta authentica, libros, & cætera quæ ad officium Prouincialis, & communem vsum Prouinciæ pertinent, quæ omnia ex catalogo à se subscripto successori tradet.

20. Habeat libellum, in quem referat ea, quæ consultanda, vel prouidenda, vel ad Generalem scribenda sunt, ne memoria excidát.

21. Orationes, & Missas ad tempus indicere poterit, etiam in tota Prouincia pro causis, quæ videbuntur id exigere: modum tamen in ea re non excedat.

### *De superioribus ei subordinatis, & eorum officialibus.*

Par. 7. 6. 3. § 1. & 14. CAP. III. 22. ETsi Præpositos domorum, & Rectores Collegiorum, & Domorum Probationis suæ Prouinciæ constituere non potest; si tamen necesse esset aliquando mutationem facere Superioris alicuius, & periculum esset in mora, vel si is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat interim constituere, donec Generalis admonitus prouideat, Ministros autem, Procuratores & Præfectos studiorum ipse designabit, ac etiam subministros, & Præfectos sanitatis, vbi opus esse iudicauerit.

Par 3 c. 1. § 11. 23. Constituat Magistros nouitiorum in locis probationum non separatis, à Generali tamen confirmandos, & eos quidem, qui in rebus spiritualibus exercitati sint, & in modo procedendi Societatis nostræ bene probati.

Par 4 c. 10. § 7. 24. Designabit Præfectos rerum spiritualium in omnibus Collegijs, & Domibus professis, quales in prima Regula officij illorum præscribuntur, itemque ordinarios nostrorum Confessarios; ex quibus ferè conueniet Præfectos rerum spiritualium deligere.

25. De-

25. Deligere poterit Consultores, & Admonitores eorum, qui præsunt in Prouincia, ita vt statim suo officio fungi possint: scribet tamen de ijs ad Generalem, vt ab eo confirmentur.

26. Prædicatores, & Confessarios ipse constituet, præmisso tamen domestico examine, & approbatione Ordinariorum iuxta formam Concilij Tridentini. *Can. 17. cong. 2.*

27. Lectores Ordinarios in omnibus classibus, * & primarios officiales, præter Rectorem, & Cancellarium in vniuersitatibus deligat, nouas tamen lectiones non addat, * nec scholas vsquã vllas, & præsertim eas, * in quibus pueri legendo & scribendo instituãtur, (quod nec priuatim licebit) sine facultate Generalis aperiat. ** Par 4.c.6. lit. I. & 11. §. 3. * Ibidem c. 17. lit. A. * Ibid ca. 7. lit. A.*

28. * Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorum in subditos, ita tamen, vt constet posse omnes ad mediatos recurrere: ideo quicquid agendum, vel immutandum erit, quod ad Immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit. ** Ibid. c. 11. lit. C. * P. 8. c. 1. §. 4. & 6 & par. 9. §. 2.*

29. Si quos ad gubernationem idoneos iudicabit, curet de illis paulatim & negotijs tractandis, & domesticis ministerijs obeundis experimentum sumere, vt & ipsi talenti accepti specimen dare, & Societatis officia eis tuto committi possint.

30. Obseruet, si qui detineantur in ministerijs aliquibus, qui magis idonei essent ad alia: eam tamen habeat cuiusque rationem, vt vniuersale bonum semper præferatur.

31. Neminem ab obedientia Superiorum immediatorum inconsulto Generali eximat, nisi periculum esset in mora, & tunc certiorem faciat Generalem de persona, & de causis propter quas eam exemerit. *Par. 8. c. 1. §. lit. E.*

### *De admittendis.*

CAP. IV. 32. EOs ad probationem per se, vel per alios admittere poterit, quos ad institutum nostrum idoneos in Domino iudicauerit: cauebit tamen ne cuiusquam admissio iustam aliquam externorum offensionem aut Societatis nocumentum pariat, quod cum ijs potissimum obseruandum erit, qui in scholis nostris instituuntur. *Part. 1. c. 2.*

33. Attendat, ne nimij sint nostri in hominibus ad Societatem alliciendis, sed per virtutes, & bonæ vitæ odorem omnes ad Christum trahere studiose curent. *Par. 10. §. 7.*

34. Meminerit, quod inepta turba ad institutũ nostrũ admitti nõ debet, & obseruari faciat in hoc diligenter regulas officij Examinatoris.

*In ex. c. 2. §. 6. & lit. D. & p. 1. c. 3. lit. G.*

35. Quod ad prima quinque impedimenta attinet, etsi Societas in nullo eorum dispensare potest, si tamen in eo, qui admitti petit, dona aliqua Dei illustriora cernerentur, Generalem admoneat: quod si de eiusmodi impedimentis dubitaret, ad eundem recurrat.

*Par. 1. c. 2. §. 9. & lit. H.*

36. In secundarijs impedimentis dispensandi facultatem habebit, præterquam in deformitate magna aut defectu insigni, qualem habent Eunuchi, & in ætate infra 15. & vltra 50. expletos annos, & in coniugatis etiam in casu, in quo non est impedimentum essentiale.

*In ex. c. 4. §. 9. * Can. 1. cong. 2.*

37. Poterit in casu aliquo anteponere, & postponere aliqua ex sex experimentis, eaque moderari & alia in alia permutare* dummodo biennio, & bene probentur Nouitij: & quod etiam tempus prorogare poterit, si opus esse iudicauerit.

*Can. 1. congr. 2.*

38. Poterit eti[am] cum Nouitijs in secundo anno probationis circa studia dispensare, habita ratione personarũ, locorum, & temporum, prout expedire in Domino iudicabit. Is vero cum quibus dispensauerit, extra domum probationis, & seorsum à Collegialibus esse debebunt, sub cura alicuius Sacerdotis ab ipso constituti, qui vicem Magistri Nouitiorum gerat; eiusque Regulas & Examinatoris habeat: ex quibus ea seruabuntur, quæ commodè seruari possunt Cuiusmodi erit, vt per dimidiam horam vesperi orent, sed ijs tantum diebus, quibus à studijs vacauerint.

*P. 1. c. 2. § 1. & p. 4. c. 3. §. 2. & in 1. cong. tit. 6. d. 24.*

39. Coadiutores temporales plures esse non debent, quam qui necessarij sint ad subleuandas domos, vel Collegia in rebus, quibus occupati Sacerdotes, & Scholastici non possunt, sine detrimento maioris boni.

### *De dimittendis.*

CAP. V. 40. Facultatem habet dimittendi eos, qui in prima, & secunda probatione ante & post emissa vota versantur, nisi à Præposito generali in illius Prouinciam destinati, vel de Societate ipsi tam bene meriti essent, vt eorum esset particularis ratio habenda. In his enim casibus inconsulto Generali dimittere non debet; nisi causæ admodum vrgentes & graues essent, ita vt minimè dubitaretur Generalis mentem huiusmodi futuram esse.

41. Scholasticos vero approbatos, & Coadiutores, non formatos, qui probationem absoluerunt, inconsulto Generali non dimittat, nisi in grauibus & vrgentibus casibus, & qui huiusmodi sint, vt sine graui periculo, Generalis responsum expectari nequeat: quem tamen

men post dimissionem certiorem faciat, adiunctis causis dimissionis. Et in vniuersum diligenter Prouinciali dispiciendum est, vt qui minus idonei ad nostrum institutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipse intra biennium probationis dimittat, quod si peracto etiam probationis tempore aliqui huiusmodi depræhendantur, tempestiue Generalis moneatur, ne cum Societatis iactura diutius, quam par est retineantur.

42. Prouincialis erit, iuxta commissam sibi facultatem, auditis suis Consultoribus, vel si necessitas vrgeat, Superiore, & Consultoribus, eius loci, vbi tunc erit, qui ipsi videbuntur adhibitis iudicare de causis sufficientibus ad admissionem: curabit tamen, ne ad hæc extrema, nisi quam consultissime, & alijs tentatis remedijs veniatur.

43. Coadiutores formatos siue spirituales siue temporales, & Professos nullo modo dimittet.

44. Circa modum dimittendi obseruet ea, quæ in secunda parte Constitutionum capite tertio dicuntur; & intelligat, an is qui dimittitur, aliquid Societati dederit; & si quid ei reddi oporteat, * iuxta eiusdem capitis declarationem. Scripta verò an secum asportare debeat, consideret ipse diligenter. *Par. 2. c. 3. lit. C.* * *Par. 2. c. 3. lit. B.*

45. Declaretur ijs, qui dimittuntur, quod liberi maneant à votis simplicibus, si ea iuxta formulam Societatis consuetam emiserint.

46. Circa dimissos aut egressos, è Societate, & postea reductos, vel sponte redeuntes, obseruentur ea quæ * in constitutionibus * & Decretis dicuntur: & si admittantur, denuo examinentur & probentur, prout ipsi videbitur. Si quis autem semel egressus erit, poterit quidem iterum admitti: sed aduertatur, huiusmodi homines rarò idoneos ad instituti nostri disciplinam inueniri. *Par. 2. ca 4. §. 3.* * *Par. c. 4.* * *In Cong. 1. tit. 2. dec. 70.*

*De litterarum studijs.*

CAP. VI. 47. IN vniuersitatibus, & Collegijs, in quibus nostri literas profitentur, idoneos, & eruditos Professores pro ratione loci, & debiti constituat. * Et si aliquis Lector extraordinarius adijciendus videretur, Generalem consulat. *Par. 4 ca. 12 & 13. c. 6. §. 6.* * *Ibid. c. 13. lit. C.*

48. Peculiari cura videat, num Lectiones in scholis nostris, & scholasticæ exercitationes diligenter, assiduè, atque ordine habeantur: nũ Magistri, & Discipuli suum in Domino officium faciant: & si quid opus esse iudicauerit, prouideat iuxta ea, quæ in quarta parte Constitutionum, & Regulis habentur.

49. Ipsius prudentiæ relinquitur, quid hi, aut illi addiscere debeant

P.4.c.5.§.3. & c.6.§.5. iuxta ætatem & ingenium vniuſcuiuſque ad maiorem gloriam Dei eos autem quos non eſſe aptos ad ſtudia inueniet, ab illis remouere poterit.

P.4.c.6.§.4.&c.5.lit.D.&c.13.§.4.lit.E. 50. In addiſcendis diſciplinis ordinem ſeruari faciat: efficietque, vt prius Scholaſtici in lingua Latina ſolidum iaciant fundamentum, quàm ad alia maiora ſtudia tranſeant: curabit verò humaniorum literarum ſtudia magni fieri, & eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: & ne in his profeſſores idonei deſint, illorum ſeminaria & inſtituet, & conſeruabit.

P.4.c.6.§.5.&lit.D.&c.13.§.4. 51. Aliarum linguarum ſtudium valde commendatum habeat: Hebraicæ verò ijs tantum concedat, qui in Theologiæ facultate mediocriter eruditi iam ſint, aut certe tam humiles, vt ſperandum merito ſit, hoc ſtudium ſine illorum detrimento vtile valde futurum.

Pa.4.c.6.§.4&§.16. 52. Deſignet aliquos, qui & probatæ virtutis in primis ſint; & ingenio polleant, vt abſolutis ſtudijs Philoſophiæ, & Theologiæ ad ea repetenda priuatum, & quietum ſtudium habeant, & poſitiuæ, ac S. Scripturæ ſe dedant: * quo etiam tempore in diſputationibus publicis rationem ſuorum ſtudiorum reddant, * vt eas facultates priuatim, vt publice ad ſuam, vel aliorum vtilitatem profiteri poſſint.

* Ibid §.17. & c.15.§.3. * Ibi.c.6.§.18. Can.8. con.3.

53. Diligenter ſtudeat, vt Præceptores Philoſophiæ, cum magno delectu eos Ariſtotelis interpretes legant, qui contra Chriſtiana dogmata impie ſcripſerunt, & ita Philoſophiam interpretentur, vt Theologiæ ſcholaſticæ, quam nobis commendant Conſtitutiones, ſubſeruire faciant.

P.1.c.1.p.18 & li.O.&P.1.4.c.5.§.4.&pa.8.c.1.§.lit.R. 54. Cum opinionum nouitas, vel diuerſitas non modo finem ipſum, quem Societas ad Dei gloriam propoſitũ habet, impedire poſſit, ſed etiam ipſum Societatis ſtatum maxime labefactare, neceſſe eſt ingeniorum licentiam, in opinionibus vel introducendis vel ſectandis, omnibus modis certa aliqua lege coercere. Quare diligentiſſime curent Prouinciales iuxta mentem Conſtitutionum ea exacte ab omnibus noſtris, & præcipuè à profeſſoribus, obſeruari, quæ in ratione ſtudiorum præcipiuntur.

P.4.c.5.lit.C. 55. Curet, vt ij, qui propenſum animum habent ad aliquam facultatem, in qua poſſunt inſignes euadere, in ea diutius verſentur, habita tamen ſpiritualis profectus ratione, & de talibus Generalem admoneat.

Pa.4.c.5.lit.D.&c.13.§.4.&lit.E.&can.17.cong.2. 56. Qui propter ætatem prouectiorem, aut alias cauſas in facultatibus ſuperioribus & ſcholaſticis ſtudijs progreſſum facere non poſſunt, curabit, ne in illis tempus inſumant, ſed caſibus conſcientiæ diſcendis dent operam, ſintque ſemper aliqui ex noſtris, qui huic ſtudio

dio diligenter incumbant, vt Societas copiam habere posſit operariorum, qui confeſsionibus audiendus ſint idonei.

57. In ſingulis domibus & Collegijs aliquem conſtituat, qui in caſibus conſcientiæ bene verſatus ſit, vt difficultatibus domi, & foris occurrentibus ſatisfacere poſsit.

58. Comedias, & Tragœdias rariſsimè agi permittat, & non niſi Latinas, ac decentes, & prius aut ipſe eas examinet, aut alijs examinandas committat: eas vero, atque alias Id genus actiones in Eccleſia fieri omnino prohibeat.

59. Sub finem ſtudiorum Generalem de vniuſcuiuſque talento admoneat, & quantum ſinguli profecerint, ei referat. *Par.4 c.35. §.c.3.*

60. Curet, vt nullus ex noſtris librum aliquem ex vna in alteram linguam transferat, aut imprimat, abſque Præpoſiti Generalis facultate.

### *De promouendis ad ordines, & gradus literarios.*

CAP. VII. 61. Poteſt per ſe, vel per alios præſentare ex noſtris eos, quos idoneos iuxta inſtructionem à Generali traditam cenſuerit, ad ordines Eccleſiaſticos recipiendos.

62. Quamuis in actibus Scholaſticorum communibus exercendi ſunt noſtri iuxta conſtitutiones: nullus tamen ad Philoſophiæ, vel Theologiæ gradus, etiam ſi idoneus ſit promoueatur ſine Præpoſiti Generalis facultate. *P.4. c. 6. §. 10 & 7. & c. 15. §. 3*

63. Cum noſtri de Generalis facultate in vniuerſitatibus Societatis promouendi ſunt ad gradus literarios, ſi qua in re neceſſaria ad promotionem erit diſpenſandum (quod rariſsimè faciendum eſt, ne huiuſmodi gradus veniant in contemptum) vbi id fecerit, tam de perſona quam de cauſa diſpenſandi admoneat generalem.

64. Etſi Doctoratus, & Magiſterij gradus iuxta Conſtitutiones prædicto modo noſtri accipere poſſunt, nomine tamen Doctoris, vel Magiſtri ratione gradus inter ſe non vtantur.

### *De promouendis in Profeſſos, in Coadiutores formatos, ac ſcholares.*

CAP. VIII. 65. Poteſt admittere poſt biennium ad vota ſimplicia Scholaſticorum approbatorum, & Coadiutorum non formatorum, quos in Domino idoneos iudicauerit iuxta Regulas & Conſtitutiones. *P.4.c.4.§.2 & p.5.c.4.§. 3. & 6.*

66. Curet autem, vt quam primum aliquis biennium Nouitiatus expleuerit (nisi iusta de causa differendus videretur) peractis ijs, quæ
* In ex. c. 4. in examine * habentur: hæc vota in sacro antequam communicet,
§. & 27. emittat coram aliquibus domesticis tantum, non tamen inter eos, qui tunc fortè vota renouarent, etiam si ea prius ex deuotione edidisset.

* In ex. c. 1. 67. Si quos, vt in indifferentes admiserit, quod rarò fieri debet, po-
§. 11. test eos applicare ad gradum Coadiutorum, vel scholasticorum: si-
* Can. 2. cut magis in Domino conuenire iudicabit. * In hac vero classe in-
cong. 2. differentium vltra tempus biennij probationis nemo maneat.

In ex. c. 4. §. 68. Scholastici simulatque superiorum arbitrio studia absoluerint,
16. & p. 5 c 1. tertium probationis annum in Domibus Probationum peragant:
§. 3. & §. 1. quod si commode fieri non possit in Domibus Professorum, vel in Collegijs probari eos faciat iuxta Regulas Nouitiatus.

P. 5. c. 1. & p. 69. Finita visitatione consideret, qui sint idonei in sua prouincia,
4 c 9 §. 3. vt in Coadiutores formatos spirituales, vel temporales, aut in Professos iuxta Constitutiones, & instructionem à Generali traditam admitti possint, & secundum eandem accurate Generalem informari curet.

* In ex. c. 1. 70. * Antequam admittat eos, qui cum Generalis facultate pro-
§. 8. & c. 4. fessionem, vel vota Coadiutorum formatorum emissuri sunt, ea ser-
§. 2. & 27. uari curet, quæ ab ipsis erunt facienda: eiusmodi sunt dispositio bo-
38. 11. & c. norum temporalium, si quæ adhuc habuerint, exercitia spiritualia,
6. §. 8. & p. confessio generalis, & alia quæ in * Constitutionibus, & Decretis
6 c 2. §. 12. congregationum dicuntur, in professione etiam & ijs votis emit-
& can. 3. col. 1. tendis seruetur, & vt publicè fiant, & in cæteris omnibus quæ * con-
* p. 6. c. 2. §. stitutiones prescribunt.
1. & p. 10. §. 6.

71. Qui professionem fecerint, etiam trium votorum, emittant vo-
* P. 5. c. 3. 3. ta illa simplicia, quæ post professionem emittenda sunt, idque iuxta
§ 2. & c. 4. formulam * primæ congregationis, vt à tertia recognita est; & do-
§. 5. ctrinam Christianam tam ipsi, quam Coadiutores formati spiritua-
* In c. 1. cög. tit. 6. de. 2 3. les per quadraginta dies intra annum doceant.

& in 3. cong. 72. * Habeat librum, in quo eorum nomina scribantur, qui vota so-
dec. 70. lemnia, vel simplicia post biennium in Domibus, vel Collegijs suæ
* Can. 20. prouinciæ emittunt, iuxta ordinem Præpositis Domorum, & Recto-
cong. 1. ribus traditum.
* Par. 5. c. 9.

§. 4. 73. Cum aliqui professionem, vel vota Coadiutorum formatorum fecerint, exempla huiusmodi votorum, & aliorum quinque, quæ professi post emissam professionem faciunt, nomine ipsorum subscripta, ad Generalem quam primum transmittat.

Par. 6 c 2. §. 74. Constituat iuxta Constitutiones, vt Professi, & Coadiutores spirituales

ſpirituales formati ſuæ prouinciæ in Domibus Profeſsis, quantum fieri poteſt, commorentur. 3. & 4. & 11. p. 4. c. 10. §. 1.

*De rebus Collegiorum, & Domorum.*

CAP. IX. 75. ÆDificia conſeruari, & ſi opus erit, inſtaurari curet: quod ſi quæ ædificanda maioris momenti fuerint, vt eſſet templum, dormitorium, vel aliquid huiuſmodi, niſi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet formam, & modum noſtrorum ædificiorum præſcribere. *Can. 11. cong. 1. can. 9. cong. 2.*

76. Redditus, & reliqua ſtabilia conſeruari curet, & an creſcant, vel minuantur, intelligat: ſi quis autem huiuſmodi bona augere vellet, vel aliquid donare, poterit id admittere: ſi tamen conditiones aliquæ exigerentur, non niſi approbante Generali, vllam admittat; & eodem modo, quæ dantur Domui profeſſæ accipere, & ſi quid ſtabile donatum fuerit, etiam vendere poterit: ſi tamen Domui neceſſarium pretium non eſſet, & trecentorum ducatorum valorem excederet, conſulat Generalem, vt de eo iuxta ipſius præſcriptum diſponat.

77. Cum lites, pro rebus præſertim temporalibus, diligenter noſtris fugiendæ ſint, non intendat quiſquam è noſtris omnino litem aliquam abſque conſenſu Generalis, aut eius, cui expreſsè ſuas vices ad hanc rem ille commiſerit, niſi in re adeo neceſſaria, vt eius reſponſum expectari nequeat, de quo tamen poſtea ipſum admoneat. Quocirca nitatur Prouincialis primum rem compromiſsione componere. Noſtris autem ſi lis intendatur, curandum etiam diligenter, niſi de iure noſtro manifeſte conſtaret, vt aliqua tranſactione vel concordia res tota componatur: id ſi commode fieri non valeat, poterunt in iudicio ſe defendere, cum Prouincialis * poteſtatem habeat conſeruandi & defendendi res Collegiorum etiam in iudicio, cum facultate alios ſubſtituendi, ſi id neceſſarium vel conueniens aliquando fuerit. *Can. 16. cong. 2.* * *Par. 4. c. 2 lit. C.*

78. Intelligat, an exempla authentica contractuum maioris momenti, præſertim rerum perpetuarum ad Archiuum, quod eſt in vrbe penes Præpoſitum Generalē, miſſa ſint, alioqui mittenda curabit. *In 1. cong. ti. 6. dec. 14.*

79. Videat computa inter ſuperiorem, & Procuratorem tranſacta, rationemque exigat accepti & expenſi, & reſolutionem vltimi ſui computi ſummatim ſcribi faciat, quam ipſe ſubſcribet in libro deſignato: in hoc autem ſcripto ſimul conſtet tam de ſumma accepti, & expenſi ab vltima viſitatione, quam de eo, quod reſiduum fuerit, vel etiam ſi quid debiti maneat.

80. Vi-

80. Visitet bona stabilia extra domum, quæ sine magno incommodo visitari possint, vt videat, num qua instauratione, vel cultura egeant, & quid ad eorum conseruationem opus sit.

Part. 4. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 3. §. 17. 81. Si Domus vel Collegia cum commoda fundatione offerentur, expendat, quid ad commune bonum ex ijs speretur, & an aliquæ conditiones exigantur, & an locus sit salubris, & omnia ad Generalem referat, nihil interim certi promittendo.

82. Magnum æs alienum Collegia vel Domos conflare non sinat, si soluendo fore probabiliter non speret, habita ratione reddituum, & eleemosynarum, quæ ordinariè dari solent: * nec in ijs plures habitare permittat, quam ali possint. (* Can. 12. cong. 1.)

P. 4. c. 2. lit. E. 83. Quando contribuendum erit ad sumptus communes Prouinciæ, statuat ipse quod cuique Collegio, vel Domui, seruata proportione debita, imponi debeat.

P. 6. c. 2. §. 15. 84. In vestitus ratione tria obseruari faciat; Primum, vt honestus ille sit: Alterum vt ad vsum communem, & approbatum honestorum Sacerdotum eius loci in quo viuitur accommodatus: Tertium vt professioni paupertatis non repugnet.

85. Habitationem, officinas, vestes & reliquam supellectilem, omnia denique diligenter inspiciat; nec necessaria deesse, aut superflua expendi permittat; & rerum mobilium inuentarium conferri faciat cum inuentario in præcedenti visitatione à Visitatore, vel Prouinciali subscripto. Obseruet etiam, quæ teneatur œconomiæ ratio.

*De ijs, qui bonis suis nondum se abdicarunt.*

CAP. X. 86. Non permittat nostros abdicare se possessione bonorum suorum, nisi quos constantes, & stabiles in sua vocatione cognouerit, atque in ea re maturo semper consilio procedat.

Can. 4. con. 3. 87. Non sinat pactiones inire nostros cum parentibus suis, & quibuscumque alijs de legitima parte, & alijs bonis ad se pertinentibus, nisi illi prius admoneantur, Societatem ipsam ad ea bona nullum ius habere. & Generalis de tota re prius informetur.

Can. 3. con. 2 & can. 3. cong. 3. 88. Cum quis ex nostris est dispositurus de bonis suis in auxilium Societatis, admoneatur Generalis de eorum valore, & de animo relinquentis, & necessitate etiam Domorum, & Collegiorum Prouinciæ, si in ea huiusmodi bona sint.

89. Si aliqua bona applicabuntur Societati cum facultate Generalis, magnopere curet Prouincialis vt cum ædificatione, & charitate, &

te, & non cum rigore exigantur, potiusque per Procuratores externos, quam per nostros: expediet quoque, vt ex his eleemosynæ aliquæ in pauperes eius oppidi, vbi sunt bona, distribuantur: & ratio dati, & accepti talium bonorum scripro constet, vt ipse aut superior illius Domus, vel Collegij, cui applicata fuerunt, eam reddere possit ei, qui à Generali fuerit designatus.

90. Non ferat, nostros quicquam petere à parentibus, cognatis, vel amicis: sed omnia eis necessaria à Societate prouideantur: * intelligatque etiamsi quibusdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittitur, vsum tamen eorum ad propriam vtilitatem nulli esse concedendum. ** In ex. c. 4. §. 4. & p. 4. c. 4. lit. E.*

*De modo, quo cum Generali, & alijs Prouincijs, ac Externis se habere debeat.*

CAP. XI. 91. Obedientem, reuerentem, ac fidelem, se Præposito Generali exhibeat, & hac re subditis in primis exemplum præbeat: idque potissimum curet, vt omnes de suis Superioribus bene sentiant, eiusque peculiari deuotione afficiantur.

92. Perspecta Generali esse cupiat omnia, quæ ad suam Prouinciam pertinent, eaque per se, & Superiores Domorum, & Collegiorum, & Consultores suæ prouinciæ iuxta formulam scribendi manifestari diligenter curet.

93. Cogitet de communi bono Societatis, illudque iuuet: Congregationes Prouinciales suo tempore iuxta formulam traditam cogat: si quid annotauerit circa Decreta & Constitutiones, vel quid aliud, quod Congregationem generalem exposcat, Præposito Generali scribat, vel Procuratori tertio quoque anno ad eundem venturo tradat.

94. Si occasio se obtulerit iuuandi alias Prouincias, non desit charitatis officio, & litterarum communicatione iuxta formulam scribendi, mutuam concordiam & charitatem foueat.

95. Beneuolos, & deuotos conseruet, curetque vt benefactoribus se gratos nostri exhibeant: si qui autem aduersantur Societati, studeat, vt melius informati reconcilientur. *Part. 10. §. 11. & lit. E.*

96. Quæ eleemosynæ externis pauperibus, siue ordinariæ, siue extraordinariæ dari debeant, ipse Superioribus præscribet, auditis Cõsultoribus, pro Collegij vel domus facultate: Vbi vero habentur bona Ecclesiastica, eleemosynas aliquas fieri prouidebit in locis præcipuè, vbi huiusmodi redditus percipiuntur.

*De communi ratione iuuandi proximos.*

P.4 c.10. §. 10.& c 6. §. 3 & lit C. CAP. XII. 97. INtelligat, præsertim sub finem studiorum, qui ex nostris,& quousque,quibusque rationibus domi,& foris externis se communicare debeant: quod tamen nisi probatis & in vocatione stabilibus, discretis, *& bene instructis,quiq, alios ædificare possit, concedendum erit.

* Can 17. con. 2.

P.4 c. 8 §. 2.& p.10.& §. 7. 98. Consideret, num Missæ celebrentur, & Sacramenta alia ministrentur iuxta vsum Rom. Ecclesiæ: concionandi etiam,& doctrinæ Christianæ docendæ modum obseruet: curetque, vt in his omnibus nostri vniformes sint,& vt finem,quem Societas intendit, assequantur. Præcipuè vero circa concionatores inuigilet, vt si quis ex ijs ad suas se Regulas forte non accommodauerit,à concionandi munere amoueatur,& in alijs Societatis nostræ ministerijs occupetur.

Can. 27. cong. 2. 99. Videat, num in domibus,& Collegijs concionatores & confessarij ad sua munera idonei sint,& statuat pro ratione instituti & loci, quam frequenter domi, vel foris concionandum, vel publice legendum sit, vel doctrina Christiana tradenda & tempore pestis aliqui ab eo designentur, qui separati ab alijs,proximis iuuandis vacent.

100. Det operam, vt Confessarij maturioris sint ætatis quantum fieri potest, præsertim qui ad confessiones mulierum audiendas mittuntur: * Curetque vt nostri gratijs, & priuilegijs Apostolicis prudenter, & moderate vtantur.

* P.10 §.12 p. 1. c. 8. & p 7. c. 4.

101. In ijs locis, in quibus simul Domus Professorum, & Collegium fuerit, Societatis ministeria in domo exercenda curabit: In Collegijs vero ea, quæ ad studia litterarum, & auxilium spirituale Scholasticorum pertinent tractanda sunt.

102. Efficiet, vt in festis, quæ à nostris præcipuè celebrari solent, ornatus nostrarum Ecclesiarum sit moderatus ac religiosus,& quoad fieri potest, sine nimia distractione nostrorum, & molestia externorum.

Pa.7 c 4 lit. G. 103. Non permittat, vt cum Congregationibus externorum,quæ confraternitates dicuntur, nostri misceantur, nec in Domibus vel Collegijs vlli earum conuentus agantur,nisi qui ad finem earundem Domorum & Collegiorum in diuino obsequio fient.

Can.19. cõg. 2 & can. 7. con.4. 104. Si examinandi ministerium ab Ordinario iniunctum effugere nostri nulla ratione possint,quamuis de doctrinæ sufficiẽtia iudicium ferre

ferre valeant, illud tamen retineant, ne de admittendis vel non admittendis ferant, sed illud omnino Prælatis relinquatur.

*De missionibus, & mutationibus nostrorum.*

CAP. XIII. 105. PRouincialis non abeat à sua Prouincia sine Generalis, nec Præpositus aut Rector à sua Domo, vel Collegio, absque Prouincialis facultate, nisi locus esset vicinus, aut sine graui incommodo Superioris responsum expectari non posset. * Reliquorum vero mutationes intra Prouinciam Prouincialis ipse ne faciat sine causa alicuius momenti. ** Can. 11 cong. 2.*

106. In mittendis operarijs per Prouinciam extra Domos, & Collegia, vt in vinea Domini laborent, obseruet, quæ in Constitutionibus, & Regulis missionum dicuntur; videat tamen, ne Domus, & Collegia necessarijs ministris destituantur. *P. 7. d. 1. §. 5. & c. 1. §. 1. & can. 27. con. 2.*

107. Quocunque mittat aliquem eum per se, vel alium plene instruat, & ordinarie in scriptis tam de modo procedendi, quam de medijs, quibus eum vti velit ad finem, quem in animo habet.

108. Per crebram litterarum communicationem iuxta formulam scribendi totius successus certior factus ex eo loco, vbi ipse commoratur, consilio & orationibus, & alijs rationibus eum iuuabit, vt persona, & negotium postulauerit. *P. 7. c. 2. §. 2. & ca. 27 con. 2.*

109. Optimi quique, & maturiores ad proximos iuuandos; quantum commodè fieri poterit, mittantur: & si ei videbitur expedire, alicui Superiori vicinioris Domus vel Collegij subijciantur. *Par. 8. c. 1. §. 4.*

110. Cum mutari aliquem oportebit, animaduertat, vt ad eum reuocandum, quoad fieri poterit, ijs mediis vtatur, vt ij, à quibus euocatur, potius beneuoli omnino maneant, quam offensi, vel male affecti. *Par. 7. c. 2. lit. H.*

111. Si missum à Superiore, vel à summo Pontifice minus vtiliter occupari videret, Generalem admoneat. *In Bul. 3. Pauli in.*

112. Extra Prouinciam suam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vinea Domini, nisi negotij alicuius, aut peregrinationis causa aut nisi ei constaret de Generalis voluntate, vel conueniret cum Prouinciali illius Prouinciæ, ad quam mittere aliquem voluerit: ad Prouincias tamen extra Europam, & inter ipsasmet, hæ transmutationes sine facultate Generalis ne fiant.

113. Post cognitam Generalis mortem, Prouincialis neminem ex ijs, qui ius suffragii habent ex sua Prouincia in aliam mittat ante cõgregationem Prouincialem, nisi causa sit adeo vrgens, vt ipse & ma-

ior pars consultorum ipsius existimet esse mittendum.

114. Cum peregre erit nostris proficiscendum, aliquem, cui maxime confidat, perficiet, cui toto itineris tempore cæteri tanquam Superiori in omnibus obediant.

*Can. 12. cong. 3.* 115. Ad retinendam religiosam disciplinam, & paupertatis rationem, det operam, vt nostri in profectionibus, quos ipsorum Superiores id præstare posse iudicauerint, in toto, vel in parte pedestri itinere vtantur, & in equitando solius necessitatis, siue personæ, siue negotiorum ratio habeatur.

*Can. 10. cong. 2.* 116. Expensas itinerum soluere eius erit Prouinciæ, aut Collegij, aut Domus, in cuius bonum & vtilitatem cedit profectio; quod si in ea re dubium esset, arbitrio ipsius auditis Consultoribus statuendum relinquitur: si aliquando tamen inter aliquos Prouinciales non conueniret, recurrant ad Generalem.

*Par. 3. c. 1. lit. A.* 117. Quando quis ab vno loco ad alium transfertur, Superior, ad quem talis mittitur, informandus est, quantum ad cognoscendum, & iuuandum eum sit satis. Neminem autem ex vno in alium locum ire permittat, sine litteris patentibus.

## *De visitatione.*

*Can. 20. cōg. 1. & par. 6. c. 1. lit. 1.* CAP. XIV. 118. Singulis annis per se ipsum singula loca suæ Prouinciæ visitet, cum hoc sit valde proprium sui officij, & ibi diutius immoretur, vbi magis erit opus, præsertim in loco ad communicationem cum inferioribus & generali Præposito magis commodo.

119. Si quando ob causas grauiores visitare omnia loca suæ Prouinciæ ipse non possit, re cum suis Consultoribus collata, ad ea quæ non potest, sibi alium substituat. Quamuis omnino curandum sit, vt Domos probationis & scholasticorum seminaria peculiari cura, & per se visitet.

120. Cum ad Domum vel Collegium aliquod peruenerit, Superiorem interroget, num aliquid vrgeat, cui statim necessariò sit remedium adhibendum: & Visitationes præteritas petat: deinde omnes simul benigne alloquatur, eosque ad renouationem in Spiritu, & studium perfectionis hortetur.

121. Incipiat Visitationem à templo, cuius ostio clauso, videat, quomodo custodiatur sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum: mox visitet sacrum infirmorum oleum, & sanctorum reliquias, ex quibus nihil vlla ratione auferatur, altaria, sedesque Confessariorum, atque alia,

quæ

quæ tam in templo, quam in Sacristia ad diuinum cultum pertinent.
122. Postea ad visitationem personarum accedat, & curet, vt omnibus beneuolum se exhibeat, ne alicuius mentem subeat suspicio; quod ob sinistras aliquas informationes minus hilarem vultum ipsis ostendat.
123. Petat à Superiore, & consequenter à Consultoribus, & ab aliquibus Patribus antiquioribus, vel præcipuis officialibus, vt ea, quę sciunt alicuius momenti de statu Collegij, vel domus, aut de personis referant: quod si iudicauerit expedire, iubere poterit, vt informationes huiusmodi, vel partem earum breuiter scribant, & sibi tradant: scripta autem quæ secretum continent, clausa ipse diligentissimè seruet, caueatque ne minimo quidem indicio eos, qui sibi aliquid referunt, prodat.
124. Huiusmodi informationibus acceptis & consideratis, percurrat cum Superiore catalogum personarum domus, Collegij, breuemque de singulis ab eo capiat informationem.
125. Deinde vocet sigillatim omnes eo ordine quo ei magis conuenire videbitur, & singulos seorsum iuxta instructionem sequenti capite positam memoriter potius quam ex scripto interroget, & quæ aduertenda iudicauerit, sibi memoriæ causa scribat, quid vero à quoque interrogandum sit, illius prudentiæ relinquitur.
126. Hortetur omnes ad veritatem sinceram dicendam, ne ipsis imputetur, si morbi propter eorum silentium incogniti, & latentes curari non possint: admoneatque teneri eos seruare sub secreto, quicquid cum eo, quod secretum requirit, transegerint; licet à quouis alio, qui ipso sit inferior, de ea re interrogentur.
127. Non facilè credat, si quæ forsan contra alios præsertim Superiores dicentur, sed ea notet & expendat, vt veritatem assequatur, Caueatque, ne dum subditos consolari studet, illi debiliores in obedientia, & reuerentia erga suos immediatos Superiores reddantur.
128. Si qui diuisionis, aut dissensionis eorum, qui vna viuunt, inter se, vel cum suo capite auctor esse inueniretur, diligentissime ab ea congregatione, velut pestis, quæ eam potest inficere, si præsens remedium non adhibeatur, separandus est. Par. 8. c. 1. § 5.
129. Visitatio rerum, aut partium domus, iuxta ea, quæ in præcedentibus regulis, præsertim in nono capite huius officij dicta sunt, fieri debet; in qua simul examinandæ sunt Regulæ officialium, qui eiusmodi rerum curam habent: si quid autem non solum informationem, sed inspectionem requirat, ipse per se, aut socium id præstabit.

130. Summarium Constitutionum, & Regulas communes coram Superiore, Consultoribus, & Ministro examinabit, & si quas non obseruari intellexerit, consideratis causis remedia adhibebit, vt obseruari possint. Regulas autem Ministri Consultorum, & Admonitoris, Concionatorum, & Sacerdotum, itemque præcipuorum officialium, ipse per se cum ipsismet examinabit: reliquas vero aliorum officialium poterit socio, aut alteri coram singulis eorum examinandas committere.
131. Prouincialis integram rationem totius anteactæ vitæ, iuxta Constitutiones ab aliis exigat, qui Societatem ingrediuntur: & ab eo tempore, quo ad studia missi sunt ab iis, qui illis absolutis ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quod si id aliquãdo per se præstare non poterit, substituat ad id ordinarie Superiorem Domus, vel Collegii. Singulis verò annis in quacumque Domo, vel Collegio suæ Prouinciæ absoluta rerum domesticarum visitatione, aut in ipso visitationis decursu (si id opportunius in aliquibus fore iudicaret) ratione conscientiæ ab omnibus accipiat ab vltima, quam reddiderunt iuxta modum inferius præscriptum. Quod si visitatio circa renouationem votorum inciderit, (quam extra statutum tempus ratione sui Aduentus in Domum aliquam, vel Collegium, præsertim magnum, per vnum aut alterum mensem prætermittere, aut differre poterit) ipse ad excipiendas confessiones generales nostrorum, aliquos Patres probatos, & maturiores designabit; eosque, qui sibi confiteri volent, benignè audiet.
132. Postremum omnium visitet Superiorem Domus, vel Collegii circa ea, quæ ad personam, & officium eius attinent, iuxta officii eius Regulas, & ea, quæ ex acceptis informationibus collegerit.
133. Visitatione cuiusque Domus, vel Collegii absoluta, & rebus omnibus perspectis, vt laboris sui fructum capiat, denuo omnia, quæ accepit in visitatione, consideret, & ea, quę maioris momenti sunt, diligentius expendat: quid item clarum, quidque tantum probabile videatur, & de quibus Generalis consulendus est, & quæ cum solo Superiore Domus, vel Collegii, quæ etiam cum Consultoribus, & quæ cum aliis particularibus sint transigenda, diligẽter discernat.
134. Quæ ad gubernationem spectantia ipsi ordinanda videbuntur, hæc vel illa iis etiam expendenda tradat, quos de vnaquaque re melius iudicare posse confidat. Et antequam vltimam executionis manum rebus imponat, omnia in orationibus, & Missarum sacrificiis Deo commendet, vt iuxta ipsius diuinum beneplacitum dirigantur.

135. Post-

135. Postquam autem apud se omnia constituerit ex præteritæ visitationis memoriali, vbi rerum quæ temporariæ sunt, ordinationes scribuntur, eas quæ executioni mandatæ fuerint, expungat. In libro verò, in quo non nisi maioris momenti ordinationes scribendæ erunt, ipse ea tantum scribet, suaque manu subscribet, quæ cum Generali communicauerit, & ab ipso fuerint approbata.

*Instructio de ijs, quæ in visitatione interroganda sunt.*

Quæ ad gubernationem pertinent à Superioribus, & Consultoribus, & alijs quibus videbitur petenda.

CAP. XV. 1 INterroget, si quid grauius in ea Domo, vel Collegio accidisse extra confessionem intellexerit, & quod remedium sit adhibitum.

2. Quomodo seruentur regulæ, quæ ad Nouitios pertinent.

3. An aliqui, præsertim pueri, aut mulieres ad vota emittenda inducantur, vel ad consilia alia obseruanda indiscretè trahantur.

4. An aliquis domi nimis affectus videatur ad consanguineos, vel ad eorum subuentionem teneatur.

5. De numero, & sufficientia Confessariorum, & de frequentia & fructu confitentium.

6. Quomodo literarum studia vigeant, & quàm exactè seruentur, quæ de opinionum nouitate, & diuersitate statuta sunt. Et an aliqui videantur finitis iam studiis educendi è Collegiis.

7. An infirmi, hospitalia, carceres, & triremes (vbi essent) visitentur, & adiuuentur à nostris.

8. Ex quibus operibus piis iuxta nostrum institutum, maior fructus percipiatur.

9. De cura in tradendis spiritualibus exercitiis, & quam exactè illa fiant. Et de vigilantia in puerorum ac rudium in doctrina Christiana institutione.

10. De modo conuersandi iuxta rationem, & finem nostri instituti.

11. De missionibus & earum fructu, & modo procedendi eorum, qui mittuntur.

12. An aliqui prætextu valetudinis iuuandæ à spiritus perfectione degenerent, & à laboribus nostri instituti abhorreant, atque ad otium aspirent.

13. An erga nostros infirmos, & hospites debita Societatis charitas, & cura exerceatur.

14. An

14. An aliqua ambitionis & proprietatis indicia in aliquo appareant.
15. Quæ eleemosynæ externis pauperibus dentur.

*Quæ ab omnibus peti possunt.*

16. Quomodò valeat corpore, & viribus, & quomodo ei conueniat ratio victus, vestitus, cubiculi, & exercitationis corporalis, qua vtitur.
17. Si quid dubitationis, aut difficultatis, si quid etiam ad suam consolationem, instructionem, aut profectum forte putat, confidenter proponat.
18. Quod alios attinet, interrogetur quomodo tractetur à suis Superioribus, & quid sentiat de illis, tam de personis, quam de officijs eorum.
19. An aliquis Superior impedierit libertatem subditorum scribendi ad Superiores mediatos, aut quouis modo significauerit, sibi non placere, vt nostri de ipso, aut eius gubernatione, ad eosdem scribant.
20. An nouerit extra confessionem aliquid de quauis persona, quod non ei probetur, vt de inobedientia, murmuratione, conspirationibus, præsertim contra Superiores, & si quid parum honestum, & incautum in familiaritate nimia cum aliqua persona accidisset, vel contra de dissensione.
21. Quomodo seruentur Domi Constitutiones, Decreta, Regulæ, communis ordo, & ordinationes, quæ à Præposito Generali, & alijs Superioribus emanant.
22. Quomodo exerceatur ministeria Societatis erga externos, quod ad modum, & fructum attinet.
23. Quis sit profectus nostrorum in rebus spiritualibus, & quod omnium in solidis virtutibus acquirendis studium.
24. Si de ijs etiam, quæ pertinent ad alias Domus, & Collegia totius prouinciæ aliquid habet, quod alicuius momenti videatur, liberè proponat.

*Pro Scholasticis addatur.*

25. Quid ingenij, memoriæ, virium, & propensionis ad literas in se experiatur.
26. An occupatione exteriore, vel studijs remoueatur, vel distrahatur à rebus spiritualibus.

27. An

27. An habeat libros necessarios, & an scribat, legat, disputet.
28. De suo profectu in literis quid sentiat.
29. An omnia experimenta Societatis fecerit, & quo fructu.

*Pro ijs, qui in probatione versantur.*

30. An firmus sit in proposito viuendi, & moriendi in Societate.
31. An sit indifferens ad quemlibet gradum, ministeria, & exercitia Societatis prout obedientia.
32. An exercitia spiritualia, vel aliqua alia experimenta fecerit; & in quibus plus profecerit, & alia si videbitur, ex Examine.

*Modus accipiendæ rationis conscientiæ.*

Quod in summario Constitutionum, § 40. præscribitur de manifestanda conscientia, id magni momenti ad Dei gloriam & Societatis nostræ bonum Pater noster sanctæ memoriæ Ignatius existimauit: quare vt omni diligentia & animi sinceritate seruetur, Prouinciali curandum erit. Et cum quisque dixerit, quæ dicere voluerit, iuxta instructionem datam, poterit Prouincialis, si qua existimauerit amplius interroganda, id etiam facere, quamuis, quæ hominem pudore multum afficerent, ea extra confessionem interroganda non essent. Nec à singulis singula petet, sed prudēter & circumspecte pro ratione personarum. Denique eam suauitatem teneat, vt illa omnia non tanquam iudex exigere, sed vt benignus parens ob subditi consolationem cognoscere velle videatur.

# Index capitum Regularum Prouincialis.

---

*Regulæ Præpositi domus professæ, de ijs, quæ ad eius personam & totius domus administrationem pertinent.*

Par. 4. c. 10. §. 4. CAP. I. 1. OMni studio enitatur, vt talis sit, qualis optatur Rector in nostris constitutionibus, atque eo magis quod illis præsit, quos viros spirituales, & perfectionis studiosos esse oportet.

Par. 4. c. 10. §. 5. 2. Primam officij sui curam in eo positam esse intelligat, vt oratione, & sanctis desideriis totam domum velut humeris suis sustineat, & quæcumque in iis, quibus præest, ad ipsorum, aliorumque ædificationem, iuxta instituti nostri rationem, optare debet, prius in seipso præstare studeat.

3. Communes regulas ipse seruet, & particularia in cibo, indumentis: & aliarum rerum vsu quantum fieri potest, vitet; & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam, alios ne offendat.

Par. 4. c. 12. §. 10. & can. 15. Con. 2. 4. Intra annum, postquam officium Præpositi prima vice inierit, quadraginta diebus Christianam doctrinam eo modo, quo in secunda Congregatione de Rectore expositum est, legat, aut doceat; sed ex causa per alium id munus cum facultate Prouincialis obire poterit.

5. Consuetudines acceptas & à Generali, vel Prouinciali approbatas seruet, ac seruari faciat: si tamen aliqua alia à præcedenti Præposito inducta fuerit, non mutet inconsulto Prouinciali; ipse verò, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

6. Eos,

6. Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Prouincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique regulas tradat, aliquando visitet, & prout in Domino conuenire iudicabit, vel in eisdem ministerijs detineat, vel ab eis remoueat. * Quia verò officia quædam, vt bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inueniuntur, non facile mutari debebunt. *Par. 4. c. 10. §. 5. & 6.* ** Ibidem lit. E.*

7. Vt prospicere officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore grauentur, debebit; ita cum tempus vacuum illis fuerit, vt illud vtiliter impendant diuino seruitio, curabit. *Par. 4. c. 10 §. 6.*

8. Etsi potestatem habeat designandi Confessarios suis subditis, ordinarium tamen Confessarium domus non constituet sine approbatione Prouincialis. *Par. 3. c. 1. §. 11.*

9. Quamuis in virtute obedientiæ iubere possit, non nisi rarissimè, & ex graui ac vrgenti causa id faciat. *Part. 6. c. 5*

10. Ordinarias tantum pœnitentias imponat, quales sunt parua mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi vsque ad panem, & aquam, si res postulauerit, disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia, & domestica.

11. Sicut ad Præpositum pertinet dispensare in regulis, & Constitutionibus, & Decretis Congregationum generalium cum particularibus, quando necesse erit; sic & cum dispensauerit in rebus maioris momenti, quæ videntur vrgere, & in quibus sine graui incommodo Prouincialis responsum expectari non potest, eum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione, ac eius causa admonere. *Par. 4. c. 10. lit. B. & Pa. 9. c. 3. §. 8.*

12. Nomina eorum, qui vota solemnia, vel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur, in Professis quidem, & Coadiutoribus formatis cum nominibus admittentium, in reliquis verò post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore iuxta Constitutiones. *Part. 5. c. 3. §. 4. & c. 4. §. 4.*

13. Quas habeat facultates partim ex ijs, quæ ipsi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, vt in ijs, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

*De ijs, quæ præpositum ad bonam administrationem iuuabunt.*

Par. 4. c. 10. §. 7. & p. 9. c. CAP. II. 14. SIt solicitus, ne Minister, & reliqui officiales suo desint officio, omissis alijs, quæ possent impedire.

15. Singulis vel saltem alternis hebdomadis cum suis Consultoribus conueniat, (nisi pro re nata aliquid extraordinariè esset consultandum) deque rebus maioris momenti, quæ pro temporum, & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quamquam ijs auditis penes ipsum erit de singulis statuendi facultas.

16. Consultores, aliosque omnes, cum ei aliquid proponunt, libenter, & benignè excipiat, & præcipue * eum, cui Monitoris Officium commissum est: efficiatque, vt in sua domo, quæ in formula scribendi præscripta sunt, seruentur.

* Pa. 9. c. 4. §. 4.

17. Habeat librum, in quo scribantur visitationes domus à Generali approbatæ, in quo etiam scribantur ordinationes aliæ alicuius momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab ijs, quæ temporariæ sunt, separatim notentur; alia verò, quæ Visitator, & Prouincialis præscripserint, in alio libro scribantur.

18. Institutum Societatis cognoscat ex lectione literarum Apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum generalium Congregationum: magis autem particularia ex lectione regularum tam communium, quam officij sui, & aliorum qui sub ipsius cura sunt, ac Prouincialis, & compendij facultatum Societatis, atque ex obseruatione consuetudinum receptarum, ac demum ex recursu ad superiorem in ijs, de quibus dubitabit.

19. Libellum habeat, in quem referat quæcumque sibi ad bonum domus statum subinde occurrent, ne memoria excidant, præcipue illa de quibus ad Generalem, vel Prouincialem scribendum putat.

p. 2. c. 3. §. 2. & p. 7. c. 2. lit. M. & c. 4. §. 3. & 4. & p. 10. lit. B pa. 4. c. 10. §. 8.

20. Pro occurrentibus necessitatibus communibus & priuatis, Missas & orationes suorum (moderate tamen) iuxta consuetudinem Societatis applicare poterit.

*De cura nostrorum in spiritu.*

CAP. III. 21. CVret, vt vnicuique in suo officio integram obedientiam cæteri præstent, & officiales Ministro, & sibi etiam omnes, studeatque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipse suis Superioribus quos Christi loco habet, præstare debet.

22. Det

22. Det operam, vt Constitutiones, & regulæ obseruentur: omnibus domesticis cum omni solicitudine inuigilet, eosdemque ab ijs, quæ nocere possint domi, & foris defendat, cum præueniendo, tum etiam si quid mali acciderit, remedium adhibendo. *Par. 4. c. 10. §. 5. & p. 6. c. 1. §. 1. & p. 10. §. 9. & in proœm. decla.*

23. * Efficiat, vt sibi, vel alijs ab ipso deputatis statis temporibus ratio conscientiæ reddatur, iuxta modum, qui in officio Prouincialis præscribitur, & instructionem, ad reddendam conscientiæ rationem, à Professis quidem, & Coadiutoribus formatis semel in anno, ab alijs verò bis: & aliquos præterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant, nisi Prouincialis tunc adsit. ** In ex. c. 4. §. 36. 38. & 41. & p. 6. c. 1. §. 4.*

24. Meminerit, vt Scholastici, si qui erunt, & Coadiutores non formati, bis singulis annis circa festa Circumcisionis Domini nostri & Apostolorum Petri & Pauli vota sua renouent, præmissis ijs, quæ fieri solent. *Part. 4. c. 4. §. 5. & p. 5. cap. 4. §. 6. & can. 14. cong. 2.*

25. Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem nostris vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri instituti bene teneat, in qua agatur de obseruatione Constitutionum, & regularum, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione, & alijs virtutibus, præsertim de obedientia, tametsi exhortationis loco, spiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi potest. *Part. 3. c. 1. §. 28.*

26. Crebrò, & magna charitatis significatione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multò etiam magis animæ, paterno affectu prospiciat. Si quem verò intelligat aliqua tentatione pulsari, præsertim graui, eius peculiarem curam & solicitudinem non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat; nec remedium longius differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

27. In correctionibus, & pœnitentijs iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis vniuersalis, & particularis earum ad gloriam Dei. *Part. 3. c. 1. §. 15.*

28. Nisi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictauerit, illud in correctionibus obseruet, vt ij, qui peccant, primo in charitate, & dulcedine admoneantur: secundo in charitate quidem, sed eo tamen modo, vt eis confusio, & rubor inijciatur: tertio amori, ea quæ timorem incutiant, si opus erit, adijciantur. *Part. 3. c. 1. lit. N.*

29. De publicis defectibus publica debet esse pœnitentia, ijs tantum, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis. *Par. 3. c. 1. lit. N.*

30. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, vt ostiatim petat eleemosynam, aut vt inseruiat hospitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Christianam ve doctrinam doceat, prout

magis in Domino expedire videbitur, habita ratione ædificationis, & spiritualis vtilitatis nostrorum.

In ex. c. 3. lit. O. 31. Delegare poterit Confessario, vel alijs vices suas, vt eas pœnitentias approbent, vel improbent, quas ad maiorem sui spiritus profectum assumere quisque volet. Et, vt nostris qui Sacerdotes non sunt, facultatem dare possint frequentius quam octauo quoque die communicandi, quos ea ratione magis in spiritu iuuari in Domino iudicauerint.

In 1 cong. ... 17 ... ex. c. 3. 6. 32. In danda facultate ieiunandi, sicut & in alijs pœnitentijs concedendis videat, ne mensuram rectæ rationis excedat; detque operam, vt omnes intelligant, ad singularitatem non pertinere, si quis ieiunet alijs non ieiunantibus, dummodo ordinaria consuetudo ieiunandi, quæ iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.

Part. 3. c. 1. § 18. 33. Vnio, & conformitas mutua diligentissimè curanda est, * nec ferenda inter vllos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: si quid autem huiusmodi accideret, curet, vt statim cum satisfactione debita in gratiam inuicem redeant.

* Ibid lit. P.

Par. 3. c. 1. § 19. 34. Tam ipse, quam omnes alij Sacerdotes, qui ei videbuntur, iuxta Constitutiones, aliquando intra annum officium, vel officia eorum, qui domi inseruiunt, ad tempus aliquod obibunt.

4 in ex. c. p. 6 & par. 3 c. 1. lit. B. 35. * Videat scripta, & literas omnes, quæ scribuntur ad domesticos, & quas ipsi alijs scribunt, aut aliquem virum fidelem, & qui donum discretionis habeat, domi constituat, qui eas lectas reddat aut non reddat, prout in Domino magis expedire iudicabit, sibique referat si quid inuenerit, quod tanti momenti sit, vt de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ alia ratione offendere possint, neminem scribere permittat: nec sigillum quemquam habere sinat sine Prouincialis facultate.

Par. 3. c. 1. § 14 & lit. M. 36. Non sint domi arma, nec instrumenta musica, nec libri lasciui, aut vani, nec nouæ vllæ recreationes introducantur.

*De auxilio animarum.*

In ex. c. 1. §. 2. & par. 4. in procem. CAP. IV. 37. MEminerit hoc pertinere ad scopum totius Societatis, vt ad animarum salutem, & perfectionem cum diuina gratia promouendam incumbat, & nostri instituti puritatem in domibus professis præcipue elucescere debere, quæ non tam circa media ad hunc finem præparanda, (quemadmodum Collegia) quàm circa finem ipsum, & vsum mediorum ad eum conferentium versantur.

38. Videat,

38. Videat, an nostri zelum habeant animarum, & an strenuè, & diligenter earum salutem procurent, vt ij solent, quos sanctus Dei amor impellit, nec solum immoderatos pro ratione virium labores suscipi non sinat, sed multo etiam minus in proximis iuuandis negligentiam toleret.

39. * Proponatur populo assiduè in Ecclesia verbum Dei in prædicationibus, & sacræ Scripturæ vel doctrinæ Christianæ lectionibus, quod etiam in alijs Ecclesijs, plateis, & locis præstari potest, quando ad maiorem Dei gloriam conferre videbitur: nominatim verò puerorum, ac rudium personarum in Christianismo institutionem, tanquam proprium nostræ vocationis ministerium, valde commendatam habeat *: intelligatque Christianam doctrinam canendo doceri posse, vbi ad maiorem ædificationem id fore obseruabitur: Modus autem siue id canendo, siue secus fiat, pro locorum ratione ad ædificationem & maiorem vtilitatem exigatur.

** Par. 4. c. 2. §. 3. & 6. & p. 7. c. 4. § 6 & 7. & can. 21. cong. 1 & 20. cong. 2.*

** Can. 14. cong. 2.*

40. Procuret diligenter, ne desint designati Confessarij, qui domi in administrationem sacramenti, confessionis & communionis cum fructu exerceantur: quique extra domum ęgrotorum confessiones audire, morientibus opē ferre, & eos, qui in carceribus, & hospitalibus inueniuntur, visitare, & consolari possint, & reliquis pietatis operibus, quæ in litteris Apostolicis instituti nostri, & constitutionibus proponuntur, incumbere: sed hæc omnia ipse iuxta ordinem à Prouinciali pręscriptū exequatur, qui pro ratione loci, & copia nostrorū metietur, quantum in huiusmodi rebus operæ sit ponendum.

*Par. 4. c. 8. § 4 & p. 7. c. 4. § 5. & 9 & in bulla nostri instit. Pau 3. & Iul. 3.*

41. Curet, vt nostri in spiritualibus exercitijs tradendis accuratè exerceantur, postquam ea in se fuerint experti, nullus tamen deberet ea tradere, nisi prudentia, ac rerum spiritualium vsu satis probatus esset.

*Par. 4 c. 3. § 5. & p. 7. c 4. § 8.*

42. Si operariorum copia suppetet, poterit suos mittere ad alia loca vicina, habito consensu Prouincialis, vt similibus operibus charitatis functi, domum constituto tempore redeant.

43. Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abesse, sed semper domi, aut in Ecclesia aliqui maneant, qui occurrentibus necessitatibus proximorum satisfacere possint.

44. Cum quis prædicationi, lectioni sacræ, aut confessionibus audiendis vacat, prouideat, ne studij tempus, aliave necessaria illi desint.

45. Si quis ad sacros ordines promouendus, aut in confessarium, vel concionatorem esse eligendus videbitur, Prouincialem admoneat.

*Par. 4. c. 1. § 2. & p. 7. c. 4. § 5. & 6.*

46. Si

46. Si quem ex ijs, qui in Ecclesia nostra assiduè ad sacramenta accedunt, intelligeret vitæ suæ exemplo alios offendere, quantum in ipso est, remedium per confessarium, vel aliquem alium conuenienti ratione adhibere curet.

*Par. 6. c. 8. §. 5.* 47. Non permittat, vt nostri curam mulierum religiosarum, & aliarum quarumcunque suscipiant, vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant; quamuis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut semel vnius Monasterij confessiones speciales ob causas audire, quod tamen non fiet, nisi postulent ij, qui eis præsunt.

*Par. 9. c. 6. §. 3.* 48. Etsi proprium Præpositi officium est, domum sibi commissam diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deesse debet: si quando tamen per officij sui occupationes licebit, & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis ministeria exercere poterit, ac debebit.

## *De ordine domestico.*

CAP. V. 49. QVotidie post orationem matutinam fiat sacrum, cui intersint omnes, qui sacerdotes non sunt: nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad sacrum audiendum concessum sit.

50. Tempore orationi, & examini assignato, sit aliquis, qui obseruet, num omnes ijs vacent, quod & Minister ipse aliquando faciat, & Præpositus huic rei diligenter inuigilet.

*Part. 3. c. 1. §. 16. & part. 4. c. 11. §. 7.* 51. Syndicum domi constituat, vbi Ministri aut Subministri opera ad id non vteretur, cuius officium erit obseruare in omnibus quod ad honestatem, & decentiam externam pertinet, Ecclesiam, & domum, in locis publicis perlustrando, & si quid, quod non conueniat, annotauerit, Superiori referendo.

52. A posteriore prandij signo ad cœnam, octo vt minimum horæ intersint; aliquid verò amplius vsque ad refectiunculam vespertinam diebus Veneris & ieiuniorum, iuxta morem regionis, * à tempore autem, quo se nostri cubitum receperunt vsque ad signum, quo excitantur, septem.

** Part. 3. c. 2. lit. 1.*

*Can. 6. cong. 1.* 53. Benedictio, & gratiarum actio in refectorio iuxta vsum breuiarij Romani in prima mensa fiant; in secunda verò, & priuata, retineri possunt antiqua benedictio, & gratiarum actio, quæ à singulis submisse, & stando fieri debent.

*Can. 30. cong. 1.* 54. In mensa, Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos;

promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, vllus ordo constituatur.

55. Si de aliqua causa Præpositus primæ mensæ adesse non poterit, curet, vt Minister adsit.

56. A prandio & à cœna hora vna: diebus autem Veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiosè impendatur, idque in vno loco, si commodè fieri poterit; sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari, sine aliqua conuenienti relaxatione, sinat. Pa. 3. c. 2. lit. D.

57. Conferentiæ casuum conscientiæ bis singulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commodè poterunt, interesse debent; præside docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentius explicare, ac definire possit.

*De ijs quæ pertinent ad res temporales.*

Cap. VI. 58. Magno, & constanti animo speret à diuina bonitate suæ Domui subsidia temporalia adijcienda, si & nostri ad quærendum Dei regnum sibi, & proximis serio incumbant, & ipse ratione indigentiæ, instituti nostri integritatem violari numquam permittat.

59. Habeat procuratorem qui eleemosynas petat, cui alios ad eam rem substituere poterit, si necessarium iudicabit, ita tamen, vt quam paucissimi in mendicando occupentur. Pa. 6. c. 5. 2. 10.

60. Singulis mensibus à Procuratore rationem accepti, & expensi præsente Ministro exigat, vt totius Domus administrationis ratio ipsi constet, eamq; reddere possit cui, & quando per Superiorẽ constituetur: caueat autem, ne Domus alieno ære grauetur. P. 4. c. 2. §. 5. & p. 9. c. 3. §. 4. & li. C.

61. In ijs, quæ ad rationem victus & aliarum rerum vitæ necessariarum, aut conuenientium spectant, quamuis curandum est, vt communis illa sit, & valetudini nostrorum accommodata: habenda tamen semper est ratio humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ædificationis in Domino. Pa. 6. c. 2. §. vlt. & lit. N.

62. Vt curare debet, ne ij, qui in vinea Domini magno cum proximorum fructu se exercent, necessario subsidio priuati maiora bona relinquere cogantur, neve morbo aut ætate debiles ministerio fraternæ charitatis destituantur; ita ijs, qui in neutra ratione aliorum indigent opera, adiutores assignare non debet.

63. Ægrotorum verò cura habeatur magna, & obseruetur diligenter tam in victus ratione, quã in cęteris quod medicus præscripserit. Pa. 3 c. 2. lit. G.

64. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem vsum accipiatur, ac dispensetur.

** In ex. c. 1. §. 4. & p. 4. c. 2 lit F. & p 6. c. 2. §. 3. * Pa. 6. c. 2. lit. E.*

65. * Caueat, ne Domus ipsa, aliquisve Professorum, aut Coadiutorum redditibus Collegiorum, præterquā in rebus minimis vtatur.

66. * Si quid stabile donatum, legatumve Domui fuerit, Prouincialem admoneat, vt quam primum vendatur, & precium in vsus necessarios iuxta illius iudicium expendatur: temporis tamen opportunitas ad vendendum non est excludenda.

*Can 26. cong. 2.*

67. Lites forenses fugiat, nec vllam inconsulto Prouinciali intentet, nec intentæ respondeat, nisi cogatur.

*P. 3 c. 1. §. 7 & 5. & can. 8. con. 2.*

68. Si bona alicuius ex nostris distribuenda essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti, & expensæ extraordinariæ faciendæ, aut si bona offerantur cum aliqua obligatione, rem ad Prouincialem deferat.

69. Depositum pecuniæ nullum prorsus admittat; aliarum verò rerum non nisi cautissimè, dummodo sint eorum, quibus multum debeamus, aut aliqui id officij sine magna offensione, denegari non possit.

*P. 6. c 3. §. 8.*

70. Neminem ex nostris in causis ciuilibus, ne dum criminalibus examinari (nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat absque licentia, quam minimè dabit, nisi in causis, quæ ad religionem Catholicam pertinēt, aut alioqui piæ sint, & ita vni faueāt, vt non in alterius detrimentum cedant.

*Pa. 6. c. 2. §. 14. * Ibid. lit. K.*

71. Nullum domi iumentum equitandi causa ad vsum alicuius de ipsa Societate ordinariè habeatur, * nisi aut propter continenter infirmam alicuius valetudinem, aut propter publica negotia, id necessarium, & vrgens iudicaret Generalis.

*De communicatione cum externis, & gratitudine erga fundatores, & benefactores.*

CAP. VII. 72. MVlieres inuisere, aut ad eas scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus, nostros non sinat, nec hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis, & prudentibus.

*Par. 3 c. 1. §.* 73. Non permittat fœminas domum nostram ingredi.

*14. p. 6. c. 2 § 9.*

74. Curet ne primarios viros inuisere nostri consuescant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur, vel quando intima beneuolentia in Domino coniuncti essent.

*Par. 6. c 2. §. 9.*

75. Non sinat offerri munuscula, quæ magnatibus ad res maiores obtinendas offerri solent.

76. Non

76. Non permittat, vt nostri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum ægrotant, visitentur, nisi causa non leuis momenti ad id concedendum moueret, quam eandem esse oportebit, si quando externus aliquis, ad mensam præsertim refectorij, inuitandus videretur.

77. Amicos conseruare, & eos, qui male erga nos affecti sunt, præcipuè si homines sint non vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus conuenientibus in amicitiam reuocare, aut saltem, ne aduersarij sint, efficere studeat. Par.1. c.3.

78. Obseruet, quæ erga fundatores, & benefactores, tam viuos, quam mortuos obseruanda sunt, eisque gratitudinem exhibeat, & si quam aliam obligationem Domus habet, ei satis fieri curet. Part.4. c.

*De ijs, qui admitti petunt, ad domum diuertunt, aut foras mittuntur.*

CAP. VIII. 79. IN Societatem neminem admittat, nisi à Generali, vel Prouinciali id ipsi committatur, * sed de ijs, qui admitti petunt, ad Prouincialem referat, vel scribat, quales illi sint, & quibus donis Dei præditi. * Par. 1.c.1. §.2.

80. Si is, qui admitti petit, ad institutum Societatis valde idoneus videbitur, & necessitas vrgeret, poterit eum tanquam hospitem domi recipere, donec responsum à Prouinciali accipiat, vel ad eundem mittere, si expedire iudicauerit. Par.1.c. 1. lit. A.

81. Recedentem sine licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimissum non admittat, sed si expedire videatur, ad Prouincialem de eo scribat, & eius ordinationem expectet, illo domi vt hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento. Pa 2. c. 4. § 1. & lit. A.

82. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per domum transeuntes, eosque amanter hospitio excipiat, * ac meminerit, se aliquo viatico, aut eleemosyna eos, si indigerent, iuuare posse: curet item diligenter dirigere, ac iuuare expeditiones hospitum, qui negotiorum causa domi versantur. Part.4. c.2. lit. F. & p 10 c.2. lit. D.

83. Externi ne accipiantur hospitio, vt domi pernoctent, nisi ij sint, quibus multum debeatur, aut id officij sine magna offensione prætermitti non possit: qua in re habeatur præcipua ratio religiosorum, cum necessitatis causa ad nos diuertunt.

84. Cum quis domo egredietur, det ei socium conuenientem: si quando autem aliquis solus foras mittitur, is sit, cui meritò possit confidere. Par.3.c.1.§. 3.

85. Neminem ex sua Domo in alium locum mittat sine literis patentibus.

Pa.7.c.2 li M pa.3.c.2. lit.G. 86. Si quis experimento comperiretur ferre non posse domus cælum, & malè habere continenter cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Prouincialem admoneat, an aliò mitti debeat.

87. Profecturi ad alia loca eâ, quam *sottanam* vocant, & alijs interioribus indumentis, quibus vtuntur, ptiuari non debent, nisi fortè ratio temporis, alioqui charitas suaderet melioribus esse commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter necessaria erunt, magna charitatis signficatione ab eo loco, vnde mittuntur, subministrentur, sumptibus tamen eorum, quorum erit expensas itineris soluere.

---

## REGVLÆ RECTORIS.

*De ijs, quæ ad eius personam, & totius Collegij administrationem pertinent.*

Par 4 c. 10. § 4.& 5. CAP. I. 1. OMni studio enitatur, vt talis sit, qualis optatur in nostris Constitutionibus, primamque officij sui curam in eo positam esse intelligat, vt oratione, & sanctis desiderijs totum Collegium velut humeris suis sustineat.

2. Communes Regulas ipse seruet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum vsu, quantum fieri potest, vitet, & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam, alios ne offendat.

P.4.c.10 §. 10. & can. 15 cong. 2. 3. Intra annum postquam officium Rectoris prima vice inierit, quadraginta diebus Christianam doctrinam eo modo, quo in secunda congregatione expositum est, legat, aut doceat; sed ex causa per alium id minus cum facultate Prouincialis obire poterit.

4. Consuetudines receptas, & à Generali vel Prouinciali approbatas seruet, ac seruari faciat: Si tamen aliqua alia à præcedenti Rectore inducta fuerit, non mutet inconsulto Prouinciali: ipse vero nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

P 4. c. 10. §. 5. & 6. 5. Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Prouincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique regulas tradat, aliquando visitet, & prout in Domino conuenire iudicabit, vel in eisdem ministerijs detineat, vel ab eis remoueat.

* Ibid. lit E * Quia verò officia quædam, vt bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inuenientur, non facilè mutari debebunt.

6. Vt

6. Vt prospicere officialibus de subsidio, si necessarium id fuerit, ne labore grauentur, debebit, ita, cum tempus vacuum illis fuerit, vt vtiliter illud impendant diuino seruitio curabit. P.4.c.10.§.6.

7. Etsi potestatem habeat designandi Confessarios suis subditis, ordinarium tamen Confessarium Collegij non constituet sine approbatione Prouincialis. Par 3 c.1.§.11.

8. Quamuis in virtute obedientiæ iubere possit, non nisi rarissime, & ex graui, ac vrgenti causa id faciat. Pa.6.c.5.

9. Ordinarias tantum pœnitentias imponat, quales sunt parua mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam suam subtractio cibi vsque ad panem & aquam, si res postulauerit, disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia & domestica.

10. Sicut ad rectorem pertinet dispensare in Regulis, Constitutionibus, & Decretis congregationum generalium cum particularibus quando necesse erit; sic & cum dispensauerit in rebus maioris momenti, quæ videntur vrgere, & in quibus sine graui incommodo Prouincialis responsum expectari non potest, cum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione, ac eius causa admonere. Par.4 c.10. lit.B.& p 9. c.3.§.3.

11. Nomina eorum, qui vota solemnia, vel simplicia emiserunt, in libro ad hoc parato notentur: in Professis quidem, & Coadiutoribus formatis cum nominibus admittentium: in reliquis verò post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore iuxta Constitutiones. Par.5.c.3.§.4.& c.4.§.4.

12. Quas habeat facultates, partim ex ijs, quæ ipsi in his Regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, vt in ijs, quas non habet, sciat ad Superiorem recurrere.

*De ijs, quæ Rectorem ad bonam administrationem iuuabunt.*

CAP. II. 13. Sit solicitus, ne Minister, & reliqui Officiales suo desint officio, omissis alijs, quæ possent impedire.

14. Singulis vel saltem alternis hebdomadis cum suis consultoribus conueniat, (nisi pro re nata aliquid extraordinariè esset consultandum) deque rebus maioris momenti, quæ pro temporum, & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quanquam ijs auditis, penes ipsum erit de singulis statuendi facultas. Par.4.c.10. §.7.& p 9. c.6.§.14.

15. Consultores aliosque omnes, cum ei aliquid proponunt, libenter, ac benignè excipiat, & præcipuè * eum cui Monitoris officium commissum est, efficiatque, vt in suo Collegio, quæ in formula scri- * Par.9.c.4. §.4.

bendi præscripta sunt, accuratè seruentur.

16. Habeat librum, in quo scribantur visitationes Collegij à Generali approbatæ, in quo etiam scribantur ordinationes aliæ alicuius momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab ijs, quæ temporariæ sunt, separatim notentur: alia verò quę Visitator & Prouincialis præscripserint, in alio libro scribantur.

17. Institutum Societatis cognoscat ex lectione litterarum Apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum generalium Congregationum; magis autem particularia ex lectione Regularum, tam communium, quam officii sui, & aliorum, qui sub ipsius cura sunt, ac Prouincialis, & compendij facultatum Societatis, atque ex obseruatione consuetudinum receptarum, ac demum ex recursu ad Superiorem in ijs, de quibus dubitabit.

18. Libellum habeat, in quem referat quæcumque sibi ad bonum Collegij statum subinde occurrent, ne memoria excidant, præcipue illa, de quibus ad Generalem, vel Prouincialem scribendum putat.

P 1.c.3 § 2. & p. 7.c.1. li. M. & c.4. § 3. & 4. & p. to lit. B. 19. Pro occurrentibus necessitatibus communibus & priuatis, Missas & orationes suorum, moderatè tamen, iuxta consuetudinem Societatis applicare poterit.

*De cura nostrorum in Spiritu.*

P.4.c.10. §. 2. CAP. III. 20. CVret, vt cuique in suo officio integram obedientiam Collegiales præstent, & officiales Ministro, & sibi etiam omnes: studeatque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipse suis Superioribus, quos Christi loco habet, præstare debet.

Par 4.c. 10. § 5. & p 6.c. 1. § 1. & p. 10 § 9. & in proœm. decr. 21. Det operam, vt Constitutiones, & Regulæ obseruentur; omnibus Collegialibus cum omni solicitudine inuigilet, eosdemque ab ijs, quæ nocere possint, domi & foris defendat, cum præueniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita vt in virtutibus, & literis proficiant.

In ex.c. 4. §. 35 48. & 41 & pa. 6.c.1. §. 2. 22. Efficiat, vt sibi, vel alijs ab ipso deputatis statis temporibus ratio conscientiæ reddatur à suis, iuxta modum, qui in officio Prouincialis præscribitur, & instructionem ad reddendam conscientiæ rationem: aliquos præterea maturiores Patres assignet, qui eorum confessiones generales excipiant, nisi Prouincialis tunc adsit.

23. Meminerit, vt Scholastici, & Coadiutores non formati bis singulis annis circa festa circumcisionis Domini nostri, & Apostolorum Petri & Pauli, vota sua renouent, præmissis ijs, quæ fieri solent.

24. Sin-

14. Singulis, vel alternis diebus veneris exhortationem nostris vel ipse faciat, vel aliquis alius, qui rationem nostri instituti bene teneat, in qua agatur de obseruatione Constitutionum & Regularũ, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione, & alijs virtutibus, prȩsertim de obedientia, tametsi exhortationis loco spiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi potest.

*P. 4 c 4 § 5. & p 5 c. 4. §. 6 & can. 14. cong. 2 p. 3. c 1 §. 21.*

15. Crebrò, & magna charitatis significatione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus, non corporis tantum, sed multo etiam magis animæ, paterno affectu prospiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, præsertim graui, eius peculiarem curam, & solicitudinem, non solum per se, sed etiam si necesse fuerit, per alios gerat: nec remedium longius differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

16. In correctionibus, & pœnitentijs iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis vniuersalis, & particularis earum ad gloriam Dei.

*P. 3. c 1. §. 15*

17. Nisi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictauerit, illud in correctionibus obseruet, vt ij, qui peccant primo in charitate, & dulcedine admoneantur: secundò in charitate quidem, sed eo tamen modo, vt eis confusio & rubor inijciatur: tertiò amori ea; quæ timorem incutiant, si opus erit, adiiciat.

*Par. 3. c. 1 li. N.*

18. De publicis defectibus publica debet esse pœnitentia, ijs tantum, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

*P. 3. c. 1. li. N.*

19. Poterit mittere interdum aliquem ex suis, vt ostiatim petat eleemosynam, aut vt inseruiat hospitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Christianamve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur: habita ratione ædificationis, & spiritualis vtilitatis nostrorum.

30. Delegare poterit Confessario, vel aliis vices suas, vt eas pœnitentias approbent, vel improbent, quas, ad maiorem sui spiritus profectum assumere quisque volet.

*In ex. c. 2 B C.*

31. In danda facultate ieiunandi, sicut & in aliis pœnitentiis concedendis, videat ne mensuram rectæ rationis excedat; detq; operam, vt omnes intelligant ad singularitatem non pertinere, si quis ieiunet aliis non ieiunantibus, dummodo ordinaria consuetudo ieiunandi, quæ iuxta Constitutiones non sit, non introducatur.

*In 1. con. tit. 6. dec. 17. & in ex. c. 1. §. 6.*

32. Vnio, & conformitas mutua diligentissimè curanda est, * nec ferenda inter vllos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: si quid autem huiusmodi accideret, curet vt statim cum satisfactione debita in gratiam inuicem redeant.

*Par. 3. c. 1. §. 18. * Ibid. lit. P. Pa. 3. c. 1. §. 19.*

33. Tam

33. Tam ipſe, quam omnes alij Sacerdotes, qui ei videbuntur, iuxta Constitutiones, aliquando intra annum, officium vel officia eorũ, qui domi inſeruiunt, ad tempus aliquod obibunt.

*Part. 4. c. 4. lit. B.*
34. Non permittat noſtros Scholaſticos frequentius, quam octauo quoque die communicare, niſi particulares ob cauſas, habita magis ratione neceſſitatis quam deuotionis: diebus tamen ſolemnibus in hac re diſpenſare poterit. Coadiutoribus verò, & ijs, qui literis non dant operam, longè facilius concedi poteſt, vt etiam intra hebdomadam communicent, & Præfecto rerum ſpiritualium aut Confeſſario delegati, vt id concedat ijs, quos ea ratione magis in ſpiritu iuuari in Domino iudicabit.

*In ex: c. 4 §. 6 & p. 3. c. 1. lit. B.*
35. Videat ſcripta, & literas omnes, quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi alijs ſcribunt, aut aliquem virum fidelem, & qui donum diſcretionis habeat, domi conſtituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire iudicabit, ſibique referat, ſi quid inuenerit, quod tanti momenti ſit, vt de eo Superior monendus videatur: res autem vanas, aut quæ alia ratione offendere poſſint, neminem ſcribere permittat: nec ſigillum quemquam habere ſinat ſine Prouincialis facultate.

*Par. 3. c. 1. §. 14 & lit. M.*
36. Non ſint in Collegio arma nec inſtrumenta muſica, nec libri laſciui, aut vani; nec nouæ vllæ recreationes introducantur.

## *De litterarum ſtudijs.*

*Pa. 4. c. 5. §. 2. & c. 13. §. 4.*
CAP. IV. 37. Neminem ad inchoanda ſtudia admittat, nec eos, qui ad illa ex Prouincialis commiſſione admiſſi fuerint, ad aliam facultatem promoueat, abſque eiuſdem Prouincialis approbatione, cui poſt maturam conſiderationem, & examen, de vnoquoque ſuo tempore ſignificabit, quid ſentiat.

*Par. 4. c. P. §. 1.* — ** Par. 4. c. 1 §. 14.*
38. Impedimenta remoueat, quæ à ſtudijs animos Scholaſticorum auocant, qualia ſunt nimiæ mortificationes, vel deuotiones, vel externæ occupationes. * Et circa illorum valetudinem peculiari cura animaduertat, vt & in laboribus mentis, modum ſeruent, & in ijs, quæ ad corpus pertinent, religioſa commoditate tractentur, vt diutius in ſtudijs perſeuerare, tam in litteris addiſcendis, quam in eiſdem exercendis ad Dei gloriam poſſint.

*p. 4 c. 6 §. 15* — ** P. 3. c. 1. §. 18. & lit. O. & p. 4 c. 5. §. 4. & p. 8 c. 1. § 8. lit. K.* — ** p. 4 c. 1. § 15.*
39. Videat, quomodo Profeſſores omnes ſuo munere fungantur, curetque diligenter à Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſoribus ea ſeruari circa opinionum diuerſitatem, quæ in * Conſtitutionibus, & ratione ſtudiorum præſcripta ſunt, * intelligat etiã per ſe, vel per alios, quo modo Scholaſtici in ſuis ſtudijs proficiant; quod ſi animad-

uerteret

uerteret aliquem in ijs inutiliter tempus terere, ad Prouincialem referat.

40. * Singulis hebdomadis dies vnus saltem à prandio Scholasticis ad quietem destinatus sit, in quo eos ad hortum, aut prædium Collegij, vel aliò exercitij corporis, vel recreandi animi gratia mittere poterit: In reliquis autem studiorum intermissionibus sequatur ordinem à Generali, vel Prouinciali constitutum. *Part. 4. c. 13. §. 5. & p. 6. c. 3. lit. D.*

41. Etsi præceptorem publicum in scholis instituere non potest absque Prouincialis facultate, ad tempus tamen necessitatis gratia id facere poterit. *Part. 4. c. 6. lit. F.*

42. In actibus promouendorum ad gradus literarios (ad quos nostri sine facultate Generalis promoueri non possunt) si qua in re alicuius momenti dispensatione opus esset, Prouincialem admoneat. *Par. 4. c. 6. §. 17. & c. 15. §. 4.*

43. Constitutiones, siue regulæ, quæ ad Scholasticos Societatis pertinent, publice in refectorio bis, aut ter singulis annis legantur.

44. Sub finem studiorum cuiusque suarum esse partium Rector intelligat, auditis consultoribus. Prouincialem de vniuscuiusque talento admonere & quantum singuli profecerint, referre, * & num aliqui ad sacros ordines promouendi sint, * aut in Confessarios, aut Concionatores, aut Lectores eligendi, proponere. *Ibid. c. 6. lit. C. & c. 8. §. 2.* * *Par. 7. c. 4. §. 5.*

## *De ordine domestico.*

CAP. V. 45. QVotidie post orationem matutinam fiat sacrum, cui intersint omnes, qui sacerdotes non sunt, nisi aliquibus propter peculiares causas aliud tempus ad sacrum audiendum concessum sit.

46. Quando nostri ad sacram communionem accessuri sunt, præsertim diebus Dominicis, curet, vt in Ecclesia (si commodè fieri potest) id faciant, separati tamen ab externis, quantum locus feret. *In ex. 4. §. 25. & p. 2. c. 1. §. 11.*

47. Tempore orationi, & reliquis exercitijs assignato, sit aliquis qui obseruet, num omnes in ijs vacent, quod etiam Ministri & ipsemet Rector aliquando faciat.

48. Syndicum domi constituat, vbi Ministri, aut Subministri opera ad id non vteretur, cuius officium erit obseruare in omnibus, quod ad honestatem, & decentiam externam pertinet, Ecclesiam & domum in locis publicis perlustrando, & si quid quod non conueniat, annotauerit, Superiori referendo. * Præter hunc alios particulares Syndicos in classibus singulis habeat, qui quantum fieri poterit, ex prudentioribus, & maturioribus deligantur. *Part. 3. c. 1. §. 16. & p. 4. c. 10. §. 7.* * *Ibid. c. 7. §. 7.*

Par. 3. c. 2. §. 4. 49. Omnes, præter illos, quos ipse iudicauerit excipiendos, horæ quadrantem ante prandium, vel cœnam corporis exercitationi tribuant.

50. A posteriore prandij signo ad cœnam, octo vt minimum horæ intersint: aliquid vero amplius vsque ad refectiunculam vespertinam diebus veneris, & ieiuniorum, iuxta morem regionis, * à tempore autem: quo se nostri cubitum receperunt vsque ad signum, quo excitantur, septem.

Part. 3. c. 8 lit. E.

Can. 6. cong. 8. 51. Benedictio, & gratiarum actio in refectorio iuxta vsum breuiarij Romani in prima mensa fiant: in secunda vero, & priuata, retineri possunt antiqua benedictio & gratiarum actio, quæ à singulis submisse & stando fieri debent.

Can. 3 c. 1. cong. 1. 52. In mensa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, vllus ordo constituatur.

Par. 3. c. 2. §. 5. & c. 1. & in ex. c. 4. 2 53. Si aliqua de causa Rector primæ mensæ adesse non poterit, curet, vt Minister adsit.

54. Dominicis diebus, & festis, si commode fieri potest, & alijs etiam, si Superiori videatur, sint aliqui pro multitudine Scholarium à Superiore delecti, qui inter cœnandum pro lectione concionem habeant, quibus conueniens aliquod tempus eodem die ad se parandum pro Superioris arbitrio dandum erit.

Par. 3. c. 2. lit. D. 55. A prandio & à cœna hora vna: diebus autem veneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiosè impendatur, idque in vno loco, si commode fieri poterit: sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari sine aliqua conuenienti relaxatione sinat.

Par. 3. c. 1. §. 21. 56. Scholastici omnes, vbi aliqua fuerit eorum copia; pro more Societatis (nisi quis eximendus videretur) diebus saltem Dominicis ad finem recreationis post prandium in tonis, seu ratione concionandi exerceantur, de ijs crebro tractantes, quæ ad sui abnegationem, & in virtutibus profectum & fraternam charitatem spectant.

### *De ijs, quæ pertinent ad res temporales.*

Par. 4 c. 2. §. 5. & p. 9. c 1 § 4. & lit. C. CAP. VI. 57. Singulis mensibus à Procuratore rationem accepti, & expensi præsente Ministro exigat, vt totius domus administrationis ratio ipsi constet, eamque reddere possit, cui & quando per Superiorem constituetur: caueat autem, ne Collegium ære alieno grauetur.

58. In

58. In ijs, quæ ad victum, vestitum, & habitationem, & alia corpori necessaria pertinent, curet; vt quamuis sit, in quo probetur virtus, & sui ipsius abnegatio, non desit tamen, quo sustentetur natura, habita conuenienti ratione personarum in Domino. * Cum Scholasticis verò in ijs quæ ad vestitum attinent, magis quam cum ijs, qui probantur, exterioris decentiæ ratio habeatur. Part. 3. c. 2. §. 3. * 3. c. 2. lit. C.

59. Ægrotorum cura habeatur magna, & obseruetur diligenter tam in victus ratione, quam in cæteris, quod Medicus præscripserit. Part. 3. c. 2. lit. G.

60. Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem vsum accipiatur, ac dispensetur.

61. * Caueat, ne qua domus Professorum, aut aliquis eorum, vel Coadiutorum formatorum redditibus Collegij sui, præterquam in rebus minimis vtatur, nisi is eidem Collegio necessarius sit, aut conueniens, vt in eo commoretur. * In ex. c. 1. §. 4. & p. 4. c. 1 2. lit. F: & p. 6. c. 2. §. 3.

62. Lites forenses fugiat, nec vllam inconsulto Prouinciali intentet, nec intentæ respondeat, nisi cogatur. Can. 26. cong. 2.

63. Si bona alicuius ex nostris distribuenda essent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius momenti, & expensæ extraordinariæ faciendæ, aut si bona offerantur Collegio cum aliqua obligatione, rem ad Prouincialem deferat. Part. 3. c. 1. §. 7. & 9. & can. 3. cong. 1.

64. Depositum pecuniæ nullum prorsus admittat; aliarum verò rerum non nisi cautissimè, dummodo sint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officij sine magna offensione denegari non possit.

65. Neminem ex nostris in causis ciuilibus, ne dum criminalibus examinari (nisi qui ad peccatum obligare potest, compelleret) permittat absque licentia, quam minime dabit, nisi in causis, quæ ad religionem catholicam pertinent, aut alioqui piæ sint, & ita vni faueant, vt non in alterius detrimentum cedant. Part. 6. c. 3. §.

*De auxilio animarum, communicatione cum externis, & gratitudine erga fundatores, & benefactores.*

CAP. VII. 66. Det operam, vt à nostris ministeria Societatis, iuxta Prouincialis præscriptum, & cuiusque talentum exerceantur, non solum in nostra, sed etiam in alijs Ecclesijs, carceribus & alijs locis, quantum commode fieri poterit, * nominatimque ministerium doctrinæ Christianæ commendatum habeat. Part. 4. c. 8. §. 3. & p. 7. c. 4. §. 6. & 7. * can. 28. cong. 1. & can. 20. cong. 2. p. 4. c. 8. §. 5. &

67. Curet vt nostri in spiritualibus exercitijs tradendis accurate p. 4. c. 4. §. 8.

 exer-

exerceantur, poſtquam ea in ſe fuerint experti; nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentia, ac rerum ſpiritualium vſu ſatis probatus eſſet.

*Par. 6. c. 2. §. 5;* 68. Non permittat, vt noſtri curam mulierum religioſarum ſuſcipiant, & aliarum quarumcunque, vt ordinariè illarum confeſſiones audiant, vel ipſas regant: quamuis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, ſemel aut vnius Monaſterij confeſſiones ſpeciales ob cauſas audire, quod tamen non fiet, niſi poſtulent ij, qui eis præſunt.

*Par 9. c. 6. §. 1.* 69. Etſi proprium Rectoris officium eſt, Collegium ſibi commiſſum diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quicquam huic muneri deeſſe debet: ſi quando tamen per officij ſui occupationes licebit, & concionari, & confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit.

70. Mulieres inuiſere, aut ad eas ſcribere niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus, noſtros non ſinat, nec hoc quidem permittat, niſi viris valde probatis & prudentibus.

*Part. 3. c. 1. §. 14 p. 6. §. 9.* 71. Non permittat fœminas Collegium noſtrum ingredi.

72. Curet, ne primarios viros inuiſere noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur, vel quando intima beneuolentia in Domino coniuncti eſſent.

*Par. 6 c. 2. §. 9.* 73. Non ſinat offerri munuſcula, quæ magnatibus ad res maiores obtinendas offerri ſolent.

74. Non permittat, vt noſtri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum ægrotant, viſitentur, niſi cauſa non leuis momenti ad id concedendum moueret, quam eandem eſſe oportebit, ſi quando externus aliquis ad menſam, præſertim refectorij, inuitandus videretur.

*Par. 4 c. 10. lit. G. par. 9. lit. B.* 75. Amicos conſeruare, & eos, qui male erga nos affecti ſunt, præcipuè ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus & rationibus conuenientibus in amicitiam reuocare, vel ſaltem, ne aduerſarij ſint, efficere ſtudeat.

*Par. 4. c. 1.* 76. Obſeruet, quæ erga fundatores, & benefactores tam viuos quam mortuos obſeruanda ſunt, eiſque gratitudinem exhibeat: & alijs obligationibus, ſi quas Collegium habet, ſatisfieri curet.

### *De ijs, qui admitti petunt, ad Collegium diuertunt, aut foras mittuntur.*

*Par. 1. c. 1. §. 2. *Par. 1. c. 3. lit. A.* CAP. VIII. 77. IN Societatem neminem admittat, niſi à Generali, vel Prouinciali id ipſi committatur, * ſed de ijs,

ijs, qui admitti petunt, ad Prouincialem referat, vel scribat, quales illi sint, & quibus donis Dei prędititi.

78. Si is, qui admitti petit, ad institutum Societatis valde idoneus videbitur, & necessitas vrgeret, poterit eum tanquam hospitem domi recipere, donec responsum à Prouinciali accipiat, vel ad eundem mittere, si expedire iudicauerit.

79. Recedentem sine licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimissum non admittat, sed si expedire videretur, ad Prouincialem de eo scribat, & eius ordinationem expectet, illo domi vt hospite, vel in alio pio loco, si videbitur, detento. *Par. 1. c. 4. §. 1. & lit. A.*

80. Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium transeuntes, eosque amanter hospitio excipiat, * ac meminerit se aliquo viatico, aut eleemosyna eos, si indigerent, iuuare posse: curet item diligenter dirigere ac iuuare expeditiones hospitum qui negotiorum causa domi versantur. * *Par. 4 c. 1. lit. F & p. 6. c. 2. lit. D.*

81. Externi ne accipiantur hospitio, vt domi pernoctent, nisi ij sint, quibus multum debeatur, aut id officij sine magna offensione prætermitti non possit: qua in re habeatur præcipue ratio religiosorum, cùm necessitatis causa ad nos diuertunt.

82. Cum quis domo egredietur, det ei socium conuenientem; si quando autem aliquis solus foras mittitur, is sit, cui meritò possit confidere. *Par. 3. c. 1. §. 3.*

83. Neminem ex suo Collegio in alium locum mittat sine litteris patentibus.

84. Si quis experimento comperiretur ferre non posse Collegij cælum, & malè habere continenter cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Prouincialem admoneat, an aliò mitti debeat. *Par. 7. c. 2. lit. M par. 3. c. 2. lit. G.*

85. Profecturi ad alia loca, ea, quam *sottanam* vocant, & alijs interioribus indumentis, quibus vtuntur, priuari non debent, nisi fortè ratio temporis, aut alioqui charitas suaderet, melioribus esse commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter necessaria erunt, magna charitatis significatione ab eo loco, vnde mittuntur, subministrentur, sumptibus tamen eorum, quorum erit expensas itineris soluere *.

## REGVLÆ EXAMINATORIS.

*Quæ in Examinatore requirantur, & quid præstare debeat.*

Par. 1. c. 2. §. 4. CAP. I. 1. QVi examinat eos, qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum eiusdem Societatis, ac zelum boni progressus ipsius, vt nulla ratione dimoueri ab eo possit, quod magis in Domino conuenire iudicauerit.

Par. 1. c. 1. 2. Moderatus admodum sit in admittendo desiderio: nam vt par est solicitè cooperari vocationi diuinæ, vt augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Christi; ita diligenter curandum est, ne quis admittatur, nisi qui illis Dei donis præditus sit, quæ ad ipsius gloriam hoc institutum exigit.

Par. 1. c. 2. §. 3. * Ibid. c. 4. §. 2. * Eodem c. 4. lit. D. 3. Quando aliquis Societatem ingredi petit, primus ipse aget cum eo, vt intelligat quæ sint eius dotes, & vocatio: * si quis autem clare deprehenderetur ineptus ad institutum Societatis Superiori significet, & accepta ab eo facultate, illum consilio, & si quid aliud charitas suggerit, adiutum, statim dimittat: * alios vero ad eos mittat, qui à Superiore designati fuerint, vt cum illis colloquantur.

4. Postquam omnes designati, eum, qui admitti desiderat, allocuti fuerint, curet examinator, vt à Superiore vocentur, & referant, quid de eo sentiant: Superior autem, quid facto opus sit, constituet.

Par. 1. c. 4. lit. D. * Ibid. §. 1. & lit. G. 5. Si ille, qui ingredi cupit, nulli fuerit domi satis notus, intellecto eius nomine, & eorum, quibus cognitus est, extra domum inquiri poterit, cuiusmodi homo ille sit; iuuabit etiam ad hoc ipsum, si ad sacramenta in Ecclesia nostra frequenter accedat. * Quod si adhuc de eo dubitaretur, non parum conferet, si in spiritualibus exercitijs constituatur: quibus peractis, si res nondum constaret, intelligat à Superiore vtrum differendum responsum, aut omnino dimittendus sit.

*Breue examen, quo vti debet cum ijs qui ingredi petunt.*

In ex. c. 2. & p. 1. c. 3. CAP. II. 6. IN primis qui admitti vult, interrogetur decenter de quinque impedimentis essentialibus, prudenter tamen, vt ea impedimenta esse, quæ à Societate excludunt, ille non intelligat, ne verum occultandi occasionem accipiat.

7. Si

7. Si aliquod ex ijs impedimentis in quoquam detegeretur, non est quod vlterius procedatur, sed quoad fieri poterit, cum consolatione dimittatur; si tamen in eo dona aliqua Dei illustriora cernerentur, prius oporteret rem omnem cum Superiore conferre. *In ex. c. 2. §. 7.*

8. Si nullum tale impedimentum esset, vlterius interrogetur, an omnino decreuit seculum relinquere, quibus de causis, aut quomodo desideria hęc ei in mentem venerint, & quam dudum ea habuerit, an in hac animi sententia remissior aliquando factus fuerit, & quatenus. *In ex. c. 3. §. 13.*

9. A quo tempore deliberauerit Societatem ingredi, & quid ipsum impulerit, vt hoc potius quam aliud institutum amplecteretur. An à quoquam, præsertim è nostris, primùm ad id motus fuerit. Num deliberatum habeat animi propositum viuendi & moriendi in Domino in hac Societate. Et an fuerit in eam aliàs admissus, & quare sit egressus. *In ex. c. 3. §. 14.*

10. Num habeat æs alienum, aut alias obligationes. * Num morbum aliquem occultum, vel manifestum, & an hæreditarium, vel defectum in aliqua sui parte patiatur. *In ex. c. 3. §. 6.* ** Ibid. §. 1.*

11. Interrogetur de ętate, patria, * parentibus, & eorum conditione, an rerum temporalium penuria premantur, & an ea causa, vel quacunque alia necessario ipsius opera indigeant, aut probabiliter indigere possint. *In ex. c. 1. §. 1.* ** Ibid. §. 2.*

12. An sit ex legitimo matrimonio, num à progenitoribus iam olim Christianis, an à modernis, vel hæreticis descendat. An aliquis ex eius progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem errorem contra nostram Christianam, & Catholicam religionem. *In ex. c. 19. §. 2.*

13. Si literis præditus est, interrogetur, vbi eis operam dederit, quantum profecerit: Ingenij autem & iudicij specimen ex sermone, & alijs conijcere licebit. *In ex. c. 2. §. 1.*

14. Si Coadiutor est futurus, petatur de ætate, ac viribus; an omnino sorte Marthę contentus futurus sit, & num aliquam artẽ nouerit; & obseruetur, an ad virtutem, & deuotionem propensus sit. *Par. 1. c. 2. §. 2. & 2.*

15. Tandem curandum est, vt qui admitti desiderant, summam nostri instituti, probationesque, ac difficultates, quæ in eo sunt, bene intelligant: De ijs verò, quæ hic interrogantur, aut de instituto explicanda dicuntur, plura, aut pauciora iuxta personarum qualitatem, & cognitionem inquiri, & explicari poterunt. *Par. 1. c. 4. §. 5.*

16. Reliqua, quæ ad officium Examinatoris pertinent, si quando cum ijs qui in prima probatione sunt, vel alijs nostris illi obeunda erunt, petat ex officio Magistri Nouitiorum.

17. Cæteri

17. Cæteri verò à Superiore designati, vt cum illis collocentur, qui admitti petunt, ijsdem ferè interrogationibus vtentur, exceptis ijs, quæ interrogato ruborem inijcere possunt.

---

# REGVLÆ MAGISTRI NOVITIORVM.

*De ijs, quæ ad eius personam, & instructionem pertinent.*

1. Rem esse magni momenti sibi commissam intelligat, quandoquidem ex prima Nouitiorum institutione, pendet maiori ex parte eorundem profectus & spes nostræ Societatis in Domino, curetque vt in dies per studium propriæ perfectionis, instrumentum aptius ad eos iuuandos reddatur.

Par. 3. c. 1. § 12. 2. Amabilem se præstet, & vitæ integritate, ac discretione ita se gerat, vt omnes, qui in probatione sunt, ad eum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique seipsos confidenter aperiant, & ab eo consolationem & auxilium in omnibus in Domino sperent.

3. In domibus probationis separatis præter has regulas officij sui, habeat etiam regulas, & omnes facultates aliorum Rectorum, exceptis ijs, quæ Nouitiatui non conueniunt.

4. Habeat socium Sacerdotem fidelem, & in rebus spiritualibus exercitatum, à Prouinciali designatum, qui in ijs, quæ in Nouitiatu agenda sunt, sit eius Coadiutor. Habeat etiam aliquem fratrem ex antiquioribus in virtute probatum, & prudentem, qui iuxta ordinem obedientiæ, significet vnicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi sint, & manu ducat illos, cum opus est. ad illa facienda.

5. In domo probationis coniuncta domui Professorum vel Collegio, habitatione tamen distincta, Magister Nouitiorum erit subordinatus Præposito, vel Rectori; non tamen erit sub obedientia Ministri, sicut nec eius socius: in ea autem domo vel Collegio cœnatio sit communis, mensa aliqua Nouitijs & eorum Magistro designata.

6. Hic Magister Nouitiorum pœnitentias in Nouitiatu tantum suis Nouitijs imponere poterit, extra verò, non nisi consulto Superiore.

7. Habeat hic idem Magister Nouitiorum potestatem ordinariam absoluendi à casibus reseruatis Nouitios, qui sub ipsius cura degunt, nisi eius Superiori hæc facultas aliqua de causa restringenda videtur.

8. Versatum

8. Versatum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, vt deceptiones, quæ in spirituali vita accidunt, non tantum experimento, sed etiam lectione intelligat. Quibus autem vtiliter ipse vti poterit, ij ferè sunt, qui in subiecto catalogo numerantur. Nouitijs verò eos tantum legendos tradet, qui nostro instituto conueniunt, ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacumque ratione quicquam detrimenti capiant.

---

*Libri ad vsum Magistri Nouitiorum accommodati.*

Basilij Ascetica, & Regulæ.
Gregorij Moralia
Augustini Confessiones, & Meditationes.
Bernardus.
Bonauenturæ Opuscula.
Cassianus.
Homiliæ Dorothei, Macharij, Cęsarij Arelatensis Episcopi.
Opuscula Ephrem, Nili, Esaiæ Abbatis.
Diadocus.
Hugo de S. Victore de Claustro animæ.
Richardus de S. Victore.
Vmbertus de eruditione Religiosorum.
Innocentius de contēptu mundi.
Thomas de Kēpis de imitatione Christi, & alia eius opuscula.
Vincentij tractatus de vita spirituali.
Ludouici Blosij opera.
Dionysij Carthusiani opuscula.
Albertus Magnus de virtutibus.
Epistolæ Catharinæ Senensis.
Landulphus de vita Christi.

HISTORICI.

Gregorij Dialogi.
Gregorius Turonensis De gloria Confessorum, & vita S. Martini.
Eusebij historia Ecclesiastica.
Seuerus Sulpitius de vita S. Martini.
Vitæ patrum selectæ.
Vitæ SS. Lippomani, & Surij.
Petrus Damianus.
Petrus Cluniacensis de miraculis.
Literæ Indicæ.
Vita Patris N. Ignatij, & alij similes ad Nouitiorum vtilitatem accommodati, ex quibus desumet aliquos pro illorum vsu.

*De prima probatione.*

CAP. II. 9. Postquam in Domino statuetur, ad probationem aliquem admittendum esse in domo, vel habita- *In ex. c. 1. §. 13. & p. 1. c. 4. §. 1.*

 tione

tione separata primæ probationis; hospitum more duodecim dies, vel vsque ad viginti & amplius, prout Superiori videretur, diuersetur; vt eo tempore de ijs, quæ pertinent ad Societatem, ipse certior reddatur, & Societas eundem plenius in Domino cognoscat.

*Par. 1. c. 4. §. 4.* 10. Postridie ei declarabitur, quomodò in eo loco se gerere debeat, ac nominatim ne verbo, aut scripto (nisi Superiori aliqua de causa non leuis momenti aliud videretur) cum externis, vel domesticis agat, præterquam cum ijs, quos ad id Superior designauerit.

*Par. 1. c. 1. lit. D.* 11. Librum completum examinis absque declarationibus, Latina lingua pro ijs, qui eam intelligunt, & vulgari pro alijs habeat, nec non & eisdem linguis Summarium Constitutionum, & Regulas communes habere debet.

*In ex. c. 2. §. 13. & lit. A. & p. 1. c. 4. §. 5.* 12. Elapsis duobus aut tribus diebus examinari accuratius incipiat, & relinquatur ei scriptum prædictum examen, vt solus id maturius consideret, nisi in aliquo particulari aliud examen breuius proponendum esse Superior iudicauerit.

*In ex. c. 1. §. 13 & p. 1. c. 4. §. 3.* 13. Postea literæ Apostolicæ Iulij III. anno 1550. & Summarium Constitutionum, & Regulæ communes eidem ostendantur, & relinquantur, vt omnia per otium magis consideret: ijs verò, qui literas Apostolicas Latinas non intelligerent, satis esset earum summam declarare.

*In ex. c. 1. lit. E.* 14. Ordo examinandi esse debet, in primis proponere, ac prosequi, quæ quatuor primis capitibus examinis continentur, deinde ea, quæ speciatim ad literatos pertinent, vel Coadiutores, vel Scholares, aut indifferentes: quamuis autem omnibus integrum examen relinquatur; non sunt tamen omnes particulariter examinandi, nisi de ijs, quæ ad vtrumque pertinent, & si quid alicuius momenti occurrerit, quod Superiorem scire oporteat, scripto notabit.

15. In his omnibus proponendis & declarandis paulatim procedatur, vt qui examinantur, res omnes nostri instituti, iuxta ipsorum gradum bene percipiant, ad suam maiorem satisfactionem, & stabilitatem; & illa præsertim sunt magis explicanda, quæ postea aliquam difficultatem afferre possent, vt de animi promptitudine ad seruiendum Deo vbique, & in re quauis, de manifestatione suorum defectuum iuxta Constitutiones, de indifferentia ad gradus Societatis in Scholaribus, & literatis, & de manifestatione conscientiæ, statutis temporibus.

*Decr. 78. cong. 4.* 16. Si quis ad studia maiorem propensionem quam par esset, & minorem indifferentiam, quam ad alia ministeria Societatis præ se

ferret,

ferret, & videretur nihilominus ad ea minus aptus, non tantum proponatur ei scriptum examen, vt reliquis, sed & §. 2. cap. 7. accuratè illi explicetur, interrogeturque an patienter se dimitti sinet à Societate, dummodo ab omni voto ac promissione liber maneat.

17. Admoneatur, vt verè omnino, ac sincerè respondeat: nam aliter multa grauia incommoda inde oriri possent; & nihilominus admonere Confessarium oportet, vt si quis verè non respondisset, eius de ea re conscientiam stimulet. *In ex. c. 3. §. 1. & lit. A. & c. 2. lit. A.*

18. Si quid erit in interrogationibus, quod secretum requirat, id obseruabitur, vt par est, & interrogato placuerit: * declaretur tamen ei, quod iuxta Constitutiones licebit rem omnem Superiori manifestare. *In ex. c. 3. §. 1. * Ibid. c. 4. §. 8.*

19. Promittat relicturum se omnia bona sua post vnum annum ab ingressu, quandocunque iniunctum à Superiore ei fuerit: & declaretur, quod actus huius promissionis, nec votum est, nec solum propositum, sed promissio simplex, illa conditione affecta, si ipse perseuerauerit, & Superior ei iniunxerit. *In ex. c. 4. §. 2. & can. 1. cong. 3.*

20. Hoc tempore primæ probationis per quinque vel sex dies accuratè informentur prædicto modo de ijs, quæ ad institutum, & ad ipsos pertinent, & lectione alicuius pij libelli, qualis esset de imitatione Christi, subinde recreentur. *Par. c. 4. §. 1. & Dec. 78. cong. 4.*

21. Coadiutores verò temporales, qui regere non didicerunt, aut qui minus ad hæc tractanda idonei videbuntur, quamuis in propria vocatione iuxta ipsorum captum, plenè instituendi sunt; poterunt tamen hoc tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum, iudicio Superiorum occupari, seiuncti tamen ab alijs.

22. Deinde qui literis operam dederunt, de singulis facultatibus, in quibus versati sunt, singulas prælegant lectiones coram eis, qui à Superiore ad eorum talentum cognoscendum in doctrina, & proponendi modo sunt constituti, & postea exhortationem vnam quisque faciat. ** In ex. c. 5. §. 6. & p. 1. c. 4. §. 5 & decr. 78. congr. 4.*

23. Tum si quis, antequam fuerit in Societatem admissus, spiritualia exercitia non fecerit, hoc primum experimentum (vt sequenti capite, vbi de experimentis agitur, mox dicetur) iuxta 4. cap. Exa. §. 10. aggrediatur, & iuxta exercitia suo tempore generaliter confiteatur, nisi ante ingressum fuerit alicui de Societate, generaliter confessus: tunc enim satis erit, si ab eo tempore generalem confessionem incipiat: & eodem tempore conscientiam suam Superiori, aut ei, quem Superior designauerit, aperiat, iuxta Pa. 1. Const. cap. 4. §. 6. & si ab aliqua censura virtute nostrorum priuilegiorum *Decr. 78. cong. 4. Exa. c. 4. §. 41. Exa. c. 4. §. 36.*

Ffff 2 abso-

absolutus fuerit, admoneatur: quod si non perseuerauerit, in eandem
Can. 21. cong. 2. reincidet. Declaretur etiam illi, si qua vota cum adhuc esset in seculo emisit (præterquam religionis determinatæ) in nostra Societate, tam diu suspensa esse, dum ipse in Societate manserit: quod si recesserit, eadem obligatione teneri, qua ante ingressum tenebatur. Expleto
Part. 1 c. 4. §. 6. autem tempore huius experimenti, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum accipiet, & communem domum habitationis ingrediatur, vbi cum alijs versari, & in secunda probatione diutius exerceri Nouitij solent.

Decr. 78. cong. 4. 14. Si vel cuiusquam valetudo, vel aliqua temporis aut personæ ratio persuaserit, non esse tam diu hæc mentalia exercitia continuanda, antequam exercitia aggrediatur, per quatuor vel quinque dies vacare, & separatim recreari poterit; vel si Magistro Nouitiorum videretur, facta confessione generali; & peractis exercitijs primæ hebdomadæ. Sed quando hæc relaxatio longius ob valetudinem aut aliam rationem protrahenda Magistro Nouitiorum visa fuerit,
In ex. c. 4. §. 4 & p. 1. c. 4. §. 6. poterit sumpta Eucharistia etiam ad communem conuictum admitti, & vbi firmior fuerit, sua exercitia peraget.

15. Si Superior iudicauerit eum domi retinendum, curet, vt in libro ad id designato, quem penes se Procurator habere debet, scribatur quicquid vnusquisque domum attulerit, cum subscriptione eius qui examinatus est; & vt hæc alicubi separatim asseruentur, quousque biennio expleto consueta vota emiserit.

Par. 1. c. 4. §. 6. 16. In alio libro, quem apud se habebit, notabit diem & annum ingressus vniuscuiusque, incipiendo à die, quo primam probationem intrauit, & nomen, & patriam, & quod contentus sit obseruare omnia ei proposita. Quando verò aliqui in Coadiutores temporales, & indifferentes admittentur, speciatim id scripto declaretur, quod vt tales examinati & admissi fuerint, & hæc, qui examinatus est, manu sua subscribat, & si scribere nescit, alius eius nomine scribat.

*De secunda probatione. De experimentis.*

In ex. c. 4. §. 9. CAP. III. 27. IN primis diligenter curet, vt Nouitij sex illis experimentis, quæ in Constitutionibus traduntur, seriò, & cum desiderato fructu exerceantur, intelligatque præcipuam Nouitiatus partem in his probationibus positam esse.

In ex. c. 4. §. 10. & p. 3. §. 1. §. 10. 28. Exercitia spiritualia primum singulis, eo quo procedunt ordine præscripto tempore atque exactè tradantur, secundum vniuscuiusque dispositionem, & captum, iuxta Regulas libri Exercitiorum: præter-

prætermissis tamen his, quæ ad electiones spectant; vt inde, præter alia, certam, ac nostro instituto consentaneam, mente, & voce, orandi rationem habeant, quam in posterum seruare debeant.

29. Quoad secundum experimentum, quo hospitalibus per mensem seruire debent, videbit ipse quid magis expediat, an nostros ibidem cibum capere, & dormire, an verò per aliquot horas quotidie ministerium ægris impendere. *In ex. c. 4. §. 11.*

30. In hac probatione aduertat, ne nostri nimio feruore suæ valetudini noceant, aut periculo contagionis alicuius morbi se exponant: admonebitque, ne ingrediantur partem illam Xenodochij, vbi mulieres habitare solent.

31. Mense alio ad peregrinandum sine pecunia mittantur, ostiatim pro Christi amore mendicando, vt ad incommoditatem comedendi, & dormiendi assuescant, & vt omni spe abiecta, quam in pecunijs, & rebus alijs creatis possent constituere, eam integre, & vera cum fiducia in Domino constituant. *In ex. c. 4. §. 12.*

32. Aduertendum, ne imbecilles, aut tenerioris ætatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur, ne fiant asperiore hyeme, aut feruentiore æstate; illisque regulas Peregrinorum, literas patentes, & cum opus erit, particularem etiam instructionem trader, * & ab vltimo loco ad quem perueniunt, testimonium à Superiore domus, vel Collegij Societatis, si ibi fuerit, vel ab alio fide digno secum ferant, quod suam deuotionem secuti sine vlla cuiusque querela eo peruenerint: & in secundo, quinto, & sexto experimento, * iuxta Constitutiones idem seruetur. ** In ex. c. 4. §. 20.* ** Ibid §. 15. & 22. in ex.*

33. In quarto experimento, quo in officijs abiectis exercentur, aduertat, ne nimia corporis fatigatione spiritus obruatur; & à Scholasticis fiat potius ad propriam cuiusque abnegationem, & humiliationem, quam pro domestica aliqua necessitate. Dum autem hæc probatio fit in domo probationis, vacabit, qui ita probatur, ab alijs exercitijs aliorum Nouitiorum, exceptis conferentijs, & exhortatione ordinaria. *c. 4. §. 12.*

34. Cum hæc probatio non fit in domo probationis, sed in domibus professis, aut collegiis, sit aliquis, qui Nouitiorum peculiarem curam gerat, vbi in recreatione separari sint, * adiunctis alijs, à quibus in Domino adiuuari possint. *In ex. c. 4. §. 16.* ** Par. 3. c. 1. lit. D. in ex.*

35. In docenda doctrina Christiana pueros, ac personas rudes, publicè vel priuatim, prout occasio se obtulerit, & in Domino ei commodius visum fuerit, tanquam in propria nostri instituti Nouitios exercendos curabit, habita personarum ratione. *c. 4. §. 24.*

 36. In

In ex. c. 4. §. 15. 36. In confessionibus audiendis, & prædicatione Diuini verbi domi, aut foris, circa finem primi anni probentur, qui ad huiusmodi ministeria idonei inuenientur, & bonæ ædificationis specimen iam dederint, eo tamen modo, ne tanquam operarij ordinarij ad ministeria hæc exercenda exponantur, sed breui tempore, & ad probationem.

37. Tametsi exercitia spiritualia exactè omnibus in principio tradenda sunt; quoad reliqua tamen experimenta, si quod eorum permutandum, aut multum moderandum iudicaret, id ne faciat inconsulto Prouinciali: quamquam anteponere, aut postponere ipse ea poterit pro ratione personarum, temporum, aut locorum.

38. Aduertat, vt hæ probationes inter se debitis spatijs distinguantur, ita, vt Nouitij vna peracta, aliquamdiu ad solita exercitia domus probationis redeant, vt corpore, & spiritu recreati, vberiorem * In ex. c. 4. §. 16. fructum ex præteritis laboribus colligant, ea tamen ratione, * vt intra annum omnes absoluantur. Quod si peculiari aliqua de causa, hæ probationes ad secundum annum differendæ viderentur, prius Prouincialis consulatur.

In ex c 4 §. 16. & §. 9 c. 5 §. 8 & lit. E. 39. Præter hæc experimenta, alia fieri hoc biennio probationis possunt, & hæc eadem ex parte repeti, quando in Domino ita expedire iudicauerit, & quidem omnia cum maturitate, & prudentia, ædificatione etiam externorum, sunt facienda.

*De institutione & regimine Nouitiorum.*

40. NE fiant mortificationes publicæ, nisi ordinariæ, iuxta Constitutiones, vt sunt præter solita experimenta, petere ostiatim eleemosynam, comitari emptorem, ad comportanda ea quæ emuntur, indui vestibus vilioribus, quæ tamen religiosos deceant, & alia id genus, vt in officio Rectoris dicitur.

Par. 3. c. 1. lit. C. & in ex. c. 1. §. 13. & lit. F. 41. Conuenit, vt qui probantur, vestibus ratione ad mortificationem, & abnegationem sui, & ad mundum eiusque vanitatem sub pedibus conculcandam iuuentur, & id quidem quantum consuetudo, officium, & personarum circumstantiæ patientur. Discretioni autem eius relinquitur, habita ratione ædificationis, an cum eisdem vestibus, quas ex sæculo tulerunt, incedere sint permittendi, an verò cum alijs eas permutari oporteat.

Par. 3. c. 1. lit. F. 42. Conferet, vt aliquando occasionem præbeat ijs, qui probantur, exercendi obedientiæ, & paupertatis virtutem, eosdem tentando ad maiorem ipsorum vtilitatem spiritualem, in hoc tamen mensura, iuxta vniuscuiusque vires, obseruetur.

43. In

43. In pœnitentijs, & corporis afflictionibus aduertat, ne nimius huiuſmodi rerum vſus tantopere vires debilitet, vt poſtea ad miniſteria noſtri inſtituti inutiles reddantur: nec contra, tanta in illis ſit relaxatio, vt feruore ſpiritus refrigeſcente, humani ac inferiores affectus incaleſcant. *Par. 1. c. 3. §. 2.*

44. Lectiones fiant de his, quæ ad inſtitutum pertinent, & continentur Literis Apoſtolicis, Regulis, & Conſtitutionibus, præcipuè verò de ijs, quæ in examine, & tertia parte habentur, aut de alijs quæ eò referuntur, mutata interdum materia, vt tædium tollatur: modus verò lectionum facilis ſit, & ſimplex, & ad Nouitiorum animos ad inſtituti amorem, & ſolidarum virtutum perfectionem promouendo accommodatus.

45. Explicetur breui enarratione doctrina Chriſtiana, ac modus bene, & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & eidem decenter miniſtrandi, orandi itidem, meditandi, & libros denique pios legendi, pro captu vniuſcuiuſque tradatur. *Par. 1. c. 1. §. 20.*

46. Admoneat crebro Nouitios, vt in omnibus rebus Deum quærant, & in ſuis actibus intentionem puram ad Dei beneplacitum dirigant, * vt familiares cum Deo in ſpiritualibus deuotionis exercitijs eſſe curent: & tandem ita ſint inſtructi Nouitij, * vt nihil perfectionis, quod diuina gratia conſequi poſſint in abſoluta noſtri inſtituti obſeruatione, prætermittant. *Part. 3. c. 1. §. 26.* *Par. 1. §. 2.* *Par. 6 c 1. §. 1.*

47. Omnes perſpectos habeat, vt magis illis prodeſſe poſſit, ad quod iuuabit, cum illis frequenter ſingulatim agere, & rationem ab vnoquoque rerum ſuarum ſuauiter exigere: in his autem priuatis colloquijs magnam vtilitatem poſitam eſſe ſciat.

48. Det operam, vt Nouitij religioſam modeſtiam præ ſe ferant, iuxta Conſtitutiones, & regulas, quæ de ea conſcriptæ ſunt, in quibus tempore Nouitiatus diligenter inſtituendi erunt. *Par. 3. c. 1. §. 4.*

49. Cognoſcat, quem procedendi modum in oratione, & examine ſeruent; & petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare, & quando reſiſtunt tentationibus, an proprijs remedijs vtantur: In acquirendis virtutibus, quam rationem teneant: & intelligat demum, an in his omnibus præſtent ea, quæ ab ipſo acceperunt.

50. Si aliquis ſolicitetur, vel perturbetur ab hominibus, qui in via ſpiritus non bene procedunt, & expediat illum in alium locum transferri, Prouincialem tempeſtiue moneat. *Par. 3. c. 1. lit. A.*

51. Si duo in eodem cubiculo habitent, alter eorum eiuſmodi ſit, vt minimè dubitetur, quin alter ſit eius ſocietate profecturus, & *Par. 3. c. 1. lit. D.*

candem

eandem ob causam inter cubicula, quæ seorsum vnicuique iuniorum assignantur, par est, aliquos maturos ex antiquioribus intermiscere.

Par. 3. c. 1. lit. B. 52. Si aliquando permittendum videretur, vt aliquis consanguineos, vel amicos, quos in sæculo habebat, alloqueretur, coram aliquo à Superiore ad id designato, id fiat, & breuiter: nisi particulares ob causas aliud statueret Superior totius domus, vel Collegij.

Par. 3. c. 1. §. 3. 53. Nouitij non sunt, vt plurimum, assignandi in socios nostris, qui adeunt domos secularium, nec debent habere officia publica, in quibus necessarium sit agere cum externis, vt Emptoris, Ianitoris & Sacristæ.

54. Videat, num aliqui in schedulis, Nouitijs assignandi sint, vt cum eis loqui possint, quorum exemplo, & colloquijs proficiant in Domino, & si cum alijs sine facultate egerint, debitam eis pœnitentiam iniungat.

Par. 3. c. 1. lit. T. * Par 5. c. 4 lit. G. * Can. 9. cong. 4. * Can 18 cong. 2. 55. Admoneat eos, ne vota ante biennium emittant sine Superioris facultate, quam in primo anno Nouitiatus, solus Prouincialis re mature considerata dare poterit. * Horum autem, qui hæc vota semel apud se ex licentia Superioris, iuxta formulam Societatis, emiserint, memoria in libro aliquo asseruetur, & postea tempore Nouitiatus, * bis in anno statutis temporibus, * seorsum ab alijs, qui biennium expleuerunt, ipse simul inter se illa renouabunt.

56. Diligenter obseruare debet in toto probationis decursu, an ineptus aliquis, aut inutilis nostro instituto, probabiliter futurus sit, in quo maior habenda est ratio boni communis Societatis ad gloriam Dei, quam particularis cuiusque: quid autem sentiat in hac re, ad minimum sexto quoque mense ad Prouincialem scribat, vt ipse prouideat.

In ex. c. 1. §. 12. & c. 4 §. 43. * Ibid c. 4. § 41. * In ex. c. 4 §. 18. 57. De singulis etiam sub finem biennij ad eundem scribat, vt cum illius facultate consueta vota Societatis emittant, * aut diutius probentur; prius autem quam vota emittant, * per hebdomadæ spatium se colligant, & aliqua exercitia spiritualia, præter alia, quæ præscripta sunt, faciant.

Par. 5. c. 2. §. 1. Par. 9 c. 2. §. 2. 58. Scholastici, qui studijs absolutis tertium probationis annum peragunt, in varijs experimentis, & speciatim in nonnullis iam dictis, quamuis illis prius iam perfuncti fuerint, probentur. Huius autem probationis tempore in schola affectus se exerceant, & in rebus spiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegatione vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt insistant.

59. Adhi-

59. Adhibeat diligentiam, vt Coadiutores temporales in modo orandi iuxta Constitutiones instruantur, eosque mysteria Rosarij doceat, & priuatim instruat, * vt ad suæ vocationis ministeria afficiantur, & forte Marthæ contenti sint. Pa 4. § 4. * In ex. c. 6. § 6 & 7. & p. 1. c. 2. § 1.

60. Exhortationibus ordinarijs omnes intersint. Coadiutores tamen temporales, & indifferentes, non interrogentur in Conferentijs, nisi cum rerum & personarum delectu, nec ad Tonos conueniant: & ij quidem per sex menses ad minimum in domo probationis sint, reliquo autem biennij tempore, sic sub cura Magistri erunt; vt alijs officijs ad instar aliorum Coadiutorum vacare possint, & tempus ordinarium orationis Domus, vel Collegij, vbi agent, habeant: experimenta tamen, ad quæ apti fuerint, intra annum absoluant.

61. Quando erit concio domi, vel in Ecclesia, quam Nouitij sint audituri, eo die à Lectionibus, & Conferentijs, & Tonis liberi erunt.

62. Singulis hebdomadis, die vna à solitis exercitijs vacent, in qua aliquid honestæ recreationis poterunt sumere domi vel foris.

*De examine semestri Nouitiorum.*

63. SExto quoque mense per biennium probationis, literas Apostolicas & Regulas vnusquisque videre, & considerare debet, & examen; relicto secundo & tertio capite, & alijs, quæ ad gradum suum non pertinent, vt Regula 12. & 13. dictum est, deinde postquam hæc omnia viderit, interrogetur. In ex. c. 1. § 13. & c. 4. § 4. * P. 1. c. 1. li. D.

64. An prædictis omnibus contentus sit, an verò aliquid dubij, vel difficultatis circa ea occurrat; quæ experimenta peregerit, & quo modo in illis se habuerit.

65. An vires sibi corporales, & spirituales suppetere sentiat ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur: * num deliberatum habeat animi propositum viuendi; & moriendi in hac Societate IESV Domini nostri. In ex. c. 8. § 4. * Ibid. c. 3. § 14.

66. Examen hoc factum esse notetur scripto, vt constet. Quod si quid noui occurrat, aut si qua mutatio alicuius momenti accidat, Superiorem certiorem reddat.

67. Demum qui sic examinatus est, reddet rationem conscientiæ suæ Superiori, aut ei, quem Superior delegauerit, * & ab vltima confessione generali incipiendo generaliter confitebitur Sacerdoti, qui fuerit à Superiore designatus. In ex. c. 4. § 38. * Ibid § 41.

*De ordine Domus probationis.*

68. NOuitii manè post pulsum campanæ, dum surgunt, dum se induunt, & lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant, aut aliquid in Domino meditentur, & reliquo semihoræ spatio, pia aliqua lectione, aut alia ratione ad orationem se præparare poterunt.

*P.4.c.4.§.3 & 4. & lit. B. & C. & can. 6. cong. 4. 69. * Postea integram horam orationi mentali, aut vocali, vel meditationi dent, iuxta cuiusque captum, & Magistri Nouitiorum instructionem.

P.4.c.4.§.3. 70. Absoluta oratione, media illis conceditur hora ad lectum, & cubiculum componendum, & ad dispiciendum, quem fructum ex oratione collegerint.

71. Post hæc, Missam deuote, & reuerenter audiant, qua absoluta,

*P.3.c.1.§. 11 & 20. * intersint lectioni, seu exhortationi, quæ de rebus spiritualibus bis in hebdomada, per dimidiam horam, illis fiet; reliqua autem dimidia statim repetent audita, & conferent inter se terni, aut quaterni, sine vlla disputatione, sed cum humilitate, & modestia.

72. Sequenti die, iis de rebus vt melius ad praxin reducantur, eadem hora fient collationes, hac ratione, vt lectione præcedenti breuiter per vnum, aut plures à Magistro designatos repetita, proponat aliquis, quomodo vincatur talis tentatio, aut difficultas, in re proposita, aut vnde oriatur hoc, vel illud impedimentum, & quid remedii possit adhiberi, & alia similia: postquam autem aliqui dixerint, quid sibi occurrat, Magister constituet, quid tenendum sit.

P.4.c.4.§.3. & 4. 73. Reliquo toto tempore vsque ad examen, quod semper ante prandium fiat, per quartam horæ partem in suis officijs, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum à Magistro Nouitiorum

*P.3.c.1.§. 2. præscripto occupabuntur: * aliquid tamen temporis quotidie, præsertim ante prandium, tribuant Regulis, & Doctrinæ Christianæ, & alijs, quæ iudicio Magistri Nouitiorum cuique conuenient, addiscendis, & memoriæ mandandis.

P.3.c.2 lit. D. 74. Post examen sequatur prandium quo absoluto horā integram recreationi dabunt, tam qui in priore, quam qui in posteriore mensa pranserunt. Tempore autem recreationis, poterunt mutuò colloqui, dummodo pauciores quam quatuor non conueniant, nisi aliter Magistro videretur. Agent autem de exemplis vitæ Christi, vel Sanctorum, aut de his, quæ cum ædificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua vtili in Domino.

75. Ex-

75. Expleto recreationis tempore, audito campanæ pulsu, sese ad cubicula recipiant, (præter eos, qui in aliquibus officijs aucupati erunt) vt aliquid legant, vel scribant, vel quid aliud agant iuxta Magistri præscriptum.

76. Post finitam horam, omnes cum Magistro conuenient, & pensum aliquod eorum; quæ antea memoriæ mandauerint, reddant. *Par.3.c.1.§.10.* * Postea explicabitur illis bis singulis hebdomadis, per dimidiam horam Doctrina Christiana, deinde eam recitabunt vno stante, & interrogante, & alijs respondentibus vel sese inuicem interrogãtibus, & instituantur in modo docendi illam, iuxta morem regionis. Vno verò die cuiusque hebdomadæ, fiant Toni.

77. His expletis, ad sua officia, vel ad aliquid legendum, aut ad alias occupationes se conferent: * deinde ante vltimam horam, quæ cœnam præcedit, per semihoram orationi vacabunt: ipsam verò horam vltimam, sequentem ante cœnam, partim officijs domesticis, partim corporali exercitationi, vel alijs occupationibus quas Magister præscripserit, impendent. ** Decr. 4. congr. 2. & can.12.cong. 1.*

78. Post cœnam, horam integram recreationi dabunt, reliquo tempore vsque ad examen (* quod semper fiet antequam cubitum eant per quartam horæ partem) poterunt aliquid legere, vel alia ratione ad orationem sequentis diei præparare, vel aliud facere, pro arbitrio Magistri Nouitiorum. ** P.4.c.4.§.1.& 4.*

79. Nouitios inter se conuersari non conuenit; sed silentium inuicem, & cum alijs obseruare, nisi in rebus in quibus loqui necesse sit, excepto recreationis tempore, de quo iam supra dictum est. *P.3.c.8.lit. D.*

*De examine eorum qui biennio absoluto in Scholasticos approbatos admittuntur.*

CAP. V. 80. POstquam quis biennium Nouitiatus, peractis experimentis, expleuerit, & ad interrogationes, quæ sexto quoque mense fiunt, responderit, antequam vota Scholasticorum emittat, interrogetur. *P.4.c.1.§.1.*

81. An velit se duci sincere circa ea, quibus studere debet, ac studiorum modum, & tempus iuxta quod Superiori videbitur. *In ex.c.1 §.3*

82. An contentus futurus sit eodem, atque alij, modo in Collegio agere, nullisque priuilegijs, aut prærogatiuis minimum omnium, qui in eo fuerint, anteire, omnem sui curam Superiori relinquendo. *In ex.c.1.§.4*

83. An statuerit omnino apud se, studijs absolutis, ac probationibus peractis, Societatem ad viuendum in ea, & moriendum ingredi in eo gradu, quem Superior constituerit, ad maiorem Dei gloriam. *In ex.c.1.§.5*

84. Admoneatur, quod votis post biennium ab ipso emissis non poterit sine facultate Generalis à Societate nostra recedere, nec ad aliam religionem, excepta Carthusiensium, transire sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda iuxta Bullam Pij V. Anno 1565. expeditam.

*De examine Scholasticorum studijs absolutis.*

In ex. c.7.§.7. CAP. VI. 85. Scholastici studijs suis absolutis, statim postquam ad tertium annum probationis peragendum missi fuerint, generatim interrogandi sunt, an firmi in sua deliberatione, & votis, & promissione Deo oblatis, antequam ad studia se conferrent, permaneant; vt eorum status melius cognoscatur, & ipsi magis in Domino iuuati possint.

In ex. c.7.§.8. 86. Interrogentur etiam, & examinentur particulatim eisdem interrogationibus, & examine, quo sexto quoque mense, antequam ad studia mitterentur, interrogati fuerunt: vt Superioribus eorum memoria renouetur & mutatio, si aliqua in rebus iam affirmatis accidisset, cognoscatur.

In ex. c.4.§.33. 87. Postremo reddent rationem vitæ suæ inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad studia missi sunt.

---

## REGVLÆ MODESTIÆ.

1. IN conuersatione nostrorum, illud in vniuersum dici potest, vt in omnibus externis actionibus appareat in nostris modestia, & humilitas coniuncta cum religiosa maturitate: speciatim autem hæc obseruanda erunt.

2. Caput huc illuc leuiter non moueatur, sed cum grauitate vbi opus erit: & si opus non sit teneatur rectum, cum moderata inflexione in partem anteriorem ad neutrum latus deflectendo.

3. Oculos demissos vt plurimum teneant; nec immoderatè eos eleuando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

4. Inter loquendum: cum hominibus, præsertim alicuius auctoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculos.

5. Rugę in fronte, ac multo magis in naso euitentur; vt serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

6. Labia

6. Labia nec nimis compressa, nec nimium diducta.
7. Tota facies hilaritatem potius præ se ferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.
8. Vestes sint mundæ, & cum religiosa decentia compositæ.
6. Manus, si non sustinenda veste occupentur, decenter quietæ teneantur.
10. Incessus sit moderatus sine notabili festinatione, nisi necessitas vrgeret: in qua tamen, quantum poterit, decoris ratio habeatur.
11. Omnes denique gestus, ac motus eiusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant.
12. Si plures simul erunt, ordinem præscriptum à Superiore bini, vel terni incedendo seruent.
13. Si loquendum fuerit, meminerint modestiæ, & ædificationis, tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

*Instructio ad reddendam conscientiæ rationem, iuxta morem Societatis.*

INtelligant singuli dum rationem conscientiæ sunt reddituri, quanti momenti Pater noster sanctæ memoriæ Ignatius id duxerit, ad maiorem Diuinæ bonitatis gloriam, vt subditi magis in spiritu cum gratia vberiori proficiant, ac tanto maiore cum diligentia, amore, & solicitudine iuuari, & à periculis conseruari possint, vt quæ * in examine & Constitutionibus toties commendantur, & §. 40. summarij Constitutionum præscribuntur de reddenda ratione conscientiæ; exactè seruentur. Proinde vnusquisque magna cum puritate, sub sigillo confessionis, aut secreti, aut quacunque ratione ei placuerit, & ad maiorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integrè manifestam faciat, nullam rem celando, qua Dominum vniuersorum offenderit, post vltimam rationem redditam conscientiæ; vel certè aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore grauant ipsius animam.

* In ex. c. 4. §. 14. & seq. & p. 4. c. 10. §. 5. & p. 6. c. 1. §. 2.

Capita verò, quibus conscientiæ ratio reddi debet, hæc ferè erunt: ex quibus cum ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem dicenda putauerint, petant à Superiore, vt eos interrogando iuuet, ac suppleat, si quid esse iudicet, quod ad maiorem Dei gloriam, & suorum notitiam scire velit.

1. An viuat contentus iuxta suam vocationem.
2. Quomodo se habeat circa obedientiam, etiam intellectus, paupertatem, castitatem, & vsum aliarum virtutum, & quarum præcipuè studio intentus sit.

3. An ſentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes moleſtas, & de facilitate, ſeu difficultate, & modo eis reſiſtendi, & ad quos affectus, vel peccata ſit magis propenſus & incitatus.

4. An contra Conſtitutiones, vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum firmum iudicium habuerit, vel contra eam diſputauerit.

5. Quid ſentiat de ipſo inſtituto Societatis, & medijs, quibus illa vtitur ad ſuum finem conſequendum, & quem experiatur in ſe zelum animarum.

6. Quomodo ſpiritualibus rebus ſit affectus, quantum temporis orationi tribuat, & num vocali, an potius mentali iuuetur: & vtri plus temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

7. Num in vſu rerum ſpiritualium conſolationem & deuotionem habeat, an verò contra deſolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur, & quomodo in ijs ſe gerat.

8. De fructu, quem ex communione, confeſſione, examine, præſertim particulari, & alijs exercitijs ſpiritualibus percipiat.

9. Num poſt vltimam rationem conſcientiæ, quam reddidit, maiorem an minorem fructum fecerit, & quem animum experiatur ad perfectionem conſequendam.

10. Quomodo obſeruet, quæ ex Conſtitutionibus & Regulis, tum communibus, tum officij ſui ad eum pertinent.

11. De mortificationibus, pœnitentijs, & alijs exercitationibus, quæ faciunt ad ſpiritus profectum, & in ſpecie de præparatione ad iniurias, & ad alia, quæ ad Chriſti crucem pertinent, ferenda, atque de eorum deſiderio.

12. De ſocijs, & quomodo ex eorum conuerſatione proficiat in Domino, & an alicui plus ſit familiaris, quam aliis.

13. An auerſionem animi ſentiat ab aliquo, & an offenſus ſit in aliquo à Superioribus, vel officialibus, vel quauis alia perſona, & quomodo ſit affectus erga Superiores.

14. An tentationes aliquas ſit paſſus, quas alii intellexerint, præſertim circa vocationem.

REGVLÆ

## REGVLÆ PEREGRINORVM.

1. PErsuadeant sibi peregrinationis finem non tam esse corporis defatigationem, & vt multum iter conficiant, quam vt ex ea fructum aliquem spiritualem percipiant, atque ex eo fine, & iter ipsum, & cæteros peregrinationis labores moderentur.

2. Litanias simul omnes quotidie in ipso itineris ingressu, vel itinerarium dicant, nec orationem, & consueta examina prętermittant, & alias etiam Regulas obseruent, quantum ratio itineris permittet.

3. Studeant frequenti oratione, & meditatione comitem itineris sibi Christum facere: & colloquiis interdum piis, & religiosis, ac lectione alicuius libri pij molestias itineris leuare poterunt. Quod si cum externis in via, aut in hospitiis egerint, meminerint pro ratione sui gradus habita ratione temporis & personarum, sermones de rebus spiritualbus inducere, & fructum aliquem; quoad poterunt, efficere.

4. Eleemosynas simpliciter pro Christi amore petant; vt omni spe illa abiecta, quam in pecuniis, & rebus creatis habere possunt, integrè, vera cum fide & ardenti amore, eam in suo creatore, ac Domino constituant; memores à Christo Domino Apostolos sine sacculo, & pera missos, ipsum etiam Dominum non habuisse, vbi caput reclinaret.

5. Indigentia & penuria rerum corpori necessariarum probari exoptent, vt ad incommoditatem cibi, somnive capiendi libenter assuefiant, * iniurias verò, illusiones & opprobria quæ in itinere inferri contigerit, patienter cum Dei gratia ferant, gaudeantque materiam præberi sibi imitandi aliquo modo Christum Dominum eiusque vestibus, atque insignibus seipsos induendi. *In ex. c. 4. §. 12. & 26.* ** Ibid. § 44*

6. Qui maioribus pollent ad viam peragendam viribus, eos, qui sunt infirmiores, subsequi & non præcedere debent, & iter cuiusque diei horum debilium infirmitate commensuretur; quod si quis viribus destitueretur, iumento, aut alia ratione iuuari debet: qua in re non qualitati personarum, sed necessitatis, & charitatis fraternæ ratio est habenda.

7. Si quis in morbum incideret, ita vt vlterius progredi non posset, nec expediret aliquos ibi moram trahere, si vicinum esset Collegium, aut Domus Societatis, eo esset ęger (si mordo morbus patiatur) deducendus: alioqui aliquis ex nostris illi erit socius relinquendus,

quendus, vt consolationi ei sit, & auxilio: ægro autem viribus restituto, cœptum iter ambo prosequentur.

8. Si in via ab honesto, & pio amico inuitarentur, posset qui præest, hospitalitatis beneficium admittere: tunc autem curare debent verbis & religioso exemplo hospites ædificatos in Domino relinquere.

9. Eiusdem ædificationis, & exempli in omnibus hospitijs meminisse debent: sobrietatis etiam in mensa, & modestiæ in conuersatione nunquam obliuiscantur.

10. Cum in itinere ad Collegia, vel domos Societatis diuertent, studeant omnes bonum ædificationis odorem exemplo vitæ, ac morum, nostris relinquere. De rebus verò aut personis aliorum Collegiorum, aut Domorum nihil loquantur, aut tractent nisi ad ædificationem.

11. Si transierint per locum, vbi Domus aut Collegium Societatis sit, nihil ab externis, nec pro se, nec pro alijs petant, aut accipiant sine facultate Superioris eiusdem Domus vel Collegij.

12. Omnes alij, qui iter faciunt ex nostris, equites, aut pedites, has Regulas peregrinorum suo modo, quantum fieri potest, etiam seruent: & tam peregrini, quam reliqui, qui iter faciunt patentes litteras sui Superioris habere curent.

---

## REGVLÆ MINISTRI.

1. Eius officium erit, Præpositum, vel Rectorem iuuare, in ijs, quæ in genere, vel in particulari ei commendabit: nec dispensandi, aut mutandi, aut quicquam faciendi, nisi ex eiusdē prescripto, facultatem habebit.

2. Valde commendatum sibi existimet, quod pertinet ad obseruationem Constitutionum, Regularum, Ordinum communium, & approbatarum Consuetudinum Domus, vel Collegii: ideoque habeat in scriptis: & aliquando legat, tam communes omnium, quam particulares Superioris, & Officialium Regulas, & eosdem Officiales suas habere, intelligere, atque obseruare curet.

3. Officiales visitet quoties opus fuerit, obseruando, quomodo suum officium exequantur: quod saltem alternis diebus faciet, frequenter etiam visitabit cubicula, & alia loca domus, vt videat, quomodo omnia se habeant.

4. Cùm quis ab officio aliquo amouetur, curet, vt is suum successorem

ſorem inſtruat de ratione exercendi illud, iuxta Regulas, & Conſuetudines a Superiore approbatas.

5. Animaduertat in temporum mutationibus, quomodo in Collegio vel domo fieri debeat horarum, ciborum, vestiumque mutatio, & Superiori in memoriam reducat, præſertim bis in anno, ſub initium veris, & autumni: obſeruet etiam crebro num aliquid deſit ex neceſſarijs: aut abundet; eorumque potiſſimum rationem habeat, qui in corporis cura minorem de ſe ipſis ſolicitudinem gerunt; curetque, vt adſit, cum Medicus ægrotos inuiſet.

6. Quotidie hora ſibi deſignata, de rebus omnibus domus rationem Superiori reddat, à quo excipiet in libello ad id parato, quæ ei facienda committet, & cum primum commodè poterit, eidem referat, quæ executus fuerit.

7. Redigat Superiori in memoriam ea, quæ neceſſaria domui iudicabit, vt de emendis rebus ad victum, & veſtitum neceſſarijs ſuis temporibus, de fratrum nimio, aut exiguo labore, de ſanitate, & ſimilibus.

8. Notet, ac referat Superiori tam defectus, ſi quos vel domi, aut in Collegio animaduerterit, vel aliunde intellexerit, quam quęcunque alia quæ ad bonam gubernationem conuenientia ei occurrent, tum etiam circa res ſibi commiſſas, & quaſuis alias, vt quomodo ſe noſtri habeanr circa obedientiam, orationem, ędificationem, & in omnibus virtutibus profectum & ſtudium.

9. Curet per ædituum, vel aliquem alium deſignatum, obſeruari, an omnes die ſtatuto communicauerint, & ſi quis intra tempus deſignatum ad confeſſionem, aut communionem non accederet, intelligat à Superiore, num * ſubtrahendus ei ſit cibus corporis, donec cibum ſpiritus ſumat. * *Par. 8. 8.*

10. Peculiarem habeat curam, vt domus munda ſit, & omnia vbique decenter ſuis locis compoſita, ſed præcipuè in ijs, quæ ab externis videri ſolent.

11. Noctibus ſingulis portas domus, quibus in publicum exitur, videat an bene clauſæ ſint.

12. Deſignet aliquem ex commiſſione Superiotis, qui communes lucernas domus opportuno tempore incendat, & extinguat: qui item publicas feneſtras ſuo tempore aperiat, & claudat, ac pro abluenda facie, & manibus in loco deſtinato aquam infundat, & pro ijs extergendis, mantilia, ab ijs, quæ in vſum refectorij ſunt, diſtincta adhibeat, quæ alia non Sacerdotibus, alia Sacerdotibus deſtinata erunt, & bis ſaltem in hebdomada mutabuntur.

13. Studeat animos Patrum, & Fratrum inter se per beneuolentiam, & præsertim cum Superiore per obedientiam vnire, & si quid minus æquo animo aliquis ferret, velit potius in se (quoad fieri potest) quam in Superiorem, causam reijci, veluti in iniungendis pœnitentijs, quas ipse iuxta præscriptum Superioris imponet, & tam in eis, quam in reprehensionibus ab animi perturbatione caueat, charitatemque præ se ferendo studeat, vt illi quibus pœnitentias imponet, meritò sibi iniungi cognoscant.

14. Si quando absente Superiore aliquid acciderit, quod adeò vrgeat, vt commodè Superior expectari nequeat, id Minister, auditis Consultoribus, exequi poterit, quamuis in specie non sit ipsi commissum; dummodo existimet iuxta Superioris mentem id fore, statimque redeunti quod factum fuerit, referat. Quod autem sibi ordinariè agendum erit, absente Superiore, ab eo curet intelligere.

15. Si Subministrum habuerit, vtatur eius opera in ijs, quæ commodè per se facere non poterit, iuxta præscriptum Superioris: si verò non habuerit, alternis saltem diebus singula cubicula visitet, & alia quæ in officio Subministri continentur, suppleat.

---

## REGVLÆ CONSVLTORVM.

Par. 4. c. 1. §. 7. & p. 9. c. 6. §. 14. 1. INtelligant quanti momenti sit eorum officium, vt Superiores eorum consilio, & relatione adiuti, melius & facilius gubernare possint.

Par 9. c. 5. §. 2. 2. Sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus præ oculis habeant: atque vt Diuinæ inspirationi dent locum, & saniora sint eorum consilia, in suo sensu non nimis abundent.

3. In consultationibus sinceram intentionem habeant, & à perturbatione liberam, vt fideliter, & debita cum modestia Charitatis, & Obedientiæ memores sententiam dicant.

4. Sint inter se maximè Charitate coniuncti, & alter alterum honore præueniat, atque apud alios alter alterius existimationem verbis factisque tueatur. Si verò contingat aliquem in Consultationibus diuersæ aut etiam singularis esse sententiæ, nemo vllam ab eo alienationem, vel habeat, vel ostendat.

5. Rem,

5. Rem,de qua consultabitur,bene intelligant; nec sint in dicendo præcipites; sed negotio secum considerato, & oratione præmissa; pręcipuè cum de rebus agitur difficilibus, sententiam suam aperiant: quod si quid ex tempore discutiendum proponeretur, & sibi maturius considerandum iudicarent, Superiori significabunt.

6. Explicare breuiter debent sententiæ suæ rationes: quod si ad rem confirmandam aliorum rationes essent dissoluendæ, id etiam modestè faciant.

7. Cum Superior Consultoribus auditis aliquid statuerit, iudicium ipsi suum illius iudicio submittent: neque extra consultationem, aut quod statutum fuerit, sibi displicere, aut se in alia fuisse sententia significabunt; laudent potius Superioris consilium apud alios, atque tueantur. Quod si ob rei, de qua agitur, grauitatem, adhuc sentirent ad alium Superiorem esse rem deferendam, quod nihil monitione sua se effecturos sperarent, re prius apud se maturius considerata, & oratione præmissa, ad immediatum illius Superiorem, aut si is non prouideat, ad Supremum, id facere ne prætermittant.

8. Etiamsi non interrogentur, si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum, vel alicuius personæ particularis pertinear, poterunt id Superiori proponere, vt is statuat, num ea de re sit deliberandum, nec ne.

9. Consultores neque ea, quæ quisque in consultatione senserit, neque ea, quæ proposita sunt, aut definita, alij significare debent: præcipuè cum res ipsæ secretum exigunt. Superioris autem erit ea quæ definientur, promulgare; cum opus esse iudicabit.

10. De literis ad Superiores suo tempore mittendis, seruent diligenter quæ in formula scribendi à Consultoribus exiguntur. Et hæ literæ sigillo, quod apud Admonitorem erit, obsignatæ mittantur: nec quisquam eorum sciat, quid alius scripserit. *Par. 4. c. 17. §. 7.*

11. Si quis ex nostris ad Generalem scripserit, & literas Admonitori, aut alicui ex Consultoribus tradere voluerit; is acceptas cum suis, aut sub suæ propriæ manus inscriptione, ad Generalem mittendas curabit.

12. Si quid circa victum, vestitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem, moderandum, augendum vel mutandum censerent, illum pręmissa oratione admonendum curent, quod ferè per Admonitorem faciant. *Par. 9. c. 4. §. 1. 3. & 4. & can. 34. cong. 1.*

13. Si quis cum eis de difficultate aliqua sua, aut perturbatione agat, ita eum suis monitis & consilio iuuare studeant, vt semper, quantum possint, existimationem Superioris tueantur.

Hhhh 2 14. Ad

14. Ad omnia melius obeunda Superiorum suorum, & aliorum Officialium Regulas teneant, Constitutionesque & reliqua omnia, quæ ad nostrum institutum, & administrationem pertinent, familiaria sibi reddant.

15. Ita suum munus exequantur, vt nullam gubernationis partem sibi assumant, atque ea submissione se gerant, vt cæteris Obedientiæ exemplum præbeant.

---

## REGVLÆ ADMONITORIS.

*Par 9. c. 1. §. 4.* 1. EA modestia & humilitate officium suum obeat, vt subditum decet erga Superiorem, quem Christi loco habet: nisi enim debet, ne huius muneris occasione, reuerentia atque obedientia interior, vel exterior in ipso debilior reddatur.

2. Animaduertat autem, ne reuerentia hæc, & obedientia fidelitatem, aut necessariam libertatem opprimat, quo minus Superiorem admoneat de ijs, quæ præmissa oratione, proponenda in Domino iudicabit.

3 Admoneat Superiorem de ijs, quæ maior pars Consultorum ei dicenda iudicauerit: de alijs verò, quæ siue ipsi in mentem venient, siue ab alijs suggerentur, non facile eum admonebit, sed de ijs dumtaxat, quæ non leuis momenti post orationem esse censuerit, siue illa
** Par 9. c. 4. § 4. & c 5.* ad personam, siue ad officium Superioris pertinebunt, iuxta * Constitutiones & Decreta.

*§ 2. & can. 34 cong 11.* 4. Ea, quorum Superiorem admonuerit, meminerit tacitus apud se seruare; quamuis interrogatus à Consultoribus de ijs, quæ ipsi commisissent dicenda vel à Superioribus, rationem sui officij eis debebit reddere.

5. Cum Superior cuiuspiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, admonitoris erit, cum debita submissione, iterum, & sæpius eum commonefacere: quod si emendationem non sperat, facta prius oratione, id Superiori significet.

6. Admonitoris erit, ordinarias epistolas Consultorum suis temporibus colligere, atque ad mediatos Superiores mittere, nisi eas illi alia via mittere voluerint, simulque referet eisdem, vtrum illi scripserint an non.

7. Caueat, ne occasione sui officij debitam subordinationem, & obser-

obseruantiam subditorum & erga suos Superiores aliqua ex parte imminuat, aut debilitet.

8. Sigillum apud se habeat, quo suas, & Consultorum ac aliorum nostrorum literas, si ad eum detulerint, qui ad mediatos Superiores scribere voluerint, obsignare possit. Hoc tamen nulla ratione, sine facultate Superioris, vti licebit, nisi in ijs literis, quæ ad Superiores mediatos scribentur.

---

## FORMVLA SCRIBENDI.

1. Magnopere iuuerit ad animorum vnionem in Societate, literarum vltro citroque missarum inter inferiores, & Superiores frequens commercium; & crebro alios de alijs certiores fieri, & audire, quæ ex varijs locis ad ædificationem, & eorum, quæ geruntur, cognitionem afferuntur. Par. 8. c. 1. §. 9.

2. Superiores domorum, & Rectores scribant singulis hebdomadis ad suum Prouincialem in Europa, in Indijs verò, vt suis Prouincialibus visum fuerit commodum & opportunum.

3. Scribant autem ad suum Prouincialem de statu personarum, & rerum omnium, non solum quæ inter nostros, sed etiam quæ per ministeria Societatis erga externos in domibus suis, vel Collegijs fiunt, & non tantum de his, quæ rectè se habent, sed etiam de his, quæ secus; & quoad fieri poterit, curent, vt omnia tanquam præsentia Prouincialis cernat. Par. 8. c. 1. lit. L. & can. 28. cong. 2.

4. Primo quoque tempore ad suum Prouincialem scribant Superiores domorum, & Rectores de obitu eorum, qui in suis locis decedunt: Prouincialis vero reliquos de sua Prouincia admonebit, vt quamprimum * solitis suffragijs, & orationibus eorum animæ iuuentur, & statim Præpositum Generalem, & vicinos Prouinciales certiores reddat, vt simile officium præstare possint. Par. 6. c. 4. §. 4. * Can. 12. cong. 3.

5. Missi ad fructificandum in agro Domini, scribant ad suum Prouincialem, aut ad eum, quem ille designauerit, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit præscriptum, * vt per crebram literarum communicationem, quantum fieri potest, totum successum suarum missionum illi declarent. Par. 8. c. 7. lit. L. & can. 28. cong 2. * Par. 7. c. 2. §. 2.

6. Prouinciales Superioribus domorum, & Rectoribus ac ijs qui in missionibus versantur, singulis mensibus, priuatis autem personis, quibus, & quando opus erit, scribant. Par. 8. c. 1. lit L. & can. 28. cong. 2.

 7. Prouin-

*Par. 8. c. 1. lit. L. & can. 28. cong. 2.* 7. Prouinciales omnium Prouinciarum Europæ ſcribant ad Generalem ſemel quolibet menſe: Rectores autem, & Superiores domorum, & Magiſtri Nouitiorum tertio quoque menſe.

8. Prouinciales Indiarum ſcribent Præpoſito Generali, quando ſe obtulerit nauigationis commoditas: Rectores verò, & Superiores domorum, ac Magiſtri Nouitiorum ex Indijs ſemel, ex Braſilia, & noua Hiſpania bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio. *Can. 28. cong. 2.*

*Par 8. c. 1. lit. L. & can. 28. cong 2.* 9. Prædicti omnes extraordinariè ſibi mutuo ſcribant, quoties neceſſitas vrgebit.

10. Superiores domorum, & Collegiorum, & Magiſtri Nouitiorum ſcribant ad Generalem, quæ alicuius momenti fuerint, etiamſi approbante Prouinciali fiant: Illa verò potiſſimum ſcribant, in quibus Prouincialis admonitus, vel non prouidet, vel prouidere nequit, vel poſtquam Prouincialis cum illis tractauerit, ipſi ab eius iudicio diſſentiunt: ſed tunc quidem addant, quid Prouincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant, interim tamen ei per omnia obediant.

11. Cum Prouinciales ſcribent Generali, curabunt vt ſtatum domorum, & Collegiorum ſuorum ac totius Prouinciæ bene explicent, & ſuppleant ſi quid intellexerint, quod Superiores domorum, & Collegiorum minus declarauerint: & in vniuerſum ita ſcribere debent, vt Generalis omnium rerum, omniumque perſonarum ac Prouinciarum ſtatum, quoad eius fieri poſſit, ante oculos habeat.

*Can. 18. cong. 2.* 12. Generalis ad Prouinciales ſcribet ſecundo quoque menſe, ad Rectores verò & Prępoſitos Locales ſexto quoque menſe, niſi aliqua neceſſitas prius ad reſpondendum ſuadeat.

13. Si quis noſtrorum aliud per literas cum Præpoſito Generali, aut cum ſuo aliquo mediato Superiore tractare velit, ne impediatur, nec ipſorum literæ ad eos ſcriptæ aperiantur, neque mediatorum Superiorum ad ipſos.

14. Literæ noſtrorum, quæ negotia continent, ſolum ad Præpoſitum Generalem & non alios, qui cum ipſo agant, deſtinentur; poterit tamen ad eos ſcribi, vt illi tractari, & expedire curent.

15. Literæ negotiorum ad quorum expeditionem Procuratoris Generalis opera, aut informatione opus erit, proprijs literis ad Præpoſitum Generalem ſcribantur, adiecta exterius litera P. ſub inſcriptione earum.

16. Negotia maioris momenti, ex vtraque India & Braſilia ternis exemplis ſcribantur, binis autem ex reliquis Prouincijs, ſi ſit periculum ne literæ intercidant, vel certè in proximis literis earum ſumma repetatur:

repetatur: & vt inueniantur, cum opus fuerit, quæ scripta sunt ad Generalem, exemplum eiusmodi literarum, vel earum summam in libro aliquo, qui scribunt, apud se retineant.

17. Si quid secreti scribendum, vel soli Superiori committendum sit, seorsum in propria epistola scribatur, quæ cum alijs in eodem fasciculo colligata includatur, adiecto exterius (soli) sub inscriptione eiusdem epistolæ: quod si eiusmodi epistola sola mitteretur, alia charta inuoluatur, quæ absque (soli) inscriptionem habeat.

18. In rebus, quæ secretum requirunt, explicandis, his vocabulis vtendum erit, vt ea intelligi nisi à Superiore non possint; modum autem præscribet Generalis.

19. Nullus inferior, nisi morbo impeditus, literas ad Superiorem ex sua commissione scribi faciat.

20. Consultores Rectorum, & Superiorum Localium literas obsignatas ad Prouincialem dabunt bis in anno, mense Ianuario, & Iulio, & ad Generalem singulis annis mense Ianuario: Consultores verò Prouincialium ad Generalem mense Ianuario & Iulio, nisi res aliqua ita vrgeret, vt de illa, etiam extra hæc tempora scribendum iudicarent.

21. Ijs litteris sincerè, & sine amplificatione, omnique priuato, aut humano respectu semoto, significabunt, quid sibi de Superioribus, quorum sunt Consultores, & de eorum administratione, ac rerum statu scribendum in Domino videatur, oratione tamen præmissa, & re prius diligenter considerata.

22. Vt Rector Vniuersitatis de omnibus Præceptoribus, & alijs de Societate: ita etiam Cancellarius & Consiliarij Vniuersitatis de ipso, ac alijs scribent semel singulis annis mense Ianuario Præposito Generali & bis in anno mense Ianuario, & Iulio, Prouinciali. *Par. 4. c. 17. §. 7.*

23. Huiusmodi literæ Consultorum, & horum officialium Vniuersitatis mittantur obsignatæ, nec quisquam eorum sciat, quid alius scripserit. *Par. 4. c. 17. lit. L.*

24. Quiuis Præpositus, & Rector habeat librum, in quo scribantur visitationes domus, vel Collegij à Generali approbatæ, in quo etiam scribantur ordinationes aliæ alicuius momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab ijs quæ temporariæ sunt, separatim notentur: alia verò, quę Visitator, & Prouincialis pręscripserint, in alio libro scribantur.

25. Si quid scribendum esset de rebus, quæ externorum aliquem attingerent, ita scribatur, vt etiam si literæ in eius manus inciderint, offendi non possit.

*De*

*De litteris annuis.*

*Par 8. c. 1. lit M. & decr. 73. Can. 28. cong. 2.*

26. SVperiores domorum atque Rectores curent ea obseruari, quæ in dies in eorum domibus Collegijsque per nostros Dominus operari dignatur, quæque ad nostrorum consolationem, ac proximorum ædificationem pertinent, ex quibus seligant optima quæque, atque in ordinem redacta, sub finem cuiusque anni, ad suum Prouincialem mittant.

27. Prouinciales ex omnibus Superiorum Localium, atque Rectorum suæ Prouinciæ, & eorum, qui in Missionibus versantur, epistolis reiectis vel additis, ijs quæ videbuntur, singulis annis mense Ianuario, rerum gestarum capita Latinè collata, ex quibus deinde vnæ literæ annales Romæ conficiantur, manu ipsorum subscripta Romam ad Generalem destinent.

28. In ea compendiaria narratione hic ordo seruabitur. Recensebunt initio numerum nostrorum in vniuersum, tum etiam singulis domibus, Collegijs, & Mansionibus nominatis, quot sint in ijs Sacerdotes, Præceptores, Scholastici & Coadiutores temporales, itemque quot admissi sint eo anno in Societatem, quotque è vita decesserint: neque deinde necesse erit ad singula Collegia aut loca redire, nisi aliquid in ijs contigerit peculiari narratione dignum.

29. Agent primo de profectu nostrorum in Domino, & explicabunt, si quid in eo genere ædificationem facere possit: deinde de ministerijs Societatis erga proximos, vt de concionibus, lectionibus sacris, doctrina Christiana, & exercitijs spiritualibus, visitatione carcerum & hospitalium, reconciliatione dissidentium, de pœnitentium frequentia, & de alijs nostri instituti pijs operibus, ita tamen vt ea tantum commemorentur, quæ sunt alicuius momenti. Item de Scholis, & discipulorum numero, & profectu, præsertim in Vniuersitatibus & Collegijs maioribus: de bona item Societatis existimatione, de contradictionibus autem, & persequutionibus, si quæ fuerint, ea tantum attingant, quæ ædificationi fore videbuntur. Dicent etiam de piorum erga nostros charitate, & eleemosynis paulò insignioribus.

30. Hæc omnia exponent, quam plenissimè fieri poterit (semper tamen vitata nimia prolixitate) adhibitis omnibus circumstantijs, etiam nominibus eorum, qui eas res gesserunt, vt si opus fuerit, aliquando conscribi possit historia. Qua etiam de causa cum aliquid occurret dignum memoria, quod tamen propter aliquam causam

non

non expediat omnibus vulgari, id ſcribent ſeparatim, integrè, & perfectè: in illa autem communi narratione vel omnino reticebunt, vel ea tantum excerpent, quæ ædificationi eſſe poſſunt. Et quæ ad externos pertinent, ita narrentur, vt in ea ipſa domo aut ciuitate, vbi ſcribuntur, ac vbique publicè legi citra cuiuſquam offenſionem poſſint.

31. Cum literæ annuæ Romæ confectæ ad Prouincias mittentur, legantur quam primum in ſingulis Domibus & Collegijs. Et vt Coadiutores noſtri temporales ex Latinis etiam literis fructum aliquem percipiant, ſi aliquis, qui illarum ſummam, aut interpretationem aliquo modo explicet: neque vltra duas hebdomadas retineri debent vt ad reliqua loca citius deferantur: poſtquam verò vbique perlectæ fuerint, in præcipua Domo, vel Collegio eiuſdem Prouinciæ aſſeruentur, & ſimul conſuantur.

## *De Catalogis & Informationibus annuis.*

32. AD clariorem omnium noſtrorum cognitionem Superiores Domorum, & Collegiorum duos Catalogos conficiant ante id temporis, quo Procuratores Prouinciarum ad Generalem veniunt, ita exactè, ac ſi nunquam miſſi fuiſſent. In primo deſcribantur omnes, qui in ſuis Domibus, vel Collegijs, ac miſſionibus ſunt, in quo contineatur vniuſcuiuſque nomen, cognomen, patria, ætas, vires, tempus Societatis, ſtudiorum, & miniſteriorum, quę exercuit, & gradus in litteris, ſi quos habet, & an profeſſus, vel Coadiutor ſit, &c. & à quo tempore. *Pa. 8. c. 1. lit. N & p. 9. c. 6. §. 3 & Can. 28. cong. 2.*

33. In ſecundo catalogo dotes, & qualitates vniuſcuiuſque deſcribantur, videlicet, ingenium, iudicium, prudentia, experientia rerum, profectus in literis, naturalis complexio, & ad Societatis miniſteria talentum habeat: quæ omnia diligenter, re Deo prius commendata, & maturè conſiderata, & omni priuato affectu ſemoto, ſyncerè, & breuiter perſtringenda erunt, & vtrumque catalogum ad ſuum Prouincialem mittant.

34. Sub finem cuiuſque anni interiecti, tertium etiam alium breuem catalogum ad Prouincialem mittant, continentem nomina, & miniſteria, in quibus vnuſquiſque noſtrorum occupatur: mittant etiam ſupplementum primi, & ſecundi catalogi, in quo ea tantum adnotabunt, quæ eo anno de nouo occurrerint addenda; vt qui in Societatem interim fuerint admiſſi, aut ab ea defuerint, vel quot mortui ſint, vel alia quauis cauſa.

35. Hunc tertium catalogum & supplementum primi & secundi catalogi totius Prouinciæ, cum narratione pro annuis literis, de qua dictum est, ad Generalem mittet Prouincialis mense Ianuario: primum verò, & secundum per Procuratorem Prouinciæ, ad eundem sigillo suo obsignatos, perferendos curabit: quod si quid ipsi in his catalogis, & informationibus notandum, addendumve videretur, id seorsum ad Generalem scribat.

---

## REGVLÆ PRÆFECTI RERVM SPIRITVALIVM.

Pa 4 c 10. §. 7. 1. Præfectus rerum spiritualium cognitionem instituti societatis, & zelum boni progressus ipsius habeat: & in Obedientia, & Humilitate exemplum alijs præbeat, * & amabilem se eis exhibeat, vt ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, & ab eo consolationem, & auxilium sperent in Domino.

* P. 3. c. 1. §. 12.

P. 3 c. 1. § 12 2. Instruat nostros priuatim, secundum vniuscuiusque captum, quomodo interius, & exterius se habere debeant, & ad id exhortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat, * præsertim vt puram habeant intentionem diuini seruitij, & familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelum syncerum animarum.

* Par. 10. §. 2.

3. Petat quem procedendi modum in oratione, & examine habeant, & si contra aliquem defectum examen particulare faciant, & si contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, & in solidis virtutibus acquirendis, præsertim in Obedientia, quid obseruent, & de pœnitentijs & alijs deuotionibus.

4. Sicubi in his à rectitudine deflexerint, eos dirigat, iuxta modum Societatis; erga cuius institutum, curet, vt omnes bene affecti sint, & det operam, vt orandi & meditandi modos, quos docuit Pater noster Ignatius in libro Exercitiorum, retineant, & vt illo libro familiarissimè vtantur; videatque, ne dum nostri deuotionem habere procurant, caput lædant, aut vires corporis nimis debilitent.

5. Versatum ipsum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, & vnicuique decernat tempus, * & modum cum fructu eos legendi, qui sint faciliores, & nostro instituto magis conuenientes.

* P. 3. c. 4 §. 20.

6. Peculiarem habeat curam consolandi afflictos, & tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque infirmitate, vel necessitate adhibendo; qualia sunt, frequentius communicare, plus temporis orationi impendere. Exercitia spiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ assumere,

mere, libros aliquos spirituales legere, & similia. Quæ autem ex his ipse concedere possit, & in quibus ad Superiorem recurrendum sit, ab eo intelligat.

P. 1. c. 2, § 2. * P. 3. c. 1. § 20 & lit. K. * P. 4. c. 4. lit. C.

7. Parem quoque adhibeat diligentiam, vt Coadiutores temporales quieti sint, & sorte Marthæ contenti, * & pro eorum captu illos instruat, * mysteriaque Rosarij doceat, vt maiore deuotione illud recitare possint.

8. Doceat omnes, vt præmissa oratione, & cum magna reuerentia ad Sacramentum altaris accedant, & post eius perceptionem per aliquod temporis spatium orent, & gratias agant.

9. Præter eos, quos satis instructos Superior iudicauerit, cum vnoquoque agere de his vltra mensem ne differat; sæpe verò consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus spiritualibus colligant, vt in dies magis in Domino proficiant.

10. In his autem omnibus videat, ne ordo vnicuique præscriptus impediatur, ac præsertim studia illorum, qui litteris dant operam, nisi cum Superior aliter iudicauerit.

11. Curam peculiarem habeat Nouitiorum, si qui Domi vel in Collegio fuerint, nisi à Superiore aliunde prospectum sit, & erga eos obseruare studeat ea, quæ iuxta Magistri Nouitiorum, & Examinatoris Regulas obseruari commodè poterunt.

---

## REGVLÆ PRÆFECTI ECCLESIÆ.

1. Curet, vt Æditui Regulas suas obseruet, quas Præfectus ipse apud se etiam habeat.

2. Præbeat illi catalogum singulis diebus Sabbathi, quo dies festi, ac ieiuniorum proximæ hebdomadæ contineantur, vt eum in refectorio recitet in cœna diei Dominicæ sequentis.

3. Singulis diebus Sabbathi vesperi in Sacristia scripto proponat, quemadmodum quotidie Sacra sint facienda sequenti hebdomada, & quo ordine rem diuinam in Altari summo facturi sint, qui ad hoc fuerint designati.

4. Detur opera, ne in altari maximo desit vnquã Sacrum, quo tempore celebrari solet, habeaturque ratio, ne plura Sacra simul inchoẽtur, sed commodè omnia suis spatijs distinguantur.

5. Curam gerat Missarum, & orationum, quæ pro defunctis Societatis, * & pro Fundatoribus, & Benefactoribus, * ac pro ipsa Societate fieri debent, quas ex subiecto catalogo intelliget, & catalogum earum, quæ secundum nostrũ institutum; et ex præscripto Generalis

P. 6. c. 4. § 2. * P. 4. c. 1. & p. 7. c. 4. § 3 & 4. * P. 10. § 5.

 ordinariè

ordinariè faciendæ sunt, referat in duas tabellas, quarum alteram appendet in Sacristia, alteram in alio conuenienti loco, quæ initio cuiusque mensis publicè in Refectorio legetur.

6. Cum superior aliquid in Sacro Deo commendari, aut sacra ipsa, quæ ab omnibus facienda sint, applicari ad finem aliquem iusserit, curet scribi in schedula in sacristia affigenda.

7. Quæcunque autem ex his non ab omnibus facienda erunt, ea Præfectus vnicuique priuatim significanda curabit.

8. Librum habeat, vbi mandata superiorum de his rebus, si aliquandiu duraturæ, aut non statim faciendæ sint, scribantur, ne memoria excidant, & cum fuerint adimpleta, deleantur.

P. 4. c. 1. §. 3. 9. In Collegijs & Domibus probationum curet iuxta ordinem superioris de candela danda Fundatoribus iuxta Constitutiones.

10. Si quando externi sacra aliqua fieri postulauerint, se superiorem consulturum respondeat; nisi eius animum perspectum iam habeat.

11. Externos sacerdotes ad faciendum sacrum in nostro templo, nō sine delectu admittat, sed eos tantum, qui ædificationi sint, præsertim notos, idque iuxta ordinem superioris: & intelligat, an à suo Ordinario legitimam habeant facultatem.

12. Videat an sacerdotes Regulas suas obseruent, & num barbam, & coronam decenter tonsam habeant.

13. Per se, vel alium à superiore designatum, promouendos ad sacerdotium instrui curet, & videat vt ad Romanæ Ecclesiæ ritum tam ij, quam omnes sacerdotes se accommodent, * & ne confessiones audiant; nisi sint legitimè approbati.

P. 4. c. 8. §. 2. * P. 7. c. 4. §. 6. * In ex. c. 1. § 3. & p. 6. c. 2. §. 7. & p. 10. §. 5.

14. * Animaduertat, ne vllæ pro sacris faciendis aut confessionibus audiendis eleemosynæ admittantur.

15. Nulla sit in Ecclesia arcula, in qua eleemosynæ conijciantur, siue pro nobis, siue pro alijs.

P. 6. c. 2 §. 8 & can. 23. cong. 2. 16. Det operam, vt sanctissimum Domini nostri Corpus decenter in custodia conseruetur, diligenter cauens, ne vnquam in ea sacramentum desit, habita communicantium ratione, & vt saltem decimoquinto quoque die innouetur, & sacris absolutis in tabernaculo claui obseretur.

17. Quando nostri in templo communicauerint, curet Præfectus, vt id faciant separatim ab externis.

18. Oleum sanctum, vt oportet, asseruatum singulis annis renouet, & Sanctorum reliquias (quæ quidem mobiles fuerint) in tabernaculo ad id deputato decenter custodiat: si quando autem deuotionis causa

causa ostendendæ erunt, duo cerei accendantur; atque huius tabernaculi clauem vnam ipse habeat, & alteram diuersam Præpositus, aut Rector.

19. Cruces, Calices, ornamenta, & reliqua id genus, vt par est, custodiantur, nec desint velamina ad cooperiendos calices, & alia ad diuinum cultum, & ornatum necessaria.

20. Mutari faciat Altarium, & Sacerdotum ornamenta, quoad colorem attinet, habita temporum, & Festorum ratione, iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ.

21. Cum templum ornandum fuerit, nihil sine facultate Superioris, ac eam rem commodato ab externis petat: detque operam, vt quod acceptum fuerit, accuratè custodiatur, & dominis quam primum reddatur.

22. Si templum, instauratione aliqua in parte indiguerit, aut alijs ad diuinum cultum necessarijs, prouideat, sicut ipsi à Superiore fuerit præscriptum.

23. Superiori in memoriam redigat, vt aliquos designet, qui de concionibus, & modo concionandi iudicare possint; quorum saltem vnus concioni intersit, vt Concionatorem, cum opus fuerit, & Superiori videbitur, admonere possit.

24. Conciones & lectiones templi, horæ spatium superare non debent: eo vero ordine Missæ dicantur, ne impendiant, quo minus conciones tempore præfixo inchoentur. *P. 4. c. 8. lit. C.*

25. Aduertat ne viri in templo, mulierum locum occupent; neve ex aduerso earum quantum fieri poterit, maneant.

26. Curet ne domi desint Confessarij, qui necessarij in templo nostro sunt, & vt confessiones vesperi decenti hora absoluantur.

27. Pridie Palmarum Confessarios admoneat, vt Constitutionem illam obseruent, quæ ad externos ad suas parochias dimittendos Eucharistiæ sumendæ gratia pertinent, & ante tempus, si consuetudo regionis id postulauerit. *P. 7. c. 4. § 4. & lit. D.*

28. Officia hebdomadæ Sanctæ, & Vesperæ (si hæ dicentur,) fiant tono simplici more Societatis sine cantu etiam firmo, nisi vbi Generalis Præpositus dispensauerit: id autem quod de Vesperis dictum est, de Benedictione candelarum, & ramorum intelligatur. *P. 6. c. 1. li. B. & Can. 9. Cong. 3.*

29. Cum aliquid petendum erit pro ecclesia, aut vsu Sacristiæ, intelligat in ea re Superioris voluntatem, eamque exequatur; cumque pecuniæ alicuius momenti summa dabitur, aut colligetur, eam deponat apud Procuratorem in scrinio aliquo, cuius clauem vnam Superior habeat, & alteram diuersam ipse Præfectus.

30. Librum habeat, in quo eleemosynarum, quæ Ecclesiæ vsibus dantur, & expensarum rationes constent.

31. Panni omnes linei semper mundi seruentur, & separatim corporalia, atque etiam purificatoria (quæ quatuor cruces in angulis habeant) lauentur, & vtrorumque ablutio, & cineres eorum, quæ vetustate consumptæ comburuntur, in sacram piscinam mittantur.

32. Catalogum vnum rerum omnium Ecclesiæ mobilium, quæ alicuius momenti sunt, custodiat; in altero vero illa scribantur, quæ aut noua sibi traduntur, cum die, anno, &c. aut vetustate consumuntur, vt possit cum exigetur, prioris catalogi rationem reddere: sæpe etiam res pretiosiores inspiciet, ne aut lædantur, aut amittantur, arcis in quibus seruantur, & Sacristiæ ianuis bene clausis & munitis.

Pa. 6. c. 4. lit. E. 33. Cum nostrorum aliquis extremum diem obierit, spatio diei naturalis decenter teneatur; nisi ratione mali odoris, aut ex alia iusta causa, anteuerti hoc tempus Superiori posse videretur.

Can. 17. cong. 1. 34. Obseruetur circa vestitum Sacerdotum mortuorum, quod de viuentibus dicitur in Constitutionibus, vt scilicet vtamur eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis, in qua versamur, vti solent: fratres vero qui Sacerdotes non sunt, sepeliantur eo modo induti, quo alij Clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, sepeliri solent.

P. 6. c. 4. §. 4. & can. 27. cong. 1. 35. Curam suscipiet sepulchri, candelarum, precum, quæ consueto more dicuntur, rerumque cæterarum, quæ ad eam rem erunt necessariæ.

CATALO-

CATALOGVS

# MISSARVM

## *ET ORATIONVM,*

QVÆ NOSTRIS PRÆSCRIBVNTVR.

*SACRA IVXTA NOSTRUM institutum à Sacerdotibus Societatis ordinariè facienda.*

SINGVLIS ANNIS.

1. IN principio cuiusq; anni vnusquisque Sacerdos Missam celebret pro nostra Societate.

2. Singulis annis præscripto die, in quo memoria fundationis Collegij vel Domus fit Missa cum solemnitate pro Fundatore proprij Collegij, vel Domus, & benefactoribus viuis & defunctis celebratur, & reliqui Sacerdotes, qui in Collegio, vel Domo habitauerint, pro eisdem sua Sacrificia offerant.

*Singulis mensibus.*

3. In principio cuiusque men-

ORATIONES IVXTA nostrum institutum, abs ijs, qui Sacerdotes non sunt ordinariè faciendæ.

SINGVLIS ANNIS.

P. 10. §. 1. 1. *ET singulis, qui Sacerdotes non sunt, eamdem intentionem integrum Rosarium Dominæ nostræ, videlicet centum quinquaginta* Aue Maria, *& quindecim* Pater noster, *aut tres coronas recitent.*

P. 4. c. 1. §. 2. & c. 18. cō. 3. 2. *Et singuli, qui Sacerdotes non sunt ad eamdem intentionem vnam coronam, aut tertiam partem Rosarij recitent.*

Singulis mensibus.

P. 10. §. 1. 3. *Et singuli, qui Sacerdotes non*

*non sunt, ad eandem intentionem tertiam Rosarij partem, aut vnam coronam recitent.*

4. *Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem vnam coronam, aut tertiam Rosarij partem recitent.* P. 4. c. 1. §. 2.

Singulis hebdomadis.

5. *Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem vnam coronam, aut tertiam Rosarij partem recitent.* Can. 11. ib. 3.

6. *Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quauis hebdomada ad eandem intentionem septem,* Pater noster, *& septem* Aue Maria, *recitent.* P. 10. §. 1.

7 *Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quauis hebdomada ad eādem intentionem septem* Pater noster, *& septem* Aue Maria, *recitent.* P. 7. c. 4. §. 4.

8. *Et vnus ex ijs, qui Sacerdotes non sunt, à Superiore designatus, ad eandem intentionem vnam coronam, aut tertiam partem Rosarij recitet.* P. 4. c. 1. §. 1.

sis vnusquisque Sacerdos Missam celebret pro nostra Societate.

4. Initio cuiusque mensis omnes Sacerdotes, qui in Collegio, vel Domo fuerint, pro Fundatore proprij Collegij, vel Domus, & benefactoribus viuis, & defunctis semel Missæ sacrificium offerant.

*Singulis hebdomadis.*

5. Singuli Sacerdotes pro illis de Societate, qui extra Prouinciam moriuntur, semel in quauis hebdomada Missæ sacrificium offerant.

6. Singulis hebdomadis, vbicunque fuerint decem, vel pauciores Sacerdotes, pro nostra Societate vna Missa, à designato à Superiore dicetur; duæ vero, si fuerint plures, quàm decem; tres autem si fuerint plures quam viginti: & ita deinceps in reliquis decadibus, si numerus Sacerdotū fuerit maior.

7. Singulis hebdomadis pro benefactoribus viuis, & defunctis propriæ domus vel Collegij, præter eas quæ pro Fundatore dicuntur, vna, aut duæ, aut plures Missæ pro numero Sacerdotum offerantur, seruando ordinem modò prædictum.

8. Singulis hebdomadis Missa semel pro Fundatore proprij Collegij, vel Domus, & benefactoribus viuis, & defunctis à designato à Superiore celebretur.

9. In

9. In domibus & Collegijs, quæ saltem viginti ex nostris alere possunt, etiamsi non habeant proprium Fundatorem, fiant pro ijs viuis, & defunctis qui eorum fundationem notabiliter adiuuerunt, eadem Sacra quæ pro Fundatoribus ordinarie fieri solent.

*Par. 4 c. 1. lit. E.*

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt ad eandem intentionem pro eisdem facere debent easdem orationes, quæ pro Fundatoribus ordinarie fieri solent.*

*Sacra ab eisdem extraordinariè facienda.*

Orationes ab eisdem extraordinariè faciendæ.

10. Cum primum Societas in Collegij alicuius possessionem venerit, quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro superstite Fundatore ipsius, ac Benefactoribus.

*Par. 4. c. 1. §. 4.*

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem, Rosarium integrum aut tres coronas recitent.*

11. Cum ex hac vita idem Fundator excesserit, singuli Sacerdotes ter Sacrum pro anima illius, & Benefactorum faciant.

*Par. 4. c. 1. §. 4*

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem Rosarium integrum, aut tres coronas recitent.*

12. Idem iudicium erit de Communitatibus, vel Rebusp. quæ non moriuntur: fient enim tria Sacra pro viuentibus, & tria pro defunctis earum. Sic etiam faciendum, quando plures simul fundationem constituunt.

*Par. 4 c. 1. lit. D. & E.*

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium aut tres coronas pro viuentibus Communitatibus, & totidem pro defunctis earum recitabunt. Similiter facient, quando plures simul fundationem constituunt.*

13. Cum primum Societas in alicuius domus professæ possessionem venerit, quilibet Sacerdos intra illam Prouinciam ter Sacrum faciat pro superstite Fundatore ipsius, ac benefactoribus & quando vita functus fuerit alia tria Sacra ab eisdem pro animabus illius & benefactorum fiant.

*Can. 18. Con. 3.*

*Et singuli eiusdem Prouinciæ, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas pro superstite Fundatore, ac benefactoribus: & quando vita functus fuerit alterum Rosarium integrum, aut tres coronas pro animabus illius ac benefactorum recitent.*

*Et singuli eiusdem Prouinciæ, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem faciant, quæ de Collegijs, eisdem numeris dicta sunt.*

Par. 4 c. 1. lit. D. & E.

14. Pro communitatibus vero, & pluribus, qui simul domus professę fundationem constituunt, fiant intra eandem Prouinciam, quæ de Collegijs dicta sunt num. 10. 11. 12.

*Et singuli eiusdem domus, aut Collegij qui Sacerdotes non sunt, pro eo tres coronas, aut tres partes Rosarij: pro alijs vero eiusdem Prouinciæ duas coronas, aut duas partes Rosarij recitent.*

Can. 11. Con. 3.

15. In domo vel Collegio vbi quis de Societate decesserit singuli Sacerdotes pro eo tria Sacra, in alijs vero Prouinciæ locis duo sacra faciant.

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in suis orationibus illius animam Deo commendent, pro cuiusque deuotione.*

Ibid.

16. Cum de obitu cuiusque nostrorum, qui extra Prouinciam obijt, significatur, per vniuersam Societatem omnes Sacerdotes in Missis, illius animam Deo commendent, pro cuiusque deuotione.

*Et omnes, qui Sacerdotes non sunt, idem iuxta Constitutiones curare debent.*

Par. 7 c. 4. §. 3. & lit. A.

17. Omnes Sacerdotes curent, iuxta Constitutiones frequenter orare pro vniuersa Ecclesia, ac pro ijs præsertim, qui maioris sunt momenti ad eius vniuersale bonum, cuiusmodi sunt Principes Ecclesiastici, & sæculares, & alij, qui multum prodesse, vel obesse bono animarum possunt: & pro amicis, & benefactoribus viuentibus, & vita functis, & pro alijs, in quorum auxilium peculiariter ipsi, & reliqui de societate in varijs locis inter fideles, & infideles, incumbunt, & etiam pro male affectis erga nostram Societatem.

Par. 10. lit. B.

*Sacra ex præscripto P. N. Generalis ab vnoquoque Sacerdote Societatis ordinariè facienda.*

18. Vnusquisque Sacerdos singulis mensibus duo Sacra faciat, alterum pro Indijs, & Gentium conuersione: alterum pro regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione, & in alijs sacrificijs, & orationibus eadem Domino commendabit.

19. Singulis hebdomadis vnusquisque sacerdos sacrum vnum ad intentionem Reuerendi Patris nostri Generalis faciat, & in alijs Sacrificijs, & orationibus eandem Domino commẽdabit.

Orationes ex præscripto P. N. Generalis à singulis, qui sacerdotes non sunt ordinari faciendæ.

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, vnam coronam, aut tertiam partem Rosarij pro Indijs, & Gentium conuersione: & alteram coronam, aut tertiam Rosarij partem pro regionibus, Septentrionalibus & Hæreticorum reductione recitent, & in alijs orationibus eadem Domino commendabunt.*

*Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intẽtionem vnam coronam, aut tertiam Rosarij partem recitent, & in alijs orationibus eandem Domino commendabunt.*

*Non intẽdimus per ea, quæ superius recensentur, excludi reliqua sacra, & orationes omnes, quæ pro occurrentibus necessitatibus à Superioribus imponi ad tempus solent.*

---

## REGVLÆ SACERDOTVM.

1. QVæ disciplina religiosa in Regulis, & instituto nostro seruanda omnibus proposita sunt, ea Sacerdotes, pro ratione sui gradus, sibi præcipuè dicta existiment, & obseruent.

2. Diuinum Officium nitantur attentè, deuotè, & opportuno tempore recitare.

3. Ita viuere studeant, vt quotidie meritò celebrare possint; ad idque conducet (quamuis ex * Constitutione octauo vt minimum quoque die confiteri teneantur) sæpius in hebdomada confiteri. ** In ex. c. 4. §. 25.*

4. Cæremonias Missæ ex vsu Romano accuratè vnusquisque obseruet; in eaque celebranda pronunciationem, & quamcunque aliam exteriorem actionem ita moderetur, vt non minus aliorum ædifica- *Par. 4. c. 1. §. 2.*

 tioni,

tioni, quam propriæ deuotioni seruiat, ideo semi-horam in faciendo Sacro nec multum excedat, neque ita breuis sit, vt illam non expleat.

5. Qui in summo Altari Sacra facturi sunt, simul atque campanæ se vocantis pulsum audierint, vel admoniti fuerint, ad vestes sacerdotales induendas se conferant, vt in tempore exire ex Sacristia possint.

*Par. 4. c. 8. §. 6. & lit. F. & can 21. con. 1. & can. 20.* 6. Salutare tradendæ doctrinæ Christianæ ministerium pueris, ac rudibus, quod à sui origine nostra Societas tanto affectu complexa est, pari omnes studio promouere curent.

*cong. 2 pa. 4. c. 1. §. 4. & p. 7. c. 4 §. 8. & lit. F.* 7. Intelligant sibi ratione peculiari incumbere, vt exercitiorum spiritualium, quæ tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, vsum valde familiarem habeant, quo, & alios ad ea suscipienda adducere, & in eo tam vtili armorum spiritualium genere tractando dexteritatem habere possint.

*Par. 7. c. 4. §. 5.* 8. Omnes ij, quibus ex Obedientia confessiones audiendi sanctum munus committitur, multum ad id affici studeant, & tanquam nostri instituti valde proprium magni faciant.

*Ibidem.* 9. Nemo ad confessiones audiendas accedat, nisi à superiore deputatus, & qui simul intelligat, quam facultatem ad hoc munus ab eo habeat.

*Par. 4. c. 1. §. 4. & lit. D.* 10. Modum ea Sacramenta ministrandi quæ sacerdotes nostræ societatis tractare possunt, perspectum omnes habeant, * in eoque vniformes sint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen & rationem absoluendi ab excommunicatione, & alijs censuris, & peccatis, eandem omnes sequantur, attendantque, ne ex modo vtendi facultatibus societatis, Ordinarij, & Parochi iure offendi possint.

** Par 8 c 1. §. 2. & p. 1. §. 9.*

*Par. 4. c. 8. lit D.* 11. In casibus conscientiæ ijsque præsertim qui ad censuras, casus reseruatos, & restitutiones pertinent, sese diligenter exerceant: earumque rerum compendia, & breuem interrogandi methodum, ac contra singulorum peccatorum species, exempla & dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeant.

*Par. 3. c. 1. §. 18. & p. 8. c. 1. §. 8. & p 10. §. 9.* 12. Confessarij inter seipsos, & in modo procedendi cum pœnitentibus conformes esse curent; & quantum res tulerit, ita aliorum Confessariorum existimationi vnusquisque consulat, vt omnes intelligant, mutuo charitatis & vniformis doctrinæ vinculo, Societatis Confessarios in Christo esse colligatos.

13. Vocati ad Ecclesiam ad Confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eo se conferant: & quo maior pœnitentium multitudo

tudo futura est, eo magis tempestiuè ab alijs occupationibus se expediant.

14. In templo confessiones, dum concio fit, vel sacra lectio, nemo audiat.

15. Confessarij ita audiant pœnitentes, vt mutuum aspectum fugiant; sic enim attentius, & liberius audient: quod si locus non erit eiusmodi, vt tabula Confessarium à confitente diuidat, manus interposita inter faciem propriam, & confitentem, qui ad latus esse debet, id præstabit.

16. In audiendis confessionibus, fœminarum præsertim, seueros potius se, quam familiares exhibeant, in vniuersum tamen paterna quædam, & spiritualis grauitas in eis eluceat.

17. Eos, qui crebrius confitentur, maximè fœminas, breuiter expediant, nec de rebus ad confessionem non pertinentibus in confessione loquantur: extra confessionem verò, si oportebit eas alloqui, longum sermonem ne misceant, & oculos modestè demissos habeant.

18. Quando quis à Superiore mittetur ad confessiones fœminarum audiendas, vel alia de causa eas adierit, socius, quem Superior ipsi designabit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, vnde videre eos, sed non, quæ secreta esse oportet, audire possit, quantum loci dispositio patietur; quod si non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus. *Par. 3. c. 1. §. 5.*

19. Particularium personarum, præsertim fœminarum, curam nemo suscipiat: & quamuis Confessarius pro suo munere in vita spirituali pœnitentem instituat, nullius tamen obedientiam admittat. *Par. 9 c. 1. §. 5.*

20. Si quis vni confiteri solitus, ab eodem alium Confessarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit, id sibi gratum esse Confessarius benignè ostendat.

21. Vt sanitatis etiam ratio ad Dei gloriam habeatur, confessiones mane ad horam vsque prandij tantum audiant, ita, vt cum signum primæ mensæ audietur, studeant se ita accommodare, vt ad secundum accedant; nisi fortè pœnitentium necessitas aliud exigat.

22. Nemini aut petere, aut accipere quidquam liceat, siue ab ijs, quorum confessiones audiuerit, siue ab alijs, quod vel in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat; nisi Superior, cum opus esset, secus faciendum iudicaret.

23. Etsi vota ad perfectionis statum pertinentia, vt sancta laudari debent, & circa ea Confessarij consilium, sed magna cum consideratione, dare possint: quia tamen non humanam, sed diuinam vocatio-

nem requirunt, nemo ad ea emittenda quemquam inducat, verum ad orationem tales hortetur, vt à Deo adiuti, vocationem suam melius intelligant, & exequantur.

24. Si quos viderint ad Religionem propensos, non facilè ad vnam potius, quam ad aliam, ad hoc, quam ad illud Monasterium inuitent; sed liberam illis suam electionem relinquant: poterunt tamen petentibus consilium; eas Religiones, vel Monasteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino iudicauerint.

25. Nullus eis, quorum audit confessiones, certum vestimenti genus, hunc aut illum habitum, vel colorem præscribat; tametsi omnes ad honestum, & suo statui conuenientem vestitum hortari possint.

*Par. 7. c. 4 lit. D.* 26. Vt pium est, ad frequenter communicandum fideles exhortari, ita quos ad id propensos viderint, admonere debent, ne crebrius, quam octauo quoque die accedant, præsertim si matrimonio sint coniuncti.

27. Admoneat eos, qui sibi confitentur, à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis inclusiuè, eo tempore (nisi aliud consuetudo loci postulauerit) debere semel in sua Parochia communicare, exceptis Peregrinis, & ijs qui facultatem haberent, & reliquis, quos ius excipit.

*Par. 4. c. 8. §. 7. & lit. G.* 28. Qui vocantur ad iuuandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum est momenti, vsui esse possint, tamdiuque illis adsint, quamdiu sola necessitas postulabit. Cæterum etsi cum opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conueniat, ijs tamen conficiendis non assistant.

---

## REGVLÆ CONCIONATORVM.

1. Regulæ, quæ Sacerdotibus propositæ sunt, eas sibi Concionatores in primis commendatas existiment, nec minore cura, quam cęteri, obseruent.

2. Memores sint vocatos se esse ad reducendas animas suo creatori; quod cum sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeant, quæ instrumentum cum Deo coniungunt: eiusmodi sunt solidæ virtutes, ac præcipuè charitas, pura intentio diuini seruitij, familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam diuinæ maiestatis.

3. Enitantur

3. Enitantur cum Dei gratia esse cæteris exemplo; vt non minus vita, quam doctrina, ad omnem virtutem proximos alliciant. *Par. 7. c. 4. §. 2.*

4. Lectioni S. Scripturæ, ac Patrum præcipuè incumbant: conferet etiam peculiari studio vidisse Euangelia toto anno currentia, & in eis ea, quæ vsui esse possunt, adnotasse: itemque compendium fecisse explicationis rerum ad fidem, & Christianam vitam necessariarum, atque in communes locos redegisse omnia, quæ ad virtutum commendationem, & peccatorum detestationem pertinent. *Par. 4 c. 8. lit. E. & F.*

5. Conferet vidisse præceptiones, si quas de modo concionandi illi tradunt, qui bene hoc munus obierunt; bonos audiuisse Prædicatores, & in concionibus domi, vel in alijs locis minus frequentibus se exercuisse. *Par 4. c. 8. lit. C.*

6. Optare debent, vt admoneantur, si quid in concione corrigendum videbitur ijs, qui à Superiore ad id deputati fuerint & humili, & grato animo id accipere. *Par. 4 c. 8. lit. L.*

7. Ita operam suam in celebrioribus concionibus libenter impendant, * vt non minus se ad docendos pueros, & alios rudes instruendos, faciles, & paratos exhibeant. ** In 1. Bulla nostri instituti, & p. 5. c 3 lit. B. & p. 7 c. 4. §. 7.*

8. Si quando occasio tulerit, vt alios eodem tempore concionari velit, quantum in ipsis erit, libenter cedant.

9. Ea populo proponant; quæ ad captum, & vtilitatem auditorum erunt accommodata, ijsque insistant, quæ ad Christi institutionem, atque ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas valent; & à rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant. *p 4. c. 8. §. 1. & lit. B.*

10. Commendare debent Confessionis, & Eucharistiæ frequentem vsum, in bonis operibus profectum, & perseuerantiam, Ecclesiasticarum cærimoniarum obseruationem, & cætera, quæ ad cultum diuinum pertinent, eamque obedientiam, quæ Principibus & Prælatis, qui Dei in terris vices gerunt, exhibenda est. *In vltimis Regulis libri Exercit. regula 2. Ibidem regula 7.*

11. Commendabunt etiam peculiari ratione pœnitentiæ, & misericordiæ opera, * sanctarum precum, * & aliarum piarum deuotionum exercitia, vtilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem. ** Ibidem reg. 3. * Ibidem reg. 6*

12. Cum experientia doceat, & sanctæ memoriæ Pater Ignatius scriptum reliquerit, nihil vtilitatis percipi ex ijs concionibus, in quibus Principes, & Magistratus Reipub. Prælati, & alij Ecclesiastici in particulari reprehenduntur, Concionatores nostri ab huiusmodi reprehensionibus abstineant. *Ibid reg. 10.*

13. Caueant, ne Religiosos aliorum ordinum, quos revereri, & obseruare debent, etiam tacitè videantur reprehendere: * & quamuis ** Par 3. c. 2. lit. S.*

nostros

nostros ad maiores in virtute progressus excitare possint, præsertim in domesticis exhortationibus: reprehensionem tamen alicuius particularis, vel ipsius Societatis ne attingant.

14. Ne rumoribus populi moueantur, vt noua, & parum confirmata in publicum afferant, & multo minus ea populo proponant, quæ alioqui dubia, & incerta sunt.

15. Curent, vt rationem,& modum,quem obseruare debent in rebus populo denunciandis, & certis pauperibus, alijsque pijs operibus commendandis,à Superiore accipiant.

16. Caueant omnino, ne facetijs, aut inutilium rerum narratione concionem contemptibilem faciant, ijsue auditores ad risum moueant, vel contra, vt ad fletum excitent, spectanda aliqua populo proponant,à communi in Societate concionandi consuetudine aliena,nisi in aliquo particulari casu ad communem ædificationem pertinere,Superior,pro ratione loci,iudicaret.

17. Ea, quæ dicturi sunt, diligenti præmeditatione, & peculiari ad Deum recursu (quatenus per tempus licebit) paranda erunt.

18. Caueant arrogantiam, & ostentationem in concione, humilitatemque,cui ex intimo cordis affectu studere debent,in omni actione præ se ferant: quod si aliquid pro se, aut Societate cogantur respondere,ea modestiâ satisfaciant,vt causam Christi, non suam agere videantur.

Par. 4. c. 8. §. 3. 19. Modus concionandi, qui à Scholastico diuersus esse debet, ita sit ad docendum comparatus, vt ad animorum motum præcipuè dirigatur:cumque quæstio aliqua earum,quæ ad fidem, aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exactè proponantur argumenta, quibus contraria pars confirmatur (nisi auditorium id postulet) vt simpliciores ipso proponendi modo offendi non possint; sed eo pacto res exponatur, vt illi ex data explicatione solutionem eorum, quæ sibi in mentem venerint, aut ab alijs audiuerint, facile colligant.

20. Ne sint affectati,aut verborum lenocinia sectentur, nec studio politioris sermonis eos libros habeant familiares, ex quorũ lectione detrimentum in spiritu accipiant, & seculare aliquid redoleant.

21. In laudibus,& reprehensionibus à nimijs exaggerationibus; & ab omni specie adulationis abstineant.

22. Gestus corporis sit modestus, & in quo grauitas quædam religiosa præcipuè eluceat; vocemque accommodent ad res quas tractabunt;proinde eam,vbi non est opus,ne præter modum extollant,aut deprimant.

23. In

25. In concionibus, & lectionibus templi, spatium horæ ne excedant.

## REGVLÆ

*Eorum, qui in missionibus versantur.*

1. CVm scopus, ad quem tendit Societas, sit varias mundi partes, ex Obedientia Summi Pontificis, vel Superioris Societatis peragrando verbum Dei prædicare, confessiones audire, & reliquis quibuscunque poterit medijs vti ad animas, diuina aspirante gratia, iuuandas; quicunque in huiusmodi missionibus versantur, sibi persuadeant, rem maximi ponderis in Societate sibi commissam esse, atque ita se comparare studeant, vt apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possint. *In Del. proœ. c. 4 lit. A. & p. 6. c. 3. §. 5.*

2. Quia vocationis nostræ est, vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur; vnusquisque paratus esse debet, vt in ea vineæ Christi parte, atque opere se exerceat, quod ipsi commissum fuerit, siue per varia loca discurrendo, siue in quibusdam continenter residendo. *Pa. 3. c. 2. lit. G. & p. 7. c. 1. § 1. & c. 4. §. 1.*

3. Vnusquisque plenam in his, ac liberam sui dispositionem Superiori, qui eum Christi loco dirigit, relinquat: * poterit tamen motus animi, aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere, subijciendo suum sentire, & velle ei, quod ipse in Domino iudicauerit. *P. 9. c. 2 §. 1* *Ibid. lit. K*

4. Ei, qui mittendus erit, plurimum conueniet, vt intelligat à Superioribus scopum suæ missionis, & effectum cuius gratia mittitur; id quod in scriptis, si fieri potest, habere curabit. *P. 7. c. 7. §. 5*

5. Cum oppidatim missi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, quoad fieri poterit, vt more pauperum Euangelium prædicent: * proinde & pedites, vel in toto, vel in parte iter facient, si eos Superior id præstare posse iudicauerit, & ex eleemosynis, vel oblatis, cum ædificatione emendicatis viuent; nisi alia ipsis à Superiore sustentationis ratio sit constituta. *Pa. 7. c. 1. lit. G.* *Can 12. cong. 3.*

6. Si nullum eis à Superiore designatum fuerit hospitium, intelligant sibi ad aliquod hospitale, tanquam ad hospitium pauperum esse diuertendum; si tamen honestum id sit, atque ad exercenda ex eo ministeria Societatis accommodatum; alioqui conuenientius erit, vt in domum pij alicuius, & exemplaris Ecclesiastici, aliumve eiusmodi locum se recipiant, in quo cum ædificatione manere possint.

7. Cum ingressi fuerint loca ea, in quibus ordinarij resident, eos quam primum adeant; suamque operam illis submissè offerant, & facultatem ad exercenda Societatis ministeria modestè, ac religiosè petant, * eosque omnes tam Ecclesiasticos, præcipuè Parochos, quam sæculares, quorum auctoritate, aut fauore opus habent, beneuolos sibi facere studeant.

*P.10.§.11. & lit. B.

8. Cum eo peruenerint, vbi diutius immorari debent, prudenter, ac mature operam dabunt, vt notitiam habeant probatorum virorum, & pietate, ac rebus agendis insigniorum, quorum informatione, vel auxilio iuuari possint ad ministeria Societatis maiore cum fructu animarum exercenda.

P.7.c.2.lit. M.& c.4.§.3. 9. Qui in missione superior erit, initio suscipiendorum operum, vel quando maior subsidij necessitas cernitur, (quod res magni momenti sint, vel difficultates graues incident) applicabit, curabitque applicari Missas & Orationes, vt omnia cedant ad maiorem Dei gloriam & proximorum vtilitatem.

P.7.c.3.§.1. 10. Si ijs, qui mittuntur, non fuerit iniunctum, vt medio aliquo vtantur limitato, quale esset, vel legere, vel prædicare, &c. in ijs tantum se exercebunt, quibus Societas vti solet, iuxta Constitutiones, * conferre tamen illa cum eo Superiore qui eis propior fuerit, semper erit securius.

*Ibidem li. A.

P.4.c.8. 11. Media spiritualia, quibus iuxta institutum Societatis, & beneplacitum Superioris vti poterunt, ferè sunt ministerium verbi Dei in prædicationibus, sacris lectionibus, priuatisve exhortationibus, & colloquiis, Sacramentorum Confessionis, & Eucharistiæ administratio, Exercitiorum spiritualium traditio, dissidentium reconciliatio, casuum conscientiæ ad Ecclesiasticos, eorumque officij magis priuata explicatio, & Christianæ doctrinæ ad pueros, ac alios rudes publica declaratio.

P.7.c.4.§.9. 12. Corporalibus etiam pietatis operibus quantum spiritualia permittent, & vires patientur, incumbere poterunt, vt infirmos, præcipuè in Xenodochijs, per se, vel per alios iuuando, & pauperes, ac in custodijs detentos, quatenus licebit, eodem modo subleuando.

13. Etsi certus ordo in nostris ministerijs exercendi præscribi non potest; plerumque tamen vtilius erit, & securius ab humilioribus inchoare, vt à doctrina Christiana pueris explicanda, ab ægrotis hospitalium inuisendis, eorumque & aliorum magis indigentium confessionibus audiendis.

14. Quamquam humana media non solum spernenda non sunt, sed etiam cum opus est, prudenter, & religiosè adhibenda, diuinis

tamen,

tamen, & nostri instituti magis proprijs præcipuè vtendum est, in eisque magis fidendum; orandusque Deus, vt ijs omnibus det eam efficaciam, quæ sit proposito fini consequendo necessaria.

15. Iuxta eam Charitatis Regulam, qua se Apostolus omnia omnibus faciebat, vt omnes lucrifaceret, expediet nonnunquam vt ingenio eorum, cum quibus agent initio se attemperent (quatenus ratio & virtus ferent) ita tamen vt meminerint ad id tandem eos cum Dei gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre iudicabunt.

16. Eam animi magnitudinem & æquabilitatem retinere studeat, vt & prosperis successibus, & aduersis superiores sint: quo nullo euentu fracti, nec religiosæ modestiæ, nec sanctæ libertatis, nec bonæ de se conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum necessaria est, quicquam amittant.

17. Si quos erga se, aut Societatem malè affectos esse intellexerint (præsertim non vulgaris auctoritatis homines) aut qui nostra ministeria impediant, non solum pro eis orabunt, sed etiam conuenientem aliquam rationem inibunt, vt eos amicos aut saltem non aduersarios faciant. Ad quam rem non parum conferet, si data occasione, instituti nostri rationem illis exponant, nullumq; officij genus prætermittant, quo illos cum opportunum fuerit, syncerè, ac religiosè demereri, & conciliare possint. Par. 10. li. B.

18. Si quando Prælatum aliquem in visitanda diœcesi comitabuntur, nihil se in negotijs ad visitationem spectantibus, alijsve id genus ad iurisdictionem pertinentibus immisceant, sed ijs tantum ministerijs attendant, quæ sunt nostri instituti propria. P. 4. c. 11. §. 5.

19. Quamuis optare debeant, vt in sua quisque vocatione proficiat, æquumque est, vt pro suo munere ad eam rem omnes hortentur; nullam tamen reformandi Cleri, * aut Monialium, aliorumve Religiosorum curæ partem admittant; sic enim fiet, vt & munus suum sine impedimento exequi; & populum ad vberiorem fructum ex visitatione percipiendum sine offensione disponere possint. P. 6. c. 3. §. 5.

20. Cum præter id, quod eis fuerit peculiari ratione iniunctum, res aliqua diuini seruitij se obtulerit, in qua possint sine detrimento suæ missionis suam operam ponere, opportunitatem, quàm Deus ad eam dederit, quantum in eodem conuenire iudicabunt, è manibus elabi non sinent.

21. Si in locis designatis diutius residendum erit, locumque dederint præcipua negotia (quæ nunquam propter alias occasiones, licet bonas, diuini obsequij posthabebunt) excursiones aliquas face- Ibidem.

 re, si

re, si eas cum fructu fore iudicabunt, non erit inconueniens.

22. Sine facultate Superioris nulli Confraternitati, Congregationi ve statuta condent, seu vetus illa sit, seu noua instituenda videatur. De nouo autem instituenda, & quæ nullibi sit in vsu, non prius agent, quam Superiorem consulant.

23. Quæ Deo auctore perficient, ea quantum licebit, ita constituant, vt stabilia sint, & diu durare possint. Quod facilius obtinebunt, si res conuenienti ordine disponant, earumque progressum ijs commendent, quorum exemplo, auctoritate, studio, & diligentia, facilè conseruari, & promoueri possint.

Can. 18. cong 2. Pa.7.c.8.§.2 24 Scribent ad eum, quem designauerit ille, à quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit constitutum, & quantum fieri potest, totius successus eum certiorem reddant, quemadmodum personæ, & negotia exegerint, vt consilio, & alijs iuuari possint.

Pa.3.c.11.§.2. 25. Cum propter nullas occupationes intermittendum sit propriæ perfectionis studium, diligenter animaduertant, ne prætextu procurandæ aliorum salutis, propriæ perfectionis obliuiscantur ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant: sed sæpe illud Domini mente reuoluant: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? sibique illud D. Pauli vnusquisque dictum existimet, Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

26. Hanc ob rem caueant, ne consueta in Collegijs, ac Domibus orandi, & examinandæ conscientiæ exercitia imminuant, nisi si quando necessitas, aut in euentu aliquo, charitas aliud faciendum postularet. Conuersationem cum sæcularibus nimiam non habeant, * P.7.c.4.§.2. aut incautam, aut quæ sæcularem sapiat; * sed in omnibus se integritatis, & grauitatis exemplum præbeant: atque in summa Regularum Societatis, siue earum, quæ omnibus communes sunt, siue quæ ipsorum officij propriæ, quantum locus patitur, obseruationem non prætermittant.

P.7.c.9.§.2. 27. Præter hæc, si pro ratione diuersarum regionum, & missionum qualitate, alia quædam à Superioribus constituenda videbuntur; ea in peculiaribus instructionibus addita, pari diligentia obseruanda erunt.

## REGVLÆ PROCVRATORIS GENERALIS.

1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor sit instituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum inuigilat. Ipse igitur verbo, & exemplo eos omnes ædificet, quibuscum versatur, & in his, quæ ad officium suum spectãt, *fidelitatem, prudentiam, & dexteritatem habere studeat, atque eos (* P.9.c.6.§. 12.) sibi beneuolos conseruet, quorũ opera ad negotia peragẽda indiget.

2. Ad eum pertinent negotia omnia ad expeditiones, lites, & quosuis contractus, sibi à Generali commissos, ineundos spectantia, quæ (Pa.9.c.6.§. 12. & p.4.c. 2. lit.H.) ad vniuersæ Societatis Collegia, vel Domos eius, vel etiam ad particulares personas pertinebunt.

3. Superintendat non solum ijs, quæ à Procuratore, & Solicitatore externo curantur, sed etiam socijs, qui illi dabuntur adiutores, quod (Pa.9.c.6.§. 12. & li.H.) ad negotia attinet; & si qui Romæ fuerint Procuratores Societatis rerum particularium, vel etiam Prouinciarum, ab ipso dirigentur, prout Generali videbitur.

4. Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut grauiora negotia pertineat, incipiet agere, nisi à Præposito Generali, per se, vel per alium (Pa.9.c.3.§. 16.) approbatum sit, & ei commissum, vt exequatur: quod si Generalis rem cõsultatione indigere iudicabit, solicite vt maturè de ea statuatur, præcipuè si res festinatione egere videatur: si quid autem ex ijs, quæ statuuntur, ipsi videretur non conuenire, proponat suam sententiam, & rationes quibus mouetur.

5. Illud verò præcipuè ante oculos habeat, vt antequam litem vl- (Par. 26.) lam intendat, res controuersa (si fieri possit) concordia aut compro- (cong. 2.) missione componatur: si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, vt magnam pacem interius exteriusque custodiat, & semper ad iustam cõcordiam se paratum esse, contrariæ parti innotescat.

6. Curet diligenter, vt rectè, & solidè fiant, quæ expedienda, vel alia ratione agenda erunt: quod si periti iuris, aut curiales consulendi sint, maximè idonei eligentur: idem de officialibus, per quos res est transigenda, intelligatur.

7. Conferat cum Præposito Generali, eique reddat rationem orum, quæ facit, & quo in statu sint negotia, aut illi, qui à Præposito designabitur: quod si rerum difficultas extraordinarium fauorem, aut diligentiam exigere ideatur, eidem significet, & auxilia, quæ opportuna visa erunt, pe at.

8. Rationem quoque reddet status negotiorum, eorumque prosecutionis, vel expeditionis, ijs qui de negotijs scribunt: suas verò literas legendas dabit illi Assistenti, ad cuius Prouinciam negotia pertinebunt.

P. 4. c. 10. §. 5. 9. Rationum libros conficiat, in quibus sigillatim omnia quæ recepit, scribantur, & quas pecunias quibus in rebus expenderit, vt tam clara & distincta ratio dati & accepti sit, vt ipso etiam absente, supputari possit, quid singulæ Prouinciæ, Domus, Collegium, aut particulares personæ dederint, aut debeant Procuratori, aut quid eis à Procuratore debeatur. Quod vt commodius obseruetur, singulis saltem annis ad Natiuitatis Dominicæ festum rationum omnium summam colliget, & scribet, atque ad eos, quorum intererit, mittet: si quid autem pecuniæ supererit, eisdem significabit, vt pro ipsorum arbitrio de ea disponatur.

10. Librum habeat, in quo scribat beneficia omnia Ecclesiastica, quæ singulatum Prouinciarum Collegijs sunt vnita & horum etiam catalogum, vbi tempus, in quo fuit facta vnaquæque vnio, & valor etiam annotetur, animaduertatque, vt antequam adueniat dies præscriptus soluendi quindennia, Rectores Collegiorum, ad quæ huiusmodi vniones pertinent, diligenter admoneat, vt opportuno tempore pecunias Romam mittant.

P. 4. c. 4. lit. E. 11. Curet, vt à Prouincijs mittantur pecuniæ, quas contribuere debent ad sumptus necessarios in Procuratores, & cum opus fuerit, in aduocatos, latores literarum, & alios similes faciendos, vtque Romæ sint eo tempore, quo illis sunt soluendæ, eademque diligentia; quæ sibi deberi ex libro rationum colliget, vt reddantur, curabit.

12. Cum pecunia Procuratori ad negotia conficienda transmittetur, si tantum litteræ banchariæ, quæ de credito dicuntur, mittantur, nihil capiat, nisi quantum & quando pro negotio conficiendo opus erit; si verò banchariæ literæ ad certam aliquam summam, quæ iam alibi soluta est, capiendam missæ fuerint, & ea ipsa iam iam ad negotia expedienda erit necessaria, ne tum quidem à mercatore; præsertim locuplete, & spectatæ fidei educatur, donec numeranda sit: si verò non tam citò erit necessaria, vel de fide mercatoris non tam certò constaret, primo quoque tempore ab eo accepta pecunia, eam, si alicuius momenti fuerit, reponat in arca sub duplici claui, quarum alteram ipse, & alteram diuersam socius habeat.

13. Scripturas, bullas, & breuia authentica, quæ in Archiuio conseruantur, non nisi exigente necessitate accipiet; acceptas verò, quam

primum

primum commodè poterit, reddat, cæteras autem scripturas, Procuratoris instrumenta, literas negotia continentes, quamdiu necessaria fuerint, & demum quæcunque ad officium eius pertinent, & quę nec perpetuò necessaria sunt, nec semper seruanda erunt, ipse custodiat ordinatè, & distinctè, facto eorum omnium inuentario, cubiculumque sit claui obseratum.

14. Informationes ad se missas in omnibus expeditionibus habeat præ oculis, vt ad eas omnino supplicationes conformentur; deinde animaduertat, vt bullæ & breuia, quæ expediuntur, cum supplicationibus concordent.

15. In librum referat summam omnium negotiorum, quæ ei commendantur, resque maioris momenti, quæ in eorum progressu peragentur, ibidem breui, ac dilucido ordine conscribat.

16. Exempla litterarum, quas ad varias Prouincias, & loca scribit de negotijs, in librum peculiarem referat: & cum memorialia, informationes, supplicationes, vel alia scripta alicuius momenti alijs dabit, exemplum eorum apud se seruet.

17. Regulas Cancellariæ habeat, Bullasque & breuia quæ à summo Pontifice fiunt, emat, in eisque animaduertat, quid noui contineatur; quod si in Cœnæ Domini Bulla aliquid adderetur, aut mutaretur, eam statim ad omnes Prouincias transmittat; motus etiam proprios vniuersales, conscio tamen Præposito Generali, Prouincialibus mittet.

18. Cum Præpositus Generalis adire voluerit creatum nouum Pontificem, vt iuxta Constitutiones suæ Sanctitati Obedientiam, votumque Societatis declaret, redigat illi Procurator in memoriam vt videat, an expediat ab eo impetrare confirmationem gratiarum, & priuilegiorum Societatis. P. 7. c. 1. § 1.

19. Subditus sit Superioribus Collegij, præterquam in ijs, quæ ad sui officij executionem spectant.

REGVLÆ

## REGVLÆ PROCVRATORIS DOMVS PROFESSÆ.

1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor sit instituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum inuigilat. Curet igitur ipse verbo, & exemplo præsertim humilitatis, & patientiæ eos omnes ædificare, quibuscum conuersatur, atque eos sibi beneuolos conseruare, quorum opera ad negotia peragenda indiget; & cum oportuerit, de instituti nostri ratione illos informet.

Pa.6. c.2.§.10. 2. Quærat diligenter eleemosynas, easque simpliciter, & amore Domini petat, nec non & eas augere, ac conseruare studeat, opportuneque eos visitet, à quibus petendæ erunt.

3. Habeat catalogum eorum, qui ordinariè, & extraordinariè eleemosynas faciunt, & de his certiorem faciat Superiorem, ac videat, ne sua negligentia aliquos prætermittat, quorum beneficio domus iuuari possit.

4. Animaduertat, quid, à quibus petere debet, iuxta id quod vnusquisque facilius, & commodius suo tempore dare possit; & caueat ne in petendis eleemosynis grauis, vel molestus externis sit, ita vt ad eos, cum oportuerit, gratus semper pateat aditus nostrorum.

Pa.6. c.2.§.11. 5. Habeat socium à superiore designatum, cuius opera vtatur in his, quæ ad suum officium pertinent, præter alium (vbi opus erit) qui in virtute, & conuersatione probatus, possit eleemosynas ordinarias per domos colligere.

6. Procuratoris erit, quascumque eleemosynas recipere, & quæcunque afferuntur domum, in libro quodam ad id designato, quotidie scribere.

In ex.c.2.§.3.& p6 c2 §.6.& 7. 7. Videat in quærendis, vel admittendis eleemosynis, ne præiudicium fiat puritati nostri instituti, quod attinet ad eius ministeria, gratis omnino exercenda.

8. Penuria vndecunque prouenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio Superioris in arca reponatur ad id designata, cuius præpositus clauem vnam, & ipse Procurator alteram diuersam custodiat: in eadem liber asseruabitur, in quo scribetur pecuniæ summa, tam eius quæ infertur, quam eius quæ effertur; si quando autem cogente aliqua necessitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti, & expensi summa semel in hebdomada in eodem libro scribatur, ac si in eo reponeretur.

9. Quoties ex arca pecuniam accipiet, eius summam, & diem in libro suarum rationum adscribat, in altera verò parte libri, expensi ratio constet.

10. Procurator in libro ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quæ vnusquisque Nouitiorum domum attulerit, cum eiusdem subscriptione, & ea Custodi vestium asseruanda tradat, nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, vbi pecuniæ domus reponuntur, donec, biennio expleto, Nouitius consueta vota Societatis emittat. *In ex. c. 4. §. 4. & p. 1. c. 4. §. 5.*

11. Singulis mensibus dati, & accepti rationem Superiori reddet, & debita etiam indicabit, quo ipse domus statum prorsus intelligat. *Par. 4. c. 2. §. 6.*

12. Diligenti cura asseruabit in Archiuio ad hoc designato instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de iure eorum, quæ domus ad vsum, & propriam habitationem possidet, suis locis reposita, vt facilè inueniri possint. Archiuij autem duæ claues diuersæ erunt, quarum alteram Præpositus, alteram ipse habebit Procurator.

13. Item seorsum habebit hæc eadem instrumenta, & titulos manu Notarij publici subscriptos; vt fidem faciant, si aliquando in iudicio præsentari necesse sit.

14. Præter hæc Procurator librum habebit, in quo summa quædam horum instrumentorum, & titulorum contineatur: cùm autem contractus maioris momenti, præsertim rerum perpetuarum, fient, redigat in memoriã Præposito ad Archiuium, quod est in vrbe penes præpositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.

15. Cubiculum claui obseratum habeat, & asseruabit scripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit, cumque aliquas ex Archiuio accipiet, earum in libro, qui in eodem Archiuio erit, annotato die, mense, & anno, memoriam relinquet, quas, cum suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

16. Cum toti domui necessaria prouidere ipse debeat, iuxta Superioris ordinem, curet, vt res omnes, præcipuè diu duraturæ, quam opportunè emantur; ne aut non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare: caueat etiam ne dum nimium pecuniæ parcit, non bonas, aut insalubres res emat.

17. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, à quo singulis diebus expensarum exiget rationem ex codice; summam verò in librum suum ipse referet.

18. Videat num ea, quæ empta sunt, illæsa conseruentur, atque animaduertens aliqua, non vt oportet conseruari, aut expendi, Superiorem, vel Ministrum admoneat.

## REGVLÆ PROCVRATORIS COLLEGII, ET DOMVS PROBATIONIS.

1. IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor sit instituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum inuigilat. Curet igitur ipse verbo, & exemplo eos omnes ædificare, quibuscum conuersatur, atque eos sibi beneuolos conseruare, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

*Par. 3. c. 2. §. 7.* 2. Procuratoris erit conseruare res temporales suæ curæ commissas, & eas curare, tanquam bona propria Domini nostri Iesu Christi. Cum autem toti Collegio necessaria prouidere ipse debeat, iuxta Superioris ordinem, ad eum pertinebit prouentus quoscumque Collegij, vel domus probationis, & eleemosynas, vbi petendas à Rectore intellexerit, exigere ac recipere: syngraphas verò solutionis, quando opus erit, ipse dabit subscriptas à Rectore, aut à se illius commissione.

3. Omnes Collegij prouentus, & tempora, quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribet, & seorsum summam contractuum & locationum, quæ ad breue tempus sunt: seorsum etiam quascumque res, aut pecunias ex fructibus Collegij perceperit, addito à quibus, & quando ea prouenerint: eleemosynæ autem alio in loco scribantur.

*Par. 4. c. 2. §. 3.* 4. Singulis mensibus dari & accepti rationem Rectori reddet, debitaque, & credita Collegij indicabit, quo ipse domus statum prorsus intelligat.

5. Pecunia, vndecumque ea prouenerit, si alicuius momenti fuerit, indicio Superioris, in arca reponetur ad id designata; huius Rector clauem vnam, & ipse Procurator alteram diuersam custodiat: in eadem liber asseruabitur, in quo scribetur pecuniæ summa, tam eius quæ infertur, quam eius, quæ effertur: si quando autem cogente aliqua necessitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti, & expensi summa in eodem libro statim scribatur, ac si in ea reponeretur.

6. Quoties ex arca pecuniam accipiet, eius summam, & diem in libro suarum rationum adscribat; in alia verò parte libri expensi ratio constet.

7. Procu-

7. Procurator in libro ad hoc designato, quem penes se habere debet, scribat omnia, quæ vnusquisque Nouitiorum domum attulerit, cum eiusdem subscriptione, & ea Custodi vestium asseruanda tradet, nisi sit pecunia, quam separatim custodiet in arca, vbi pecuniæ Collegij reponuntur, donec biennio expleto, Nouitius consueta vota Societatis emittat. *In ex. c. 4. §. 4. & p. 1. c. 4. §. 6.*

8. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit; à quo singulis diebus expensarum exiget rationem ex codice; summam verò in librum suum ipse referet.

9. Curet, vt res omnes, præcipuè diu duraturæ, quam opportunè emantur, ne has non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare; caueat etiam ne dum nimium pecuniæ parcit non bonas, aut insalubres res emat.

10. Videat num ea, quæ empta sunt, illæsa conseruentur, atque animaduertens aliqua, non vt oportet conseruari, aut expendi, Superiorem, vel Ministrum admoneat.

11. Aduertat, num ea, quæ à Collegio possidentur, reparatione indigeant, seu domus, seu prædia, seu quiduis aliud, vt ad Superiorem referat: si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

12. Omnia, quæ speciem habent secularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & similibus, intelligat prohibita esse nostris. *Can. 25. Cong. 2.*

13. Nihil, quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicuius momenti negotia pertineat, faciat, nisi ipsi à Superiore commissum sit: si quid autem ex ijs, quæ iubentur, ipsi videretur non expedire, eidem proponat modestè suam sententiam, & rationes, quibus moueatur.

14. Excipiet in codicem lites; si quæ fortè erunt, & quæ grauioris momenti circa eas fient, continenter, & summatim annotabit.

15. In tribunalibus iudicum non compareat, nisi quando aliqua necessitas plurimùm vrgere Superiori videretur, sed per externos Procuratores nostra negotia in publicis iudicijs peragantur.

16. Illud verò præcipuè ante oculos habeat, vt antequam litem vllam intendat, res controuersa (si fieri possit) concordia aut compromissione, consulto Superiore, componatur: si quando tamen ad litem descendendum erit, memor sit, vt magnam pacem interius exteriusque custodiat, & semper ad iustam concordiam ipsum paratum esse contrariæ parti innotescat.

17. Curet diligenter, vt rectè, & solidè fiant, quæ expediendæ erunt,

quod si periti iuris consulendi sint, maximè idoneos eligat. Idem de cæteris officialibus dictum intelligatur.

18. Conferat cum Superiore, eique reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in statu sint negotia, aut ei, quem ille designabit: quod si rerum difficultas extraordinarium fauorem, aut diligentiam exigere videatur, eidem significet, vt auxilia, quæ opportuna visa erunt, petantur.

19. Diligenti cura asseruabit in archiuio ad hoc designato instrumenta originalia, & titulos, quibus constat de iure eorum, quæ à Collegio possidentur, suis locis reposita, vt facilè inueniri possint. Archiuij autem duæ claues diuersæ erunt, quarum alteram Rector, alteram ipse habebit Procurator.

20. Seorsum habebit hæc eadem instrumenta, & titulos manu Notarij publici subscriptos, vt fidem faciant, si aliquando in iudicio præsentari necesse sit.

21. Præter hęc Procurator librum habebit, in quo summa quędam horum instrumentorum, & titulorum contineatur: cum autem contractus maioris momenti, præsertim rerum perpetuarum, fient, redigat in memoriam Rectori ad archiuium, quod est in Vrbe penes Præpositum Generalem, eorum exempla authentica mittenda esse.

22. Cubiculum claui obseratum habeat, & asseruabit scripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit: cumque aliquas ex archiuio accipiet, earum in libro, qui in eodem archiuio erit, notato die, mense, & anno, memoriam relinquet; quas, cum suo tempore restituet, ex eodem libro expunget.

23. In libellum referet quæcumque à Superiore ipsi facienda iniungentur, ne memoria excidant, & effectu frustrentur.

24. Intelligat, qui sint potissimum, qui beneficia magni momenti in Collegium contulerunt, & eorum catalogum habeat, & Superiorem certiorem faciat, vt iuxta modum professionis nostræ, grati in illos esse possimus.

---

## REGVLÆ PRÆFECTI LECTORVM AD MENSAM.

1. CVret, vt idonei in lectores mensæ à Superiore destinentur, & eos instruat, vt alta, clara, & distincta voce legant.

2. Det operam, vt lector præuideat diligenter lectionem, vt bene, & emendatè proferat, & in dubijs ad se recurrat.

3. Admo-

3. Admoneat lectorem, vt si quid perperam pronunciauerit, correctus repetat, & emendatè iterum proferat.
4. Habeat à Superiore assignatos sibi socios, vt in neutra mensa desit, qui lectorem corrigat, eosque iuxta has Regulas instruat.
5. Initio lectionis in prima, atque etiam (nisi nostrorum paucitas aliud suaserit) in secunda mensa in prandio, & cœna legatur caput de Scriptura sacra noui vel veteris testamenti, cui succedat semper aliquis liber pius ac facilis iuxta indicem inferius præscriptum, & habeatur peculiaris ratio Coadiutorum, vt pro arbitrio Superiorum aliquid vernacula lingua ad illorum etiam consolationem legatur.
6. In celebrioribus festis legatur aliquid, omisso capitulo scripturæ, ex Patrum homilijs, & tractatibus, quod ad historiam & celebritatem festi pertineat, & à dominica in passione vsque ad Pascha, post lectionem scripturæ de passione Domini, tractatus aliquot de eadem legantur.
7. Cum afferuntur literæ annuæ, & Indicæ, quam primum legantur.
8. Initio cuiuscunque mẽsis Summarium Constitutionum, Regulæ communes, & Epistola P. N. Ignatij de Obedientia legantur.
9. Vesperi absoluta lectione, seu prædicatione legatur martyrologium vulgare sequentis diei: quo vero die fit abstinentia, caput aliquod ex libro de imitatione Christi, cum martyrologio: cum vero ieiunatur, nihil legatur vesperi, sed martyrologium legatur ad prandium.

*Libri diuinæ Scripturæ, qui in refectorio legentur.*

Ex nouo Testamento, omnia integrè legentur.
Ex veteri, Pentateuchus, præter Leuiticum.
Historiales omnes, & Sapientiales, præter Cantica.
Prophetales, præter capita aliquot obscuriora.

*Libri, qui post lectionem Scripturæ legi possunt.*

Historia Ecclesiastica Eusebij Cæsariensis.
Historia Ecclesiastica Nicephori Calisti.
D. Gregorij Dialogi.
Historia Ecclesiastica Bedæ.
Vitæ Sanctorum Aloysij Lipomani.
Vitæ Sanctorum Surij.

Seuerus Sulpitius de B. Martino.
Gregorius Turonensis de gloria Confessorum.
Selectæ epistolæ D. Hieronymi.
Chrysostomus de orando Deum, de prouidentia, & de Sacerdotio.
Ambrosius de fuga sęculi, de bono Mortis.
Augustini sermones, Meditationes, Confessiones, & alia eiusdem opuscula, & tractatus.
D. Bernardus de interiori domo, & aliqui sermones & tractatus.
Homiliæ Patrum selectæ.
D. Bonauenturæ stimulus diuini amoris.
Thomas de Kempis de imitatione Christi, & aliquot ex eiusdem auctoris opusculis.
Catechismus Romanus.
Literæ Indicæ.

10. Præter hos libros poterunt quidem alij legi tum vulgares, tum Latini, sed examinati, & approbati à Prouinciali, atque illi esse debent, qui & pietatem promoueant, & vocationis propriæ propositum confirmare possint.

11. De singulis libris suo tempore prælegendis in mensa iuxta indicem præscriptum, prius conferet cum Superiore, vt ille constituat, quid legendum sit.

12. Catalogum à Superiore habeat eorum, qui in refectorio commodè concionari poterunt, ex quibus Superior ipse eligat, qui statis diebus concionentur, & eos præscripto tempore admonebit, qua de re sint concionaturi.

---

## REGVLÆ PRÆFECTI SANITATIS.

*Par. 3. c. 2. §. 6.* 1. PRæfecti sanitatis munus erit superintendere ijs, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent conseruandam in sanis, (in ijs præsertim, qui ex ætate, aut alijs de causis sunt debiliores) tum restituendam in ægrotantibus.

2. Præsit Infirmario, & cæteris quibus cura ægrotorum commissa erit, * detque operam, ne desit Medicus, adsitque eo veniente, præsertim vbi morbi qualitas id postulauerit, & quicquid ab eo præscriptum fuerit, studeat, vt executioni mandetur; & vbi videret ægrotorum cubicula salubria non esse, ad Superiorem referat.

** Par. 8. c. 2. lit. G.*

3. Obseruet,

3. Obseruet, num quis ex nimia fatigatione corporis, aut spiritus plus æquo laboret, vel alia de causa morbi periculo se exponat, & Superiori significet.
4. Si in cibis, aëre, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animaduertat, quod communi omnium, vel alicuius saluti prodesse, vel obesse possit, Superiorem admoneat.
5. Curet, vt infirmarius Regulas suas obseruet, quas apud se etiam habebit.

---

## REGVLÆ PRÆFECTI BIBLIOTHECÆ.

1. INdicem librorum prohibitorum in Bibliotheca habeat, & videat, ne fortè vllus sit inter eos ex prohibitis, aut alijs, quorum vsus communis esse non debet.
2. Bibliotheca clausa sit, cuius claues ipse habeat & illis tradat, qui eas, iuxta Superioris iudicium, habere debebunt. *Par. 4. c. 6. §. 7.*
3. Libri omnes eo ordine in Bibliotheca collocentur, vt singulis facultatibus suus certus sit locus proprio titulo inscriptus.
4. Singuli libri titulis exterius inscribantur, vt facilè cognosci possint.
5. Omnium librorum, qui domi sunt, catalogum habeat, diuersarum facultatum auctoribus ordine alphabetico in diuersas classes distributis.
6. In alio catalogo, diuisis etiam per classes facultatibus, ij libri scribantur, qui in nostrorum vsum extra Bibliothecam concessi sunt; qui verò intra dies octo restituendi extrahuntur, in tabula in hunc vsum parieti appensa notentur: quibus redditis, quod fuerat scriptum, deleatur.
7. Nullum librum ex Bibliotheca cuipiam dabit sine Superioris licentia speciali, aut generali, & aduertat, ne quis librum, etiam cum licentia, se inscio accipiat.
8. Curet, vt Bibliotheca valde munda, & composita sit, quam in hebdomada bis verret, & semel ex libris puluerem excutiet: cauere etiam debet, ne libri humiditate, aut alia re lædantur.
9. Quando intellexerit domi deesse aliquos libros necessarios, aut aliquos valde vtiles in lucem editos esse, certiorem faciat Superiorem, vt si illi visum fuerit, ematur: si verò domi libri inutiles fuerint, eundem admoneat, an cum alijs melioribus commutandi sint.

10. In

10. In loco publico, præsertim in magnis Collegijs, sint quidam communiores libri, quibus vnusquisque, pro ratione suorum studiorum, vti possit.

11. Habeat librum, in quo ea omnia iudicio Superioris selecta diligenter scribantur, quæ in suo Collegio publicè exhibentur, vt Comediæ, Dialogi, Orationes, & id genus alia: Conclusiones verò singulorum annorum, quæ publicè defendentur, simul consutas in Bibliotheca asseruet.

12. Si aliqui libri extra domum accommodato darentur, adhibeat diligentiam vt recuperentur suo tempore, & in aliquo interim libro notabit, quinam illi libri sint, & quibus eos accommodauerit.

---

## REGVLÆ SVBMINISTRI.

1. Svbminister est instrumentum Ministri, & aliorum Superiorum, ad res particulares obeundas, & executioni mandandas.

2. Nihil ordinat, sed tantum est executor, & exactor actionum domesticarum, iuxta modum & ordinem sibi à Superioribus præscriptum.

3. Est eius præcipua cura, vt omnia, quæ attinent ad culinam, refectorium, penum, cellam vinariam, & aquariam, bene, & ordine, & tempore suo parata sint, & ministrentur; videatque vt cubicula sint decenter composita, quæ alternis saltem diebus visitabit.

4. Curet, ne nostri per domum vel Collegium vagentur, vel intempestiuè colloquantur; ac denique vt vnusquisque in suo officio versetur, & contineatur.

5. Referet de omnibus rebus quotidie ad Ministrum, ad Præpositum verò vel Rectorem, quoties eis visum fuerit.

6. Nullam iniunget pœnitentiam, sed de defectibus domesticis admoneat Ministrum, vel alium Superiorem: poterit tamen impositas pœnitentias nomine alicuius Superioris alijs denunciare.

7. Erit Superior nostrorum, qui Sacerdotes non sunt: Sacerdotibus tamen aliquid iniungere poterit nomine alicuius Superioris.

REGVLÆ

## REGVLÆ ÆDITVI.

1. PRæfecto Ecclesiæ obediat in omnibus quæ ad templi ministerium pertinent.
2. Seruet modestiam in incessu, vultu sermoneque tam in templo, quam in sacristia: ijs verò, qui aliquid exigunt, satisfacere cum ædificatione studeat per se, vel ad Præfectum recurrendo, aut ipsos ad eum remittendo: si quando verò necesse erit cum mulieribus loqui, id oculis demissis, & quam breuissimè faciat.
3. Dum Sacris inseruit, attentus ad suum ministerium cum deuotione, & ędificatione sit. Nec ante eum qui celebrat, aut ad latus ex æquo: sed aliquantò posterius maneat: vtatur vero tono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos vtitur: omnia rectè proferat, nec celeriter nimium, nec nimis lente. Denique in ijs sit benę instructus, & cæteros, qui Sacerdotibus ministrabunt, eadem doceat.
4. Curet, vt vestimenta, quibus sacrum facturus induitur, sint rectè aptata, ipsumque circumquaque intueatur, antequam è sacristia exeat.
5. Diligenter det operam, vt Sacerdotes, qui sacrum facere volunt, quam primùm ministros habeant iuxta ordinem sibi à Superiore præscriptum, & quotidie vnumquemque eorum, qui ordine in summo Altari Missas dicturi sunt, opportuno tempore admoneat.
6. Tot habebit appensa sudariola in sacristia, quot fuerint domi Sacerdotes, inscriptis singulorum nominibus, & addito vno, vel pluribus pro extraordinarijs.
7. Dum Sacra fiunt, accendat vt minimum, candelas duas, & cum sanctissimum Sacramentum eleuatur, facem aut cereum: quo tempore etiam tintinnabulum pulset: accendet etiam facem, cum alijs sanctissimum Sacramentum ministrabitur, ipseque confessionem generalem eorum vice recitabit.
8. Curet, vt vinum, quod in Sacrificium paratur, sit bonum, & merum, ac mundum, eoque ipso die haustum: similiter & aqua, & ampullæ sint mundæ, & decenter coopertæ.
9. Hostias faciat, quàm fieri poterit, pulchras, eo numero, vt & Missis, & communionibus sufficiant.

10. Ante Missas,& conciones, ac lectiones,pulset campanam,prout sibi præscriptum erit:det etiam signum salutationis B. Mariæ in aurora, in meridie, & vesperi: det etiam signum, cum primum quis ex nostris vita functus fuerit: vt omnes, pro cuiusque deuotione illius animam Deo commendent.

11. Si quando propter vniuersalem aliquam causam in reliquis Ecclesijs campanæ pulsentur, ipse etiam iuxta Superioris præscriptum pulsabit.

12. Pridie quam sit habenda concio, disponat scamna in templo, iuxta solitum morem.

13. Det operam,vt nullo modo lumen desit ante sanctissimum Sacramentum,neque interdiu,neque noctu.

14. Ex ijs Sacerdotibuos,quos habet à Superiore designatos, vocet diligenter ad templum qui nominatim petuntur ad confessiones audiendas: quod si nominatim non petuntur, eos iuxta ordinem sibi præscriptum accersat, & quantum in ipso est, det operam, vt omnibus,qui confiteri volunt,satisfiat.

15. Si qui Missas, aut orationes petant, ad Præfectum recurrat, vel ad eum illos remittat.

16. Si quis aliquid quæreret,in quo ei à Ianitore melius satisfieret, eum ad portam domus remittat, & eos etiam, qui per portam, qua à templo in domum patet aditus, ingredi vellent; nisi viri essent eiusmodi, vt eorum peculiaris esset habenda ratio, prout à Superiore fuerit instructus: nunquam autem porta ea aperta relinquatur.

17. Curet,vt nunquam illic aqua desit, vbi lauantur manus:& sint lintea conuenienter munda pro sacerdotibus,ad manus solas ante,& post Sacrum extergendas.

18. Prouideat, vt aqua benedicta in pila non desit.

*In ex. c. 1. §.3. & p. 6. c. 2. §.7.* 19. Si quando eleemosynæ Missarum, vel Confessionum gratia offeruntur, eas non admittat:si quid tamen alioqui in Altaribus, aut alijs templi locis repererit, aut in vsum templi oblatum fuerit, id Præfecto tradet.

20. Templi portas mane,sed non ante auroram aperiat;easdemque vesperi circa solis occasum diligenter obseret;quod etiam faciet circa meridiem,nisi Superior in casu aliquo secus faciendum iudicaret; & quotidie noctu claues Ecclesiæ ad Superiorem deferat.

21. Quamdiu templum erit apertum, diligenter curet, ne nunquam sine custode relinquatur, sed semper, aut ipse, aut alius in eo sit, vel in sacristia, ita vt & videre templum, & custodire possit.

22. Aduertat, ne quis in templo deambulet, neve strepitus in eo audiatur:

audiatur: eos verò, qui loquentur altius, modestè, vt decet, admonebit.
23. Det operam diligenter, vt altaria sint munda, & bene pręparata, & pro ratione temporum ornata, atque vt vasa sacra, ornamenta, & cętera omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, in suis locis aptè, & decenter reponantur, & conseruentur.
24. Videat, vt templum sit mundum, & bis singulis hebdomadis, ac sæpius, si necesse sit, præsertim in festorum solemnium vigilijs, scopis mundetur: canes etiam ex templo abigat.

---

## REGVLÆ INFIRMARII.

1. CVram habeat infirmorum, quorum ægritudo simul atque ei indicata fuerit, si censeret rem esse alicuius momenti, Præfectum, & Superiorem admoneat. *Par. 3. c. 2. lit. G.*
2. Cum quis in morbum incidit, à Superiore intelligat, num statim Medicus vocandus sit, qui vnus ordinariè esse debet, nisi ingrauescente morbo, aut in quibusdam alijs casibus, alio Medico opus esse Superior iudicauerit: & quoties Medicus ęgrotos inuiset, adsit ipse. *Ibidem.*
3. Studeat, vt quæ ægrotanti danda sunt, & opportune emantur, & bona sint, & bene præparata administrentur.
4. Curet, vt ęgrotorum cubicula sint valde munda; lecti concinne sternantur, & ramusculis, & huiusmodi alijs decumbentes oblectet.
5. Ægrotum consolari, & exhilarare studeat, non solum rebus à Medico probatis, sed verbis etiam spiritualibus, & lætis: habeat etiam libros, quorum lectione ægroti recreari, & iuuari in spiritu possint.
6. Intelligat à Superiore, quos ex nostris ad ægrotos inuisendos, ac recreandos accersere debeat, caueat autem, ne dum infirmis placere studet, aliquid fiat, quod eis nocere vlla ratione possit.
7. Medicinalia, & cuncta, quæ ægrotantium vsui necessaria sunt, habere ipse debet, nisi Pharmacopola domi sit, & in loco conuenienti ea custodire & sæpius reuisere, vt incorrupta conseruentur: & quando opus fuerit, vt de nouo suo tempore conficiantur, curare iuxta ordinem Superioris.
8. Nihil omnino eorum, quæ à Medico præscribentur, prætermittat, aut mutet: ordinem etiam obseruet temporum præfixorum, qui- *Par. 3. c. 2. lit. G.*

bus

bus prandium, cœnam, syrupum, cæteraque medicamenta det, omnia scripto excipiens, quæ Medicus præscripserit.

9. Aduertat, quo die quis cœperit ægrotare, & qua hora febres ęgrotum & corripiant, & deserant; tum vt Medicum, & Superiorem admoneat, tum vt cibum tempestiuè præbeat.

10. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

11. Conualescentes è lecto surgere non permittat, priusquam id Medicus concesserit, & operam det: vt ea conualescentibus præbeantur, quæ Medicus præscripserit, quoad Superiori satis visum fuerit.

12. Patienter & cum charitate tum ipse, tum socij eius ferant molestias, & difficultates, quæ interdum in curandis infirmis accidere solent. Quemadmodum autem diligenter curare debet, ne debita ministeria ęgrotis desint, ita etiam animaduertere, ne nimiæ vigiliæ, immoderatique labores, aut morbi contagio, vel propriæ ipsius, vel sociorum saluti noceant.

Par. 6. c. 4. §. 1. 13. Cum grauitas morbi id postulauerit, Superiorem certiorem reddat, vt ægrotus, antequam iudicij vsu priuetur, omnia Sacramenta accipiat: quod si ægrotus, diu licet, sine periculo decumbat, curet vt octauo quoque die pro more Societatis communicet, ne huiusmodi spirituali fructu, & consolatione priuetur, nisi aliqua ratio iudicio Superioris impediat.

Par. 6. c. 4. §. 2. 14. Ingrauescente morbo Superiorem admoneat, vt orationibus omnium domesticorum valde peculiaribus infirmum iuuari faciat: idque eo magis, quo morti propinquiorem videret: & vt morienti, quo plures poterunt, ex nostris adsint, qui animosiorem reddant, ijsque auxilijs iuuent, quæ eo tempore conuenient, ac cum primum vita functus fuerit, Ædituum admoneat.

Par. 6. c. 4. §. 3. lit. B. 15. Prouideat, vt eorum corpora, qui ad meliorem vitam migrarint, ad sepulturam consueto regionis more præparentur, & vt spatio diei naturalis decenter teneantur, nisi ratione mali odoris anteuerti posse hoc tempus Superiori videretur.

16. Præfecto sanitatis obediat in omnibus, quæ ad hoc officium pertinent, qui si nullus fuerit constitutus, Præfecti munere ipse fungatur.

REGVLÆ

## REGVLÆ IANITORIS.

1. NOmina omnium domesticorum prope ostium domus in tabula scripta sint, vbi horis quibusdam illi designabuntur, qui egredientur: * neminem verò foras exire permittat, qui facultatem à Superiore generalem aut particularem non habeat: & ab ijs, qui egrediuntur, quo eant, intelligat. * *Par. 3. c. 1. §. 2.*

2. Nihil cuiquam nunciabit intempestiuè, vt cum in mensa sedetur, nisi aut res esset necessaria, aut personæ mittentis conditio aliud exigeret.

3. Literas omnes, & schedulas, quæ domesticis mittuntur, Superiori tradat, ij verò, ad quos dabuntur, eas esse acceptas ne intelligant: caueat etiam ne alicuius domestici literas, aut quid simile externis det iniussu Superioris.

4. Cum aliqui ex Societate peregrè veniunt, ianuam ingressis dicat, vt illic expectent, dum Superior de aduentu eorum fit certior.

5. Festinet ad ianuam, cum tintinnabulum pulsari audit, & cum res patietur, per fenestellam venientes expediat: porta non aperta.

6. Si quis ab externis quæratur, qui domi non sit, modestè intelligat, quis sit ille qui petit, & quid velit, vt id redeunti, si opus sit, cum facultate Superioris significare possit.

7. Talem cum omnibus conuersandi modum teneat, vt discretione, modestia, & spiritualibus verbis singulos ędificatos, & contentos à se dimittere studeat.

8. Cum externi aliquem è nostris alloqui volent, Superiorem adibit, qui si ad id facultatem dederit, diligenter eum, qui petitur, quæret, & ad locum colloquijs destinatum, eos remittet.

9. De eleemosynis, quæ ad ianuam mittentur, Superioris mentem intelligat, illiusque ordinem sequatur, & si alicuius momenti sint, Procuratorem certiorem faciat.

10. Si quando Prælati, aut Magnates domum intrarint, curet si commode possit, vt Sacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem ipse accersit.

11. Cum pauperes eleemosynæ causa ad ianuam accedunt, benigne respondeat, & sedulo quærat, quidnam eis erogari possit iuxta Superioris arbitrium, idque illis cum charitate distribuat.

12 Mulieres, si quando ad ostium accedunt, paucis verbis dimittat, aut si pluribus opus esse videretur, in Ecclesiam eas mittat ad Æditùum, vbi responderi ipsis poterit.

13. Obserata semper ianua sit, clauisque in porta ne relinquatur; loca etiam portæ vicina munda seruet, & vt iuxta ianuam omnes submissa voce loquantur, curet.

14. Portas domus ante noctem claudat; exinde vero eas nullius causa apetiat, nisi de Præpositi vel Rectoris expressa licentia: & antequam cubitum eat, claues eidem tradens, si quis foris maneat, illi renunciabit.

15. Nihil custodiendum à quoquam externo recipiat, absque Superioris iussu.

16. Quoties Medicus domum ingredietur, signum dabit campana; vt Minister, & cæteri qui debent, adesse possint.

17. In Collegijs, in quibus Scholæ externis aperiuntur, signum campana dabit pro initio lectionum, ac fine: & Gymnasia statis temporibus aperiet, atque claudet, nisi horum cura alijs demandetur.

---

## REGVLÆ CVSTODIS VESTIVM.

1. SEruare debet omnem supellectilem, siue lineam, siue laneam, & quicquid ad indumenta, & vbi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet; quæ diligenti cura, vt rem pauperum Christi, custodiet.

2. Inuentarium rerum, quas ipse custodit, si alicuius momenti sint, in libro habeat, & seorsum scribat, quæ de nouo fiant, addito die, mense, & anno, vt cum à Superiore iubebitur, possit sui muneris rationem reddere.

3. Vestes ordine dispositas seruet, & nouas, & integras à vetustioribus seiungat, & ne corrumpantur, videat: eas etiam aptandas, & resarciendas curet, vt decet religiosam paupertatem; quas verò non amplius vsui nostrorum futuras iudicabit, eas Superiori ostendat, vt ille, quid de eis faciendum sit, statuat.

*In ex. c. 4. § 4. & p. 1. c. 4. § 6.* 4. Quæ singuli Nouitij domum attulerunt, ea alicubi separatim asseruabit, inscripto nomine eius qui attulit; donec biennio expleto, consueta vota Societatis emittat.

5. Singulis mensibus omnia domus visitabit cubicula; vt ex Superioris

rioris arbitrio, si quid eis desit, suppleri possit; si quid etiam superfluum inuenerit, in vestiaria officina custodiatur.
6. Inspiciat etiam quinam vestibus indigeant, vt Superiori dicat, eiusque ordinem exequatur, eo vero inconsulto nihil cuiquam dabit. * Coadiutores autem temporales *sottanis* dimidio palmo breuioribus, quàm Sacerdotes, & pallio *sottanis* breuiori vtantur. *Can. 23. cong. 1.
7. Linei panni lotori, siue externus ille sit, siue domesticus, scripto numero dentur, & recipiantur.
8. Subuculæ singulorum, quæ staturæ induentium conuenire debent, signis particularibus internoscantur, ne permisceri contingat.
9. Pannos lineos, omnes, quos vtendos Refectorij Præfecto, Coquo, alijsque ministris diuidet, numerato det, & recipiat.
10. Sabbati vespere linea munda per omnia cubicula distribuat: Dominica verò die manè ex ijsdem cubiculis immunda colligat; & an omnia, quæ dederat, recipiat, animaduertat.
11. Æstiuo tempore linteamina munda pro lectis decimoquinto quoque die; hyberno vero post tres hebdomadas distribuat, vbi id fieri poterit.
12. Hæc omnia custos vestium præstabit, nisi eius officium in magno aliquo Collegio, aut domo in plures personas distribuere necesse sit.

---

## REGVLÆ EMPTORIS.

1. DIligens sit in emendis ijs, quæ ad quotidianum vsum, Superioris arbitrio, domum comportanda sunt, eaque tempestiuè Dispensatori tradat: emat autem res bonas, & quam commodissimo pretio poterit, licet longius sint petendæ.
2. Adnotet pecuniæ summam, quam à Procuratore in dies accipiet, & quas in res eam expendet; & rationem ei quotidie reddat dati, & accepti: quid autem sequenti die empturus sit, à Ministro intelliget.
3. Curet quantum poterit, eos quibuscum aget discretione, ac modestia ædificare; & quatenus eius officium decet, religiosis verbis in spiritu iuuare.

REGVLÆ

## REGVLÆ DISPENSATORIS.

1. IN rebus distribuendis ordinem Superioris sequatur, & quamuis communiter æqualitatem inter omnes seruare debet, habeat tamen infirmorum, & conualescentium rationem, prout ei fuerit præscriptum.

2. Vinum in mensa ponendum aqua temperabit, vbi, & quantum Superiori videbitur.

3. Quæ ex mensis supersunt, diligenter conseruabit, memor paupertatis; vt & domesticis, & externis pauperibus, iuxta ordinem Superioris, vsui esse possint.

4. Curam habeat conseruandi res ad victum necessarias, quæ ipsi committentur, clausasque custodiat, aduertens ne corrumpantur: quod si corruptionis sit periculum, Superiorem admoneat. Vt autem hæc melius obseruet, visitet sæpe penum, & alia loca, vbi illa reconduntur.

5. Tam penum, quam reliqua omnia, quæ in eo sunt, munda habeat.

6. Antequam penitus absumantur cibi, qui domi reconduntur, Superiorem admoneat, vt alij coëmi tempestiue possint.

7. Curet concinnanda dolia, & purganda cum opus est, ad nouum vinum infundendum: cuius rei, cum tempus impendet, Superiorem admonebit.

## REGVLÆ PRÆFECTI REFECTORII.

1. CVret refectorium, & quæ eius vsibus seruiunt, omnia esse quam mundissima.

2. Ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis desint, aduertat: horum autem (quæ bis in hebdomada saltem mutabuntur) alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus destinata erunt.

3. Mantilia singulis saltem hebdomadis semel, mappæ verò, quæ singulis singulæ seruient, bis mundæ ponentur: omnia autem lintea numerata & accipiat, & reddat.

4. Curet,

4. Curet, ne vasa, & cętera in refectorio necessaria desint, & vt quam maximè munda sint: cultellos autem frequenter acuere faciat.

5. Paruam mensam paratam habeat.

6. Signum campanæ temporibus suis dabit conueniendi ad primam, & secundam mensam: sed ante primum pulsum, (qui quarta parte horæ secundum præcedat) à Coquo intelligat, an sint omnia parata.

7. Mensæ rebus necessarijs paratæ esse debent, cum campanæ signum primo dabitur: quæ autem ad potum pertinent, circa secundum signum apponantur; & aquæ, ac vini vasa supra orbes collocentur.

8. Sit certus locus ijs, qui curæ Infirmarij subsunt, quibus nihil, nisi quod ab eo præscriptum erit, apponat; seruet autem cum omnibus æqualitatem, nisi secus necessitatis causa esset à Superiore monitus, sine cuius arbitrio, neque ientaculum, neque aliud quicquam vlli concèdat.

9 Priusquam è mensa surgatur, inferantur orbes aliquot in mensam, vt quisque locum suum mundet; quam primum verò pro secunda præparata omnia habuerit, signum campana dabit: prouidebitque ne desint, qui ministrare debent.

10. Quæ ex mensis supersunt, colliget atque illi tradet, ad quem id ex officio pertinet: siue Coquus is, siue Dispensator sit.

11. Nomina eorum, qui domi tam in refectorio, quam extra vescuntur, in quadam tabula habeat, & eos qui cibum cepere, notabit; vti ntelligat, quinam supersint; & Coquum, qui portiones distribuit, commonefaciet.

12. Mensis expeditis mantilia plicentur, verraturque refectoriũ: & si quis inter comedendum silentium non seruauerit, aut aliquid minus modestum fecerit, ipse Superiori significabit.

13. Habeat à Ministro catalogum, in quo scriptum sit, quinam, & quibus diebus in prima, & secunda mensa ministraturi sint, eumq; ordinem seruet. Intelligat etiam sabbatho, quinam per hebdomadam sequentem in refectorio legere debeant, eosque faciat certiores.

14. Catalogum habeat rerum, quæ in refectorio seruiunt: vt cum ratio ab eo requiritur, in promptu sit, & in loco ad id designato eas custodiat.

15. Ad finem recreationis, quæ vna hora post primam mensam, altera post secundam à prandio, & à cœna durare debet, distincta signa campana dabit.

## REGVLÆ COQVI.

1. IN ijs omnibus, quæ ad suum munus pertinent, munditiam seruet ipse, & ab alijs seruandam curet, detque operam, vt omnia rectè, & opportunè parentur, ea præsertim, quæ ad ægrotos pertinent.

2. Carnes, pisces, & alia, quæ ad mensam portanda sunt, dum secat, & distribuit, digitis minime contrectet, sed fuscinula, aut cultello ad eam rem vtatur.

3. Semi-hora, aut saltem quarta horæ parte, antequam in mensa sit sedendum, præparati cibi omnes esse debent.

4. Circa qualitatem, & quantitatem portionum ordinem à Superiore datum sequetur.

5. Coquere, aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, Infirmario tantum excepto, neminem sinet, neque ipse faciet sine Superioris facultate.

6. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est vsus in coquina, quas ipse seruare debet.

7. Diligenter aduertat, ne plura quam necessaria sint, ligna comburantur. Hanc similiter diligentiam in rebus, quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur; vt religiosam paupertatem decet.

8. Quæ ex mensa supersunt, eique traduntur, conseruabit, memor paupertatis, vt & domesticis, & externis pauperibus vsui esse possint iuxta ordinem Superioris.

9. Si quem haberet adiutorem, curet, vt cum verbo, & exemplo suo ædificet, præsertim Nouitios.

## REGVLÆ EXCITATORIS.

P. 3. c. 2. § 2. & lit. E. & P. 4. c. 10 § 9. 1. MEdia saltem horæ parte ante cæteros cubitum eat, eodemque temporis spatio ante alios mane surgat, & hora constituta campanam pulset, statimq; ad omnia cubicula lumen deferens, cunctos excitet; quod vt certius, & melius præstare possit, horologium excitatorium à Superiore habeat.

2. Quarta horæ parte ab excitatione elapsa, cubicula rursus inuiset, ac si quos nondum surrexisse comperiat, Superiori nunciet.

3. Post aliam quartam horæ partem ad orationem pulsabit, ita vt ab exci-

abexcitatione ad orationis vsque initium, semi-hora intercedat: absoluto vero tempore orationi deputato, finis signum dabit.

4. Si quorum opera indigebit propter multitudinem eorum, quos excitare, aut visitare debet, eos à Superiore petet, quos seruare easdem Regulas curabit: si qui autem debiles, aut valetudinarij erunt, eos iuxta ordinem Superioris excitabit.

5. Si quem videret communem illam Regulam minus obseruantem, quo omnes decenter cooperti dormire iubentur, Superiorem monebit.



*REGVLÆ NOCTV CVBICVLA VISITANTIS.*

1. Hora à Superiore præscripta ad nocturnum conscientiæ examen pulsabit, * transactoque quadrante signum dabit ad cubandum. F. 4. c. 10 §. 9. * P. 4. 3. c. 2. §. 2.

2. Elapsa quarta horæ parte à cubandi signo, singula cubicula adibit, & an omnes ad lectum se receperint, ac lucernas extinxerint, videbit: si quos inuenerit extra lectum, aut qui lucernas non extinxerint, Superiori renunciabit.







## CAPVT VLTIMVM.

*Operis totius Coronis & status Ordinum* CANONICORVM *ac* BENEDICTINORVM *Tabulæ*.



SI mihi decretum haud foret aliquando CONSTITVTIONES OMNIVM ORDINVM pandere; eorum maximè de quibus hactenus nulla nobis hoc in opere mentio coincidit. Nunc sanè, latus adeo ad dicendum campus aperiretur, vt eum noster sonipes, non nisi longo & anhelo cursu metiri valeret. Itaque arbitratus

*Jam tempus equûm fumantia soluere colla.*

Operis coronidem addidero, si TABELLAM status Ordinum S. BENEDICTI ad calcem hîc reseruatam, donem. Quidni & aliam CANONICORVM REGVLARIVM adiungo? Id facio, & reliquorum Tabellas curis secundis reseruans, iam finio.

Hic inserantur Tabulæ Ordinum S. Benedicti & Canonicorum Regularium.



# INDEX CAPITVM
## TOTIVS OPERIS.

# INDEX.

Cap.

# INDEX.



INDEX





# INDEX CAPITVM REGVLÆ S. PACHOMII.



## Index Capitulorum Regulæ eiusdem sancti Pachomij prout à Palladio relata est.



XII. De



# Index REGVLÆ S. P. N. AVGVSTINI, quam & ad seruos Dei, & ad Sanctimoniales scriptam legimus.



## Index Capitum Regulę S. Cęsarij.



Index

# Index Capitulorum REGVLÆ eiusdem sancti Cæsarij Sanctimonialibus scriptæ.



## Index Capitum RECAPITVLATIONIS præfatę S. Cæſarij Regulę Monialibus præſcriptæ



XVI. De



# Index Capitulorum Regulæ S. Benedicti.

# Index Capitum Regularum S. Basilij.

XLII. Quid

# Index Capitulorum Regulæ Ord. SSS. Trinitatis.



XLII. Quod

## Index Capitulorum Regulae Fratrum Beatissimae Virginis MARIAE de monte Carmelo.



VIII. De




# Index Capitulorum Regulæ Militum Templariorum.



XXI. Quod

# INDEX.



# Index Capitulorum Regulæ Fratrum Minorum.

# Index Capitulorum Regulæ Fratrum Minimorum.



# Index Capitulorum Regulæ Sororum Ord. Minimorum.



## Index Capitulorum Regulæ vtriusque sexus Fidelium Ord. Minimorum.





## Index Regularum Societatis IESV.



*Regulæ*

# INDEX.



*FINIS.*

# ERRATA SIC CORRIGITO.

PAg. 10. ad marginem, Magni flebant. leg. Magni fiebant. pag. 15. l. 11. Eræ Cæsaris 59. leg. Eræ Cæsaris 69. pag. 295. ad marginem, templo inferunt & liberatori suo offerunt: quem & in curia sua, augustâ sanè formâ, quotannis habitu, leg. templo quotannis inferunt: & quod sequitur (quotannis) dele. pag. 296. lin. 10. peccata qui inuenenerit, leg. peccata quæ inuenerit. pag. 298. ad marginem, Hoc EXORDI OLIM NON EST AVGVSTINVM, leg. Hoc EXORDIOLVM NON EST AVGVSTINI.

Scio & alia passim esse menda: Tu, bone Lector, homines me, Typographum meum, teque ipsum esse cogita; & illa emenda.